BIBLIOTECA DELLA R. CASA
IN NAPOLI

N.° d'inventario 3151
Sala Guide
Scansia 18 Palchetto
N.° d'ord. 15



Digitized by Google

Palat [illegible]

LXI-5

590819

# BIBLIOTECA

PER LI

# PARROCHI

# E CAPPELLANI

DI CAMPAGNA.

RISTRETTO

*DELLA*

# TEOLOGIA MORALE.

*SESTA EDIZIONE.*

TOMO DECIMOQUARTO.



IN VENEZIA

NELLA STAMPERIA EREDI BAGLIONI.

MDCCCVI.

Digitized by Google

# BIBLIOTECA
## PER LI PARROCHI,
## E CAPPELLANI.

## MORALIS THEOLOGIÆ
### ENCHIRIDION.
### *TRACTATUS QUINTUS*
### De Sacramentis.

JUxta ſeptenarium Sacramentorum numerum, hunc Tractatum in totidem patiemur Diſſertationes, quas præcedet de Sacramentis in genere

### DISSERTATIO PROŒMIALIS.
#### *De Sacramentis in genere.*

IN hac Diſſertatione Sacramentorum Eſſentiam, Exiſtentiam, Materiam, Formam, Miniſtrum, Subjectum, Effectus & Cæremonias expendemus, ſequentibus Capitibus.

### CAPUT I.
#### *De Sacramentorum Eſſentia.*

UT Sacramentorum Eſſentiam probe dignoſcamus, eorum etymologiam ſimul & definitionem opus eſt exponere. Sit igitur

## QUÆSTIO I.

### *Quid vox Sacramenti significet.*

*Not.* 1. SAcramenti nomen apud Auctores, etiam profanos, ſemper fuit uſurpatum pro eo omni, quod ad rem ſacram relationem habebat. Sic Sacramentum apud Legiſperitos uſurpatur pro *Juramento*, per quod Sacrum Nomen Dei invocatur. Sic *Pignus* olim a litigantibus apud ſummum Paganorum Pontificem depoſitum, ut qui vinceret, partem ſuam reciperet; & qui cauſa caderet, ſuam ærario, quod ſacrum habebatur, relinqueret, Sacramentum dicebatur.

*Not.* 2. In ſacris Scripturis Sacramenti nomen ſumitur ſæpius pro ſacro *Myſterio*. Sic Divina Incarnatio dicitur ab Apoſt. *Magnum pietatis Sacramentum*. Item quandoque ſumitur pro re occulta, ſive ſacra ſit, ſive impia. Sic Apoc. 17. *Dicam tibi Sacramentum mulieris, &c.* Et Epheſ. 1. dicitur: *Neſcierunt Sacramenta Dei*.

*Not.* 3. In Eccleſia Catholica Sacramenti nomen ſumitur pro ſigno, quod ſacrat nos atque ſanctificat. Hæc autem Sacramenti uſurpatio a Lutheranis, & Calviniſtis, aliiſque ſectariis, communiter rejicitur, contendentibus Chriſtianæ Religionis Myſteria, Baptiſmum ſcilicet, Euchariſtiam, &c. potius dicenda eſſe ſigna, ſeu ſymbola, quam Sacramenta. Contra quos

Dico: Chriſtianæ Religionis Myſteria aptiſſime vocantur Sacramenta: nec iſtud nomen abſque temeritate rejici poteſt.

*Prob.* Ex Patribus antiquis, qui hoc nomine ſemper uſi ſunt, ad deſignanda Eccleſiæ Symbola. Unde Aug. ait Epiſt. 5. ad Marcell. *Signa, cum ad res divinas pertinent, Sacramenta appellantur*. Hoc nomen etiam ſic uſurpant Tertull. lib. de

de Præscr. c. 11. Cypr. Epist. 72. & Gregorius Magnus libro, quem edidit ad Ritus exponendos administrandorum Sacramentorum, *Sacramentarium* vocat. Cum igitur, a primævis Ecclesiæ temporibus ad hæc usque tempora, hoc nomine Patres & Fideles usi fuerint, absurdæ temeritatis est illud immutare. Deinde, si *Medicamentum* ante dicitur quod medetur; *Levamentum* quod allevat; *Fulcimentum* quod fulcit: cur Sacramentum non vocabitur quidquid ad sacrandum seu sanctificandum fuit institutum?

## QUÆSTIO II.

### *Quænam sit vera ac germana Sacramenti definitio.*

*Not.* VArias asserri Sacramenti definitiones. 1. Ex Trid. Sess. 13. cap. 3. *Est Symbolum rei sacræ, & invisibilis gratiæ forma visibilis, sanctificandi vim habens.* 2. Ex ejusdem Concilii Catechismo: *Est res sensibus objecta, quæ ex Dei institutione sanctitatis & justitiæ tum significandæ, tum efficiendæ vim habet.* 3. Ex D. Thom. 3. part. q. 60. art. 2. breviter dicitur: *Signum rei sacræ sanctificantis homines.* Sed ad majorem Sacramenti expositionem

Dico: Sacramentum recte definiri potest: *Signum sensibile a Deo stabiliter institutum, ad significandam & conferendam gratiam.*

*Prob.* simul & explicatur conclusio.

Dicitur 1. *Signum*, quod in definitione tenet locum generis, quatenus id habet commune cum Sacrificiis & ceteris Cæremoniis rem sacram significantibus. Hæc siquidem omnia sunt vera signa, cum in alterius rei cognitionem nos perducant.

Dicitur 2. *Sensibile*; tum quia homini corporeo, inquit D. Chrysostomus, Hom. 83. in Matth.

corporea præbere opus fuit, ut ex his ad rerum ſpiritualium cognitionem ſeſe erigeret; tum quia *in nullum Religionis nomen homines coaduanantur*, inquit Aug. lib. 19. cont. Fauſt. c. 11. *niſi aliquo ſignaculorum aut Sacramentorum viſibilium conſortio*. Non tamen abſolute requiritur ad veram Sacramenti rationem, ut quælibet pars Sacramenti de ſe & immediate ſit ſenſibilis: ſufficit enim quod partes Sacramenti ſenſibiles fiant per aliquid aliud, ut Contritio per Confeſſionem; conſenſus Matrimonialis per externam manifeſtationem, Corpus Chriſti per ſpecies conſecratas.

Dicitur 3. *Inſtitutum a Deo*, cujus cum ſolius ſit Religionem inſtituere, ſolius eſt etiam Sacramenta, quæ Religionem efforment & gratiam præſtent, inſtituere. Ex quo Martyrium Sacramentum dici nequit: cum a Tyrannis, non a Deo ſit inſtitutum.

Dicitur 4. *Stabiliter*, id eſt ad tempus notabile; quia cum Sacramenta fuerint inſtituta, non ſolum ad conferendam gratiam, ſed ad Religionem inſtituendam, quæ eſt ſtatus permanens: eadem eſſe fixa & permanentia, eo ſaltem tempore quo durat Religio, neceſſe eſt. Unde verba Chriſti ad Paralyticum: *Remittuntur tibi peccata tua*; linguæ igneæ, quæ ſupra Apoſtolos apparuerunt; licet ſigna fuerint gratiæ inviſibilis, proprie non ſunt Sacramenta, utpote quæ ad eam ſignificandam ſtabiliter non fuerint inſtituta.

Dicitur 5. *Inſtitutum*; quia Sacramentum non eſt ſignum naturale, cum res ordinis naturalis per ſe non ſignificet rem ſpiritualem, prout eſt gratia, ſed dumtaxat ſignum ad placitum Dei: *quæ præelegit*, inquit Tertull. de Reſur. Carn. c. 8. *quaſdam res aliis ad ſignificationes Sacramentales; non quia ad eas contrahitur ejus effectus, ſed ut ſit convenientior ſignificatio. Sic caro abluitur, ut anima emaculetur: Caro ungitur, ut anima conſe-*

cre-

*eretur : Caro ſignatur, ut anima muniatur : Caro manus impoſitione adumbratur, ut anima ſpiritu illuminetur : Caro corpore & ſanguine veſcitur, ut anima Deo ſaginetur.*

Dicitur 6. *Ad ſignificandam gratiam*; & quidem primario, non ſecundario. Sic Sacrificium Miſſæ, prout eſt tale, non eſt Sacramentum, quia primario & immediate ad cultum Dei ordinatur.

*Ad ſignificandam gratiam* ſanctificantem, non vero virtutem ab ea prodeuntem. Sic *lotio pedum*, licet a quibuſdam Patribus late loquendo Sacramentum vocitetur, proprie non eſt Sacramentum; cum ad humilitatem & charitatem demonſtrandam a Chriſto Domino fuerit inſtituta.

Item *ad ſignificandam gratiam* perfecte ſanctificantem. Sic prima Tonſura, Benedictio Abbatis, Aſperſio aquæ benedictæ, aliaque Sacramentalia non ſunt proprie Sacramenta; quia licet aliquam ſanctitatem ſignificent, non perfectam ſignificant.

Item *ad ſignificandam gratiam* internam & realem, non externam, legalem aut figuralem; quæ ſua erat vel in quadam ad Cultum divinum deputatione, vel in quadam habilitate civili ad nonnullas exercendas actiones, aut ad accedendum ad certos conventus. Sic omnes Purificationes, Ablutiones, ceteræque Veteris Legis Cæremoniæ non erant proprie Sacramenta.

Item *ad ſignificandam gratiam* præſentem, ſeu in actuali uſu Sacramenti collatam, non autem eam, quæ per Chriſtum erat conferenda. Sic nec tranſitus Maris rubri, ſignum gratiæ per Pœnitentiam conferendæ; nec Manna, ſignum gratiæ per Euchariſtiam communicandæ; ſerpens æneus, &c. non erant proprie Sacramenta, quibus eſſentiale eſt, inquit D. Th. 3. p. q. 65. & alibi, ut vere, proprie, & actualiter ſanctificent homines. Unde

Dicitur 7. *ad conferendam gratiam*; ſive ex opere operantis, prout eam conferebant Sacramenta

Legis naturæ & Mosaicæ; sive ex opere operato, prout conferunt Sacramenta Legis gratiæ, quod infra commodius exponemus.

*Confirm.* Conclusio varias rejiciendo definitiones Sacramentorum a variis Sectariis allatas.

1. Nonnulli dicunt, post Lutherum, Sacramentum esse *sigillum divinæ promissionis de gratia nobis conferenda, & peccatorum remissione.* Sed contra. 1. Quia hoc prætensum sigillum certiores utique nos facere non potest de divina promissione, quam Scriptura sacra, ubi hæc promissio continetur & quasi sigillatur; proindeque vanum est prorsus & inutile. 2. Quia verum esse potest Sacramentum, etiam secundum Adversarios, ubi nulla inest peccati remissio, nimirum Eucharistia.

2. Quidam docent cum Melanctone, Sacramentum esse *testimonium justitiæ per Fidem acceptæ.* Sed contra. Quia sæpe sæpius falsum esset illud testimonium, cum multi accedant ad Sacramenta cum mortali peccato, aut fingentes se credere quod non credunt.

3. Alii contendunt cum Augustana Confess. Sacramentum esse *Ritum continentem mandatum Dei.* Sed contra. 1. Quia Infantes, quibus necessarium est Baptisma, mandati sunt incapaces. 2. Quia quodlibet Sacramentum cuilibet Fideli non est necessarium, ut Ordo & Matrimonium.

4. Multi tandem cum Calvinistis asserunt Sacramentum esse *Symbolum excitativum & sustentativum Fidei, qua justificamur.* Sed contra. 1. Quia inde sequeretur Sacramenta majori non præstare efficacia aut energia, immo & minori, quam Concionem aut Catechismum. 2. Quia Baptismus respectu Parvulorum aut perpetuo Amentium, quorum Fides excitari non potest, cum ratione careant, non esset verum Sacramentum. Restat igitur solam definitionem nostram esse admittendam.

CA-

## CAPUT II.

### *De Sacramentorum exiſtentia.*

IN quadruplici ſtatu conſiderari poteſt Sacramentorum exiſtentia, Innocentiæ, Naturæ, Legis, & Evangelii; de quibus ſingulis agemus quæſtionibus.

### QUÆSTIO I.

*An fuerit, aut eſſe potuerit aliquod in ſtatu Innocentiæ Sacramentum.*

*Not.* ULtro concedunt omnes cum D. Th. 4. diſt. 1. q. 2. art. 2. Nulla in ſtatu Innocentiæ extitiſſe Sacramenta, cum de his nullam mentionem fecerint nec Scriptura, nec Traditio. Quod ſi a quibuſdam Matrimonium Adami cum Eva, & Lignum vitæ in Paradiſo dicantur Sacramenta, intelligenda ſunt Sacramena fuiſſe improprie dicta, ſeu ſigna rei ſacræ, unionem videlicet Chriſti cum Eccleſia, aut Sacramentum Euchariſtiæ adumbrantia.

Ratio autem cur in ſtatu innocentiæ non extiterint Sacramenta, eſt quia in hoc ſtatu, quem per modicum tempus duraturum Deus prævidit, nullus erat populus in unam Religionem per ſigna Religionis permanentia, qualia ſunt Sacramenta, coadunandus. Sola igitur quæſtio eſſe poteſt, utrum, ſuppoſito quod Adamus non peccaſſet, & ſtatus Innocentiæ diu perſeveraſſet, aliqua fuiſſent inſtituta Sacramenta. Circa quod

Dico: In ſtatu Innocentiæ diu perſeverante, non inconveniens fuiſſet, immo congrua fuiſſet quorumdam Sacramentorum inſtitutio.

*Prob.* Auctoritate D. Aug. lib. 19. contra Fauſtum

ſtum c. 11. docente: *In nullum Religionis nomen, ſive verum, ſive falſum, coadunari homines poſſe, niſi aliquo ſignaculorum vel Sacramentorum viſibilium conſortio.* Atqui in ſtatu Innocentiæ diu perſeverante, vera utique adfuiſſet Religio, quæ ad Cultum divinum homines coadunaſſet. Ergo adfuiſſent Sacramenta. Deinde, ſi fuiſſet vera Religio, fuiſſet & Sacrificium externum; cum nulla ſit Religio abſque eo. Ergo adfuiſſent & quædam Sacramenta, ſaltem late ſumpta.

*Confirm.* Si in ſtatu Innocentiæ Sacramenta non fuiſſent inſtituta ad reparandum hominis lapſum, convenientiſſime potuiſſent inſtitui, & quidem vera ac proprie dicta Sacramenta, tum ad abolenda peccata venialia, quæ proculdubio homo Innocens perpetrare potuiſſet, tum ad præcavenda mortalia, & perſeverantiam in bono obtinendam; tum ad gratiam augendam, & meritum multiplicandum. Quid vetat quominus id ſentiamus de bonitate Dei, qui erga naturam innocentem non minus munificus fuiſſet, quam erga peccatricem?

## QUÆSTIO II.

### *An in ſtatu Naturæ, & Legis verè exiſterint Sacramenta.*

*Not.* 1. LIcet in nullo ſtatu, etiam poſt hominis lapſum, abſolute neceſſarium fuerit Sacramentum, cum Deus alia via quam per Sacramenta ſanctificationi noſtræ ac ſaluti conſulere potuiſſet; maxime tamen congruum fuit nonnulla a Deo inſtitui, ut modo imbecillitati noſtræ convenienti nobis ſubveniret. Qua inſtitutione poſita, quædam Sacramenta homini lapſo in quovis ſtatu dicuntur neceſſaria; ſive neceſſitate medii, dum ſtatuit Deus abſque ipſis ſalutem haberi non poſſe, ſive neceſſitate præcepti, dum

ab

ab hominibus percipi juſſit. Sciendum eſt igitur, quænam fuerint in ſtatu Naturæ & Legis Sacramena; utrum hæc fuerint vera, ac proprie dicta, & quomodo gratiam contulerint. Circa quod

*Not.* 2. Duobus modis Sacramenta gratiam producere dicuntur. 1. *Ex opere operato*; dum nempe eam producunt ex ipſo præciſe opere a legitimo Miniſtro exercito, conjunctione ſcilicet materiæ & formæ, & utriuſque applicatione ad ſubjectum, nulla habita ratione ad Miniſtrantis, aut Suſcipientis diſpoſitionem, ſed per ſolam virtutem ſibi a Deo collatam. 2. *Ex opere operantis*, dum ſcilicet gratiam producunt ex ſola vel Miniſtri conferentis, vel ſubjecti ſuſcipientis diſpoſitione, non autem ex virtute ipſiuſmet Sacramenti.

His duobus modis gratiam producendi, tertium quaſi intermedium adjiciunt multi Theologi, quo gratia producitur, non præciſe ex virtute Sacramento collata, nec ſemper ex ſola Miniſtrantis aut Suſcipientis diſpoſitione; ſed ex pacto Dei aliquando, propter inſtantem neceſſitatem & ſubjecti incapacitatem, liberaliter & infallibiliter, poſito Sacramento, gratiam conferentis, ob merita Chriſti futura. His notatis,

Dico I. In ſtatu Naturæ & Legis Moſaicæ, præter ſignacula & late dicta Sacramenta, quibus Populus Dei in Religionis nomen coadunabatur, verum erat ac ſtricte dictum Sacramentum, ad peccatum originale, tum in Parvulis, tum in Adultis delendum, inſtitutum.

*Prob.* 1. Quod in utroque ſtatu extabat Remedium ad peccatum originale in Parvulis delendum: probatur, inquam, ex ſincera Dei voluntate omnes homines ſalvandi; ex qua certiſſime concludunt Doctores Catholici cum D. Aug. lib. cont. Jul. c. 11. *Non eſſe credendum ante datam circumciſionem famulos Dei (quandoquidem illis ine-*

*inerat Mediatoris Fides*) *nulla ejus Sacramento epitulatos fuisse Parvulis suis: quamvis quid illud esse, aliqua necessaria causa Scriptura sacra tacere voluerit.*

Non tacuit autem quid illud fuerit in Lege Veteri, scriptum est enim Genes. 16. *Masculus, cujus præputii caro circumcisa non fuerit, delebitur anima illa de populo*: id est, ut exponit Aug. de numero justorum & lib. 3. cont. Jul. c. 18. hunc locum adducens, ait: *Cur ipse Isaac, nisi Baptismatis Christi signo circumcisus die octavo fuisset, periisset anima ejus de populo suo, explica si potes. Tanta pœna quo merito plecteretur, nisi ab illo Sacramento liberaretur?* Et de utroque tum Naturæ, tum Legis remedio, D. Greg. lib. 4. Mor. ait: *Quod apud nos valet aqua Baptismatis, hoc egit apud veteres pro parvulis vel sola Fides*: solus nempe actus Fidei externus, ut exponit D. Th. *vel pro majoribus virtus Sacrificii, & pro illis qui ex Abrahæ stirpe prodierunt, Mysterium circumcisioni.*

*Prob.* 2. Quod utrumque remedium, verum fuerit ac proprie dictum Sacramentum, ex Aug. supra citato, aliisque Sanctis Patribus, qui utrumque hoc nomine illustrarunt: & quidem jure merito, cum omnes Sacramenti conditiones essentiales utique conveniant.

Utrumque siquidem fuit 1. Signum sensibile; cum Circumcisio externa fieret actione, & opus erat ut remedium naturæ aliqua Fidei protestatione applicaretur; alioquin æque ad puerum absentem quam ad præsentem, & in utero materno adhuc degentem, quam ad natum, applicari potuisset. 2. Utrumque fuit a Deo institutum, cujus solius est signum, per quod deleatur peccatum, instituere; vel illud in specie determinando, prout Circumcisionem determinavit; vel tantum in genere, prout remedium Naturæ determina-

navit, ſtatuens futurum eſſe quemlibet actum externum Fidei in Chriſtum Mediatorem venturum, ſive ſit Oratio, ſive Benedictio, ſive Sacrificium. 3. Utrumque ſanctificabat, peccatum originale delebat, & gratiam infundebat ſicut Baptiſmus, ut ſuperius probatum eſt. Ergo utrumque erat verum ac proprie dictum Sacramentum.

*Prob.* 3. Quod Naturæ remedium parvulorum, & adultis erat commune; de Circumciſione enim nullum eſt dubium. Probatur, inquam, ex ſupra allato Gregorii teſtimonio, ubi expreſſis verbis docet in ſtatu naturæ adfuiſſe contra originale remedium *pro majoribus*, non ſecus ac pro *parvulis*, *virtus* ſcilicet *Sacrificii*. Cui adſtipulatur D. Th. 3. p. q. 63. art. 1. ad 1. dicens: *Ante vero quam Circumciſio inſtitueretur, ſola Fide, ut Gregorius dicit, cum Sacrificiorum oblatione, quibus ſuam Fidem antiqui Patres profitebantur, homines Chriſto incorporabantur.*

Nec refert, quod adulti alia via, nempe per actum Contritionis perfectæ, mundari poterant, videoque nullum videtur pro ipſis inſtitutum fuiſſe ſNaturæ remedium. Negatur enim hæc conſequentia: alias ſequeretur ipſammet Circumciſionem nec pro adultis fuiſſe inſtitutam; quandoquidem per actum etiam Contritionis perfectæ poſt datam Circumciſionem adulti potuiſſent juſtificari.

Dico II. Naturæ remedium & Circumciſio, nec omnino ex opere operato, nec ex opere operantis, ſed quodam modo intermedio, & ex utroque participante, ſuperius expoſito, gratiam conferebant.

*Prob.* 1. pars. Ex D. Paulo dicente Galat. 4. antiqua Sacramenta *infirma eſſe* atque *egena elementa*, qualia proculdubio non fuiſſent, ſi gratiam ex operato, ſeu ex ſua propria virtute contuliſſent. Accedit auctoritas Conc. Trid. ſeſſ. 7. Can. 2. definientis novæ Legis Sacramenta a Sacramentis

tis Legis veteris differre: non differrent, autem, saltem essentialiter, si ista sicut & illa gratiam propria sua virtute contulissent. Unde Conc. Florent. in Decreto pro Armenis expresse jam docuerat ac definierat, vetera Sacramenta a novis differre, quod gratiam per Passionem Christi conferendam tantum significabant, non autem conferebant, prout faciunt nova.

Dices 1. Hos textus sermonem facere de Sacramentis Mosaicæ Legis; quæ quidem certum est ex opere operato gratiam non produxisse. Remedium autem Naturæ ac Circumcisio *ex Moyse non erant, sed ex Patribus*; cum Circumcisio ipsis data fuerit 400. annis ante Legem Mosaicam. Ergo.

R. Hos textus evidentissime sermonem facere de Sacramentis, quæ sub Lege Mosaica observabantur, ut patet ex verbis subsequentibus textum citatum Apostoli, Gal. 4. *Egena elementa, quibus denuo servire vultis*, id est, sicut in Lege Mosaica serviviistis. Atqui Circumcisio erga Masculos, & Remedium Naturæ erga Feminas in Lege Mosaica servabantur. Ergo de his Sacramentis supradicti textus sermonem faciunt.

Dices 2. Licet Naturæ Remedium, & Circumcisio ex opere operato gratiam contulissent in multis, tamen differebant a novæ Legis Sacramentis; tum quia aliam habent formam aliamque materiam: tum quia nostra Sacramenta gratiam conferunt longe uberiorem; tum quia Sacramenta novæ Legis januam Cœli aperiunt; non autem Sacramenta veteris, &c.

R. Sensus apertus Conc. Trid. est, quod Sacramenta novæ Legis differant essentialiter in ratione Sacramenti a Sacramentis antiquis. Atqui Sacramenta inter se non differunt in ratione Sacramenti, nisi per modum essentialiter diversum gratiam conferendi, cum omni Sacramento gratiam conferre sit essentiale. Ergo sensus Concilii est,

quod

quod Sacramenta Novæ Legis differant ab antiquis, ſecundum modum eſſentialiter diverſum gratiam conferendi, non ſecundum alias differentias ipſis in ratione Sacramenti accidentales. Deinde evidens eſt Concilium Florentinum, in ſuo pro Armenis Decreto, ſtatuiſſe proprium eſſe novæ Legis Sacramentis gratiam ex opere operato producere; quod autem uni proprium eſt, alteri utique tribui nequit.

*Prob.* 2. pars. Quia illud Sacramentum gratiam non confert ex opere operantis, quod eam conſert independenter a diſpoſitionibus tum ſuſcipientis, tum Miniſtrantis. Atqui Remedium Naturæ & Circumciſio gratiam conferebant Parvulis independenter ab ipſorum diſpoſitionibus, quibus erant incapaces, & independenter a diſpoſitionibus Miniſtrantium, qui cum Fide etiam informi utiliter hæc Sacramenta Parvulis conferre poterant. *Nec enim* inquit D. Th. cit. *Fides aliena parvulos juvabat in quantum erat actus perſonæ; ſed ex parte illa, qua reſpiciebat objectum*; id eſt, Chriſtum venturum. Immo cenſent communiter Doctores, quod hæc Sacramenta, non ſecus ac Baptiſmus, fuiſſent valida, etiam ab infideli collata, modo intendiſſet facere quod faciebat tunc vera Eccleſia, cum per ſolam Eccleſiæ Fidem in Chriſtum venturum juvaretur, ac juvari poſſet parvulus in extrema neceſſitate poſitus. Ergo &c.

*Prob.* 3. pars. Quia cum hæc Sacramenta, nec proprie ex opere operato, nec proprie ex opere operantis gratiam contulerint; reſtat eam contuliſſe modo quodam intermedio, ex utroque participante, ſed cum neutro penitus conveniente. Participabat ex modo operis operati, quia gratiam conferebat independenter a diſpoſitione ſuſcipientis, ac miniſtrantis; ab eodem differebat, quatenus non eam conferebat propria ſua virtute, ſeu cauſaliter, ſed ex liberalitate Dei; & ſub conditione

ne quod Sacramentum ex modo operis operantis, quia adultos non juſtificabat niſi ex eorum diſpoſitionibus, Fide ſcilicet in Chriſtum venturum, & Contritione; ab eo autem differebat, quatenus ad parvulorum juſtificationem nullas ab eis requirebat diſpoſitiones, immo nec a miniſtrantibus, niſi intentionem faciendi quidquid tunc temporis faciebat Eccleſia.

Porro ex hac Concluſione ſic expoſita, facile intelliguntur diverſæ ſententiæ SS. Patrum, quorum nonnulli magnam Sacramentis antiquis tribuunt efficaciam, ceteri vero quaſi nullam.

## QUÆSTIO III.

### *Quænam, & quot ſint Novæ Legis Sacramenta.*

*Not.* NUllus eſt ex Hæreticis, ſaltem modernis, qui nonnulla in Eccleſia Dei Sacramenta exiſtere negaverit: ſed controverſia eſt, non ſolum inter eos & Catholicos, ſed & inter ipſoſmet Hæreticos, de Sacramentorum numero. Lutherus ſtatim unum dumtaxat admittebat, ſed poſthac tria numeravit, Baptiſmum ſcilicet, Panem, & Pœnitentiam, & hæc eſt Lutheranorum doctrina communior; Calvinus autem tria etiam admiſit, Pœnitentiam excludens, & Ordinationem ipſi ſubſtituens. Alii vero alia plura vel pauciora, juxta proximum mentis ſuæ delirium recenſuerunt. Contra quos.

Dico. Septem ſunt Eccleſiæ Sacramenta, nec plura, nec pauciora: Baptiſmus ſcilicet, Confirmatio, Euchariſtia, Pœnitentia, Extrema-Unctio Ordo, & Matrimonium.

*Prob.* 1. Auctorit. Scripturæ, ex qua hic Sacramentorum numerus aperte colligitur.

1. Baptiſmus colligitur ex c. 18. Matth. ubi refertur Chriſtum a mortuis redivivum Diſcipulis

ſuis

ſuis dixiſſe: *Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti*, & Marci 16. *Qui crediderit, & baptizatus fuerit, ſalvus erit.*

2. Confirmationis meminit S. Luc. Act. 8. *Cum audiſſent Apoſtoli quod recepiſſet Samaria Verbum Dei, miſerunt ad eos Petrum, & Joannem, qui cum veniſſent, oraverunt pro eis ut acciperent Spiritum Sanctum. Tunc imponebant manus ſuper eos, & accipiebant Spiritum Sanctum.*

3. Euchariſtiæ inſtitutio narratur Matt. 26. *Cœnantibus autem illis, accepit Jeſus Panem, & benedixit, ac fregit, deditque Diſcipulis ſuis, & ait: Accipite & comedite, hoc eſt Corpus meum &c.* & Jo. 6. *Si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in æternum.*

4. Pœnitentiæ inſtitutio habetur Jo. 20. ubi Chriſtus Dominus Diſcipulis ſuis ait: *Sicut miſit me Pater, & ego mitto vos. Hæc cum dixiſſet, inſufflavit, & dixit eis: Accipite Spiritum Sanctum: Quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis &c.*

5. Extremæ Unctionis Sacramentum promulgavit S. Jacobus in ſua Epiſt. Cath. c. 5. *Infirmatur quis veſtrum? Inducat Presbyteros Eccleſiæ, & orent ſuper eum, ungentes eum Oleo in nomine Domini, & Oratio Fidei ſalvabit infirmum, & alleviabit eum Dominus &c.*

6. Ordinis meminit S. Paulus 2. Timoth. 4. *Noli*, inquit, *negligere gratiam, quæ in te eſt, quæ data eſt tibi per Prophetiam cum impoſitione manuum Presbyterii.*

7. Matrimonium commendat idem Apoſt. Epheſ. 5. *Propter hoc relinquet homo patrem & matrem ſuam, & adhærebit uxori ſuæ, & erunt duo in carne una. Sacramentum hoc magnum eſt; ego autem dico in Chriſto, & in Eccleſia.* Ex quibus textibus *Prob.* 2. Concluſio ratione evidenti. Tot utique adſunt Sacramenta, quot adſunt ſigna ſenſibilia

a Chri-

a Christo Domino instituta, quibus annexa est in Scriptura sacra gratiæ promissio. Atqui septem sunt hæc signa, nec plura, nec pauciora. Ergo septem sunt Sacramenta. Major patet ex supradictis de Sacramenti definitione. Minor est evidens ex mox allatis testibus, quorum nullus est, ubi, saltem implicite, gratia non promittatur divina, ut cuilibet attendenti patebit.

Dices: In textu Apostoli ad Ephes. 5. ubi Matrimonium magnum dicitur Sacramentum, nullum apparet promissionis divinæ signum.

R. Apostolus dicens Matrimonium magnum esse Sacramentum, in Christo, & in Ecclesia, annuit ipsum significare mutuam charitatem Christi & Ecclesiæ, quam conjuges in suo connubio exprimere debent, ideoque hanc charitatis gratiam conferre, alioquin falsa esset aut imperfecta hæc significatio.

*Prob.* 3. Ex congruentiis a D. Th. adductis. Vita Christiana, qua homo Deo vivit, septem rebus indiget, non absimili modo quo homo vivit mundo. 1. Ut generetur. 2. Ut augeatur ac roboretur. 3. Ut alatur. 4. Ut sanetur, si in morbum spiritualem incidat. 5. Ut reficiatur, si sit infirmus. 6. Ut regatur. 7. Ut conservetur & multiplicetur. Regeneratur autem & nascitur per Baptismum: augetur ac roboratur per Confirmationem: alitur per Eucharistiam: sanatur per Pœnitentiam: reficitur per Extremam-Unctionem: regitur per Ordinem: conservatur ac multiplicatur per Matrimonium.

*Prob.* 4. Ex constanti Ecclesiæ Traditione, qua constat Fideles tam apud Græcos, quam apud Latinos septem semper Sacramenta, nec plura, nec pauciora, agnovisse: quæ Traditio adeo certa est, ut unaniniter censeant Theologi Catholici nullum, etiam Summum Pontificem, immo nec ullum Apostolum aliquod novum Sacramentum in-

inſtituere potuiſſe, cum hæc poteſtas ſoli Chriſto Domino conveniat. In hoc ſeptennario Sacramentorum numero concordant omnes antiquiores Eccleſiæ Patres, Traditionis teſtes fideliſſimi, quorum loca plurima indicabimus, dum de ſingulis Sacramentis agemus.

Quær. Qualis ſit ordo inter Sacramenta?

℟. Triplicem inter ea eſſe ordinem, naturæ ſcilicet, dignitatis, ac neceſſitatis. Secundum ordinem naturæ, præcedit Baptiſmus, ſubſequitur Confirmatio, Euchariſtia &c. prout habentur in Conc. Florent. & Trid. Secundum ordinem dignitatis, præſtantiſſimum eſt Euchariſtiæ Sacramentum: deinde Ordo, ſequuntur Confirmatio, Baptiſmus, Extrema-Unctio, Pœnitentia, Matrimonium. Secundum ordinem neceſſitatis, primum locum obtinet Baptiſmus, ſecundum Pœnitentia, tertium Ordo, quartum Euchariſtia, & cetera ſubſequuntur.

## CAPUT III.

### *De Materia, & Forma Sacramentorum.*

NOmine Materiæ & Formæ hic intelliguntur partes, ex quibus conſtant Sacramenta, quarum exiſtentiam, determinationem, atque mutationem, nobis hic exponendum incumbit.

### QUÆSTIO I.

*Utrum quodlibet Sacramentum perficiatur Materia, & Forma, quæ ſint ipſius partes eſſentiales.*

*Not. 1.* MAteria Sacramenti dicitur *quælibet res, vel actus ſenſibilis, ex ſe indifferens ad eſſe Sacramenti.* Forma vero dicuntur *verba, aut quidpiam verbis æquivalens, materiam in-*

*indifferens etiam determinans ad esse Sacramenti*; id est, ad significandum & producendum effectum spiritualem. Sic *Aqua* in Baptismo, est materia, quia indifferens est ad significandam lotionem corporalem, vel spiritualem: *Ego te baptizo* est forma, quia aquam determinat ad lotionem spiritualem. Sic in Sacramento Pœnitentiæ, Pœnitentis Confessio est materia, utpote de se indeterminata ad gratiam reconciliationis significandam; & determinatur per absolutionem, quæ forma dicitur.

*Not.* 2. Sacramentorum Materia, alia est remota, alia proxima. Prior *est res sensibilis, ex qua, vel circa quam Sacramentum conficitur*. Posterior *est actualis materiæ remotæ applicatio*. Sic in Baptismo materia remota est aqua naturalis: proxima autem ablutio. In Confirmatione Oleum est materia remota, & Unctio proxima. In Pœnitentia peccata post Baptismum commissa sunt materia remota, eorum actualis declaratio, proxima, &c. His notatis

Dico: Omnia Novæ Legis Sacramenta Materia perficiuntur & Forma, tamquam partibus suis essentialibus.

*Prob.* Ex Conc. Florentino in Decreto Eugenii: Omnia *Sacramenta*, inquit, *rebus perficiuntur tamquam materia, & verbis tamquam forma*. Accedit auctoritas Tridentini singulis Sacramentis materiam, & formam assignantis. Quod autem Materia & Forma partes sint Sacramenti essentiales, id expresse docet D. Thom. cum ceteris Theologis, 4. dist. 1. quæst. 1. art. 3. *Verba, & res*, inquit, *sunt de essentia Sacramenti*. Et confirmat ratio. Si enim Materia, & forma Sacramentum essentialiter non constituant, vel sola materia constituit illud, vel sola forma. Non primum, alioquin sola ablutio esset Baptismus, & sola confessio Pœnitentia. Non secundum, alioquin verba prolata essent falsa. Ergo utrumque simul. Unde Augustinus,

ait, Tract. 80. in Joan. *Detrahe verbum, quid eſt aqua? Accedit verbum ad Elementum, & fit Sacramentum.*

Quær. Qualis debeat eſſe unio materiæ & formæ Sacramentorum?

℟. Requiritur & ſufficit, ut moralis adſit, non phyſica unio; cum Sacramentum morale ſit compoſitum, non phyſicum. Obſervandum tamen eſt majorem vel minorem, requiri unionem, juxta majorem vel minorem Sacramentorum dignitatem aut neceſſitatem, aut juxta eorum diverſam naturam. Sic in Euchariſtia materia præſens eſſe debet, dum verba proferuntur; quia pronomen *Hic* præſentiam deſignat. Tanta unio non requiritur nec in Sacramento Pœnitentiæ, nec in Matrimonio; quia id non requirit Judicii, & contractus natura, quam hæc Sacramenta conſequuntur. Æqualis circiter unio moralis in Baptiſmo, Confirmatione, Ordine, & Extrema-Unctione requiritur. Majorem tamen requirunt Auctores in Baptiſmo, propter ejus neceſſitatem & in Ordine propter dignitatem.

## QUÆSTIO II.

*An Chriſtus Dominus Materias, & Formas Sacramentorum determinaverit.*

*Not.* 1. DE Fide certum eſt, prout definivit Conc. Trident. ſeſſ. 14. Can. 1. *Nullum alium Sacramentorum eſſe Auctorem*, ut ait Ambroſ. lib. 4. de Sacram. *niſi Dominum Jeſum, qui*, juxta Auguſt. Epiſt. 138. ad Januar. *Sacramentis numero pauciſſimis, obſervatione facilliſimis, ſignificatione præſtantiſſimis, ſocietatem novi populi colligavit.* Quia, ut jam dictum eſt; nullus alius cum ſignis ſenſibilibus gratiam conjungere potuit, quam ipſemet Auctor gratiæ. Immo certum

tum est, & adeo certum, ut absque errore contrarium sustineri non possit, Christum Dominum Sacramenta instituendi potestatem Apostolis non contuliſſe, eaque ipsummet immediate instituisse. Dicit enim Apostolus, 1. Cor. 4. *Sic nos existimet homo ut Ministros Christi, & dispensatores*, non vero institutores, *Mysteriorum Dei*. Et Conc. Trid. sess. 21. c. 2. declarat, Ecclesiam potestatem habere Sacramentorum Cæremonias instituendi aut immutuandi; sed *salva eorum substantia*. Circa quod quæstio oritur non contemnenda: An & quomodo Christus Dominus Sacramentorum Materiam & Formam determinaverit. Pro cujus intelligentia

*Not.* 2. Materiam & Formam duobus modis determinari posse: in genere scilicet, & in specie. Determinatur in genere, dum sub aliqua materia & forma convenienti statuitur confici Sacramentum, nullam speciem particularem assignando: Determinatur autem in specie, dum ipsamet species assignatur. Sic qui mandaret Artifici ut annulum ex aliquo metallo conficeret, nec adderet quo metallo, vel auro, vel argento, esset conficiendus, materiam determinaret in genere. Qui autem mandaret Artifici ut illum ex auro conficeret, determinaret materiam in specie. Item qui mandaret Servo suo ut urbane vicinos ad Cœnam vocaret, verba non assignando, determinaret formam generice: quod si verba exprimeret, determinaret eam specifice. His notatis,

Dico I. Christus Dominus determinavit, saltem in genere, Materiam & Formam cujuslibet Sacramenti; ita ut eorum substantialis mutatio tollat Sacramentum, sintque ab Ecclesia invariabiles.

*Prob.* Quia si Christus materias, & formas Sacramentorum, saltem in genere, non determinasset, ea immediate non instituisset, & Ecclesia eorum substantiam pro libitu immutare posset; quod fal-

falſum eſſe, immo & erroneum, ſuperius probavimus.

Dico II. Chriſtus quinque ſaltem Sacramentorum Materiam, & Formam in ſpecie determinavit?

*Prob.* Enumeratione. In Baptiſmo ſiquidem ablutionem ex aqua naturali determinavit, dicens: *Baptizantes eos, &c.* In Euchariſtia Panem triticeum & Vinum de vite, dum accepto pane ait: *Hoc eſt Corpus meum.* In Pœnitentia peccata a vere Pœnitentibus confeſſa, eorumque abſolutionem: *Quorum remiſeritis peccata, &c.* In Extrema Unctione, unctionem ex Oleo olivarum cum oratione: *Inducat Presbyteros Eccleſiæ, & ungent ſuper eum, ungentes eum Oleo.* In Matrimonio legitimam corporum traditionem, & acceptationem verbis aut quaſi verbis expreſſam; cum hunc duplicem Contractum ad Sacramenti dignitatem elevaverit, illumque ſupponat.

Dico III. Chriſtus Dominus Materiam, & Formam Ordinis, & Formam Confirmationis, in genere dumtaxat, determinavit: de materia Confirmationis dicetur ſuo loco.

*Prob.* Concluſio, quæ eſt D. Bonav. 4. Sent. & Inn. IV. cap. *Presbyter*, & plurimorum aliorum Doctorum inſignium, Alexand. Halen. Bellar. &c. Idque Tridentinum inſinuat ſeſſ. 23. c. 3. dum dicit Sacram Ordinationem verbis, & ſignis exterioribus perfici, non definiendo quænam ſint hæc verba aut ſigna; quia nimirum in genere dumtaxat a Chriſto ſunt inſtituta, ab Eccleſia autem in ſpecie determinata.

*Confirm.* Quia alioquin Ordinationis ſacræ Græcorum, cum Latinorum Ordinationibus conciliari non poſſent; cum nec Inſtrumentorum traditio, nec hujuſmodi traditioni reſpondentes verborum formæ a Græcis uſurpentur; quorum tamen Ordinationes Romana ſuſcepit Eccleſia.

Idem

Idem dicendum est de Forma Confirmationis, quæ in diversis Græcorum ac Latinorum Ecclesiis est diversa, & utraque tamquam bona ac legitima in Concilio Florentino, tacite saltem, fuit approbata.

Restat igitur, quod Christus Dominus statuerit ut adhiberentur quædam signa sensibilia expressiva potestatis, quæ per Ordinem traditur, & verba quæ Confirmationis effectum significarent; relicta Ecclesiæ libertate ut hæc signa & verba, pro locorum ac temporum diversitate, specifice determinaret. Qua posita determinatio his Ecclesiæ, qui signis aut verbis ab Ecclesia non determinatis uteretur, nihil efficeret; cum, ex institutione Christi, Ecclesiæ determinatio his Sacramentis sit essentialis. Ideo invalida foret Ordinatio facta ab Episcopo Latino per solam manuum impositionem; & Confirmatio cum his solis verbis, *Signaculum doni*, quæ sunt forma Græcorum.

## QUÆSTIO III.

*Quænam sit materiæ, & formæ mutatio invalidam aut illicitam efficiens Sacramentorum administrationem.*

*Not.* Duplicem esse in materia & forma Sacramentorum mutationem; substantialem, & accidentalem. Substantialis dicitur, dum juxta communem hominum existimationem tollit materiæ substantiam, & sensum verborum, quæ Christus præscripsit, & Ecclesia usurpat: accidentalis vero dicitur, dum eam non tollit. Sic qui aqua rosacea baptizaret, vel in pasta consecraret, materiæ substantiam mutaret. Item qui baptizaret in nomine Dei Trinitatem non exprimendo; vel qui sic consecrationis formam exprimeret: *Hoc est caput meum*, eam substantialiter perverteret. Et contra

tra accidentaliter tantum mutaret, qui aqua calida baptizaret, & cum his verbis: *Ego te abluo*; aut qui in pane fermentato conſecraret, & hanc formam adhiberet: *Hoc meum Corpus eſt*.

Dico: Mutatio ſubſtantialis materiæ & formæ Sacramentum irritat, non autem accidentalis; & eas quovis modo mutare, peccatum eſt mortale graviſſimum, niſi excuſet indeliberatio, aut invincibilis ignorantia.

*Prob.* Quia irritatur Sacramentum, dum ſubſtantia ejus tollitur, non autem quando ipſa remanet. Atqui mutatio ſubſtantialis tollit Sacramenti ſubſtantiam, cum tollat ſubſtantiam Ritus a Chriſto inſtituti; accidentalis vero non tollit. Ergo illa, non iſta, Sacramentum irritat.

Quod autem peccatum ſit graviſſimum, Sacramenti materiam aut formam, vel accidentaliter, immutare, probatur; quia hæc temeritas in gravem Dei, Eccleſiæ rerumque ſacrarum redundat injuriam. Ideoque nulla in hoc datur materiæ levitas, ſolaque excuſat indelibetatio, nec non invincibilis ignorantia; quali tamen laborare non cenſetur qui ex officio ſcire tenetur quæ ad Sacramentorum ſpectant adminiſtrationem.

Quær. 1. Quot modis in Sacramentorum formam invehi poſſit mutatio, tum ſubſtantialis, tum accidentalis.

Reſp. Sex modis, his verſiculis contentis:

*Nil formæ demas, nil addas, nil variabis:*
*Tranſmutare cave, corrumpere verba, morari.*

*Demere* aliquid formæ, ita ut ſenſus legitimus tollatur, eſt ſubſtantialis mutatio: ut qui in forma Baptiſmi nomen alicujus Perſonæ divinæ, vel Perſonam Baptizati, *Te* omitteret: aut qui in forma Conſecrationis pronomina *Hoc*, vel *Hic*, *Meum*, vel *Mei* reticeret. E contra accidentalis eſſet mutatio, ſi omitteret tantum *Ego*, in forma

Baptiſmi: vel *enim* in forma Conſecrationis, quia ſenſum non deſtrueret.

*Addens* aliquid formæ, juxta illud principium; ſubſtantialiter eam mutaret, ut qui ſub hac forma baptizaret: *Ego te baptizo in nomine Patris majoris, & Filii minoris, &c.* aut qui ſub iſta conſecraret: *Hoc eſt Corpus meum phantaſticum*. Qui autem ſic formam Baptiſmi enuntiaret: *Baptizatur talis in nomine Patris qui creavit eum, in nomine Filii qui eum redemit, &c.* aut ſic conſecraret: *Hoc eſt Corpus meum de Virgine natum*, eſſet tantum mutatio accidentalis.

*Variatio* mutationem ſubſtantialem inducit, dum verba ſubſtituta idem confuſe tantum ſignificant, non clare & diſtincte. Sic invalide baptizaret qui diceret: *Ego te Baptizo in nomine SS. Trinitatis; vel nomine Genitoris, Geniti, ac Spirati*. Quia nomen *Trinitatis* non diſtincte tres Perſonas exprimit: & nomen *Genitoris, & Genisi*, de ipſiſmet rebus naturalibus dici poteſt. Econtra; qui Gallico idiomate formam exprimeret, aut verba ſynonima latini idiomatis uſurparet: ut qui pro *Baptizo* diceret: *Abluo*; pro *Abſolvo* diceret, *Condono*, mutatio eſſet tantum accidentalis.

*Tranſmutare*, aut tranſponere verba, ſubſtantiale eſt, dum juxta communem exiſtimationem non manet idem ſenſus: accidentale vero, dum remanet. Ut ſi quis diceret, *Hoc Corpus eſt meum*, mutatio eſſet ſubſtantialis: accidentalis vero ſi diceret, *Hoc eſt Corpus*.

*Corrumpere* verba aliquis poteſt, vel ex induſtria, vel ex præcipitatione, vel ex ignorantia, vel ex balbutie. Si ex induſtria, verborum corruptio Sacramentum irritat, ut ſi quis balbum imitari volens dicat: *Hoc eſt Corpus meum*. Si ex præcipitatione linguæ, ignorantia, & balbutie, eſſentialis eſt mutatio, dum ſenſus formæ pervertitur: accidentalis, dum non pervertitur. Unde valida

eſt

eſt conſecratio balbi dicentis, *Hoc eſt Corpus meum*, quia uſu receptum eſt, quod hæc vox in balbo ſignificet *Corpus*. Item qui ex ignorantia diceret baptizando: *In nomine Patri*, valide baptizaret ob eamdem rationem. Immo Zacharias Pontifex definivit Sacerdotem Linguæ Latinæ imperitum valide baptizaſſe cum hac Forma: *In nomine Patria, Filia, Spiritua Sancta*; quia hæc verba, licet corrupta, a tali Perſona, & in tali circumſtantia prolata, eumdem habent ſenſum.

*Morari*, ſeu verba interrumpere, ita ut non cenſeatur moraliter una & integra oratio, erit ſubſtantiale; ut ſi quis pronuntiatis his verbis, *Ego te*, poſt ſemiquadrantem pronuntiaret, *Abſolvo*. Si vero ita ſit parva mora & interruptio, ut verba adhuc cenſeantur moraliter conjuncta, accidentale eſt, ut ſi quis pronuntiatis, *Ego te*, diceret Pœnitenti: *Actum contritionis elice*, & poſtea *Abſolvo* proferret.

Quær. 2. Utrum error Miniſtri formam mutet ſubſtantialiter; & Sacramentum irritet?

R. Cum diſtinctione, vel error in forma non eſt expreſſus; vel ita eſt expreſſus, ut ſenſum tollat vel tandem ſic expreſſus, ut non tollat ſenſum. Si primum, Sacramentum eſt validum, qualiſcumque ſit Miniſtri error aut intentio; quia validitas formæ ex ſolo verborum ſenſu deſumitur; ſenſus autem verborum non habetur ex mentali ejus intentione, aut ejus ſecreto errore, ſed ex communi hominum uſu & exiſtimatione. Unde validus erat Arianorum Baptiſmus in forma Catholica prolatus, licet per Perſonarum diſtinctionem intelligerent ſubſtantiam Patris a ſubſtantia Filii eſſe diverſam. Quod ſi per errorem expreſſum tollatur ſenſus, ut qui baptizaret in nomine *Patris majoris*, & *Filii minoris*, evidens eſt, irritum eſſe Sacramentum, cum falſa ſit forma, & qui eam ſic profert, non intendat facere quod facit

Eccleſia, quæ baptizare non intendit in nomine Patris majoris, aut Filii minoris. Si per errorem expreſſum ſenſus non tollatur, item evidens eſt Sacramentum eſſe validum; quia error ſic expreſſus formæ ſubſtantiam non afficit, proindeque manet idem ſubſtantialiter Sacramentum. Sed

Petes 1. Qua ratione dignoſci poteſt, quando error expreſſus ſenſum tollat, vel non?

℟. Dum formæ jam legitime prolatæ nova ac diſtincta ſubjungitur propoſitio errorem continens, error expreſſus ſenſum non tollit, nec Sacramentum. Ut ſi quis diceret: *Ego te batizo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, quæ non ſunt Perſona realiter diſtinctæ*, valide baptizaret, ſicut & valide conſecrarer qui his uteretur verbis: *Hoc eſt Corpus meum, quod in Sacramento figuratie tantum ſuſcipimus*; modo quod facit Eccleſia, facere intenderet. Ratio eſt, quia præſuppoſita materia, verba legitime prolata jam ſuum produxerunt effectum. Econtra, qui conſecrando diceret, *Hoc eſt Corpus meum figurativum*, nihil efficeret; quia *figurativum* novam & diſtinctam non facit propoſitionem, ſed eſt pars præcedentis, quæ cum ea ſenſum efficit falſum.

Petes 2. Quid dicendum ſit de forma per ſe indifferenti ad ſignificandum ſenſum hæreticum, & ſenſum catholicum; ut ſi quis diceret: *Ego te baptizo in nomine Patris, &c. & Beatæ Virginis?*

℟. Cum D. Thom. 3. p. q. 60. art. 8. hoc a proferentis intentione pendere. *Nam ſi ſic intelligatur in nomine Beatæ Virginis baptizari, tolleret veritatem* & validitatem *Sacramenti*; quia hæc intentio verum formæ ſenſum tolleret, eamque ad errorem ſignificandum determinaret. *Si vero ſic intelligatur, ut Beatæ Virginis interceſſio proſit baptizato ad conſervandam gratiam baptiſmalem, non tollitur perfectio* & validitas *Sacramenti*; quia tunc propoſitio nullum in ore proferentis errorem

rem ſignificat aut exponit. Eam ob rationem Zacharias Pontifex definivit Baptiſmum his verbis ab imperito datum *In nomine Patria, Filia*, &c. validum eſſe; ſuppoſito nempe, quod nullum voluerit errorem exprimere aut inducere. Nam ſi intellexiſſet Baptiſmum conferri in nomine quarumdam feminarum, Sacramentum fuiſſet nullum; cum tunc hac ſua prava intentione ſenſum Formæ ſuſtuliſſet.

Quær. 3. An forma conditionali uti liceat?

℟. Affirmative, contra nonnullos Doctores, dum nempe vera adeſt neceſſitas. Id probatur auctoritate Alexand. III. Extr. *de Baptiſ.* cap. 2. *De quibus dubium eſt*, inquit, *an baptizati fuerint, baptizentur, his verbis præmiſſis, ſi nondum baptizatus es*. Confirmant plurima Concilia, Aquenn. ann. 1588. Rotom. Rom. multique Rituales hunc uſum præſcribentes. Dixi, *dum adeſt vera neceſſitas*. Alias peccatum eſſet mortale formam conditionalem adhibere. Vera autem neceſſitas cenſetur, dum prudenter dubitatur an valide Sacramentum fuerit collatum, an ſubjectum Sacramenti capax fuerit, an Miniſter formam neceſſariam protulerit, nec alia via Sacramentum ſecurum præſtari poſſit.

Quær. 4. An forma aut materia dubia, vel probabili, uti liceat?

℟. Extra neceſſitatem id facere peccatum eſt graviſſimum; tum ob irreverentiam illatam Sacramento, quod nullitatis periculo exponimus; tum ob injuriam factam proximo, quem item periculo carendi fructu Sacramenti committimus. Nec a peccato excuſat quantalibet Probabilitas, cum hæc utique dubium ſemper importet; nec ullatenus ſit probabile in conferendis Sacramentis, dubia certis præponere umquam fas eſſe. Dixi, *Extra neceſſitatem*, qua ſtante dubia adhiberi poteſt, ac ſæpius debet materia, dum

non potest adhiberi certa; quia cum Sacramenta pro hominibus sint instituta, non autem homines propter Sacramenta, satius est ista periculo nullitatis exponere, quam hominem periculo damnationis æternæ.

Quær. 5. An formam super eamdem materiam liceat repetere?

℟. De se mortale est peccatum, atque sacrilegium, gravem Deo & Sacramento irrogans injuriam; cum hæc secunda forma omnino sit inutilis, nec absque interpretativa Sacramenti irrisione in vanum proferri possit. Dum autem dubium adest legitimum, utrum forma recte sit prolata, Minister tenetur, & quidem sub mortali, eam sub conditione repetere, ne Sacramentum nullitatis, & proximum damnationis periculo committat. Verum cum Sacerdos dubitat an Pœnitentem absolverit, nec dubium tolli potest, non opus est ut iterum sub conditione absolvat; sed ipsi suadere debet, ut iterum saltem generaliter de peccatis mox confessis sese accuset; & nova ab ipso elicita contritione, ipsum absolute absolvat. Dixi *de se* id esse mortale; quia saltem a mortali excusant mentis subreptio aut scrupulus, mentem rationemque perturbans.

## CAPUT IV.

### *De Sacramentorum Ministro.*

DE Sacramentorum Ministro sciendum est, quis sit, qualis esse debeat, an Fidelis & Sanctus, & quænam in eo requiratur intentio.

QUÆ-

## QUÆSTIO I.

### *Quis ſit legitimus Sacramentorum Miniſter.*

*Not.* 1. DUplicem eſſe Sacramentorum Miniſtrum: primarium ſcilicet, aut principalem; & ſecundarium, aut minus principalem. Primarius eſt Chriſtus Dominus, non ſolum ut Deus & Auctor gratiæ, ſed etiam ut homo, quatenus nempe omnis gratiæ cauſa eſt tum meritoria, tum inſtrumentalis, propter unionem cum Verbo divino hypoſtaticam: quo ſenſu Jo: 1. dicitur: *Hic eſt qui baptizat.*

*Not.* 2. Quoad Miniſtros ſecundarios; alii ſunt ordinarii qui ſecundum Legem a Chriſto Domino præſcriptam Sacramenta conficiunt atque diſpenſant: alii extraordinarii, qui præter Legem hanc ordinariam ad ea conficienda atque diſpenſanda committi poſſunt.

Circa quod nulli dubium eſt, quamlibet creaturam rationalem, ſive animam ſeparatam, ſive Angelum, ſive Dæmonem, Sacramentorum Miniſtrum eſſe poſſe extraordinarium; tum quia nullam id involvit repugnantiam; tum quia ex variis Hiſtoriis fide dignis certum habemus, ſæpius Angelos & Ordinationem, & Euchariſtiam diſpenſaſſe. Hic tantum agitur de Miniſtro Sacramentorum ordinario. Lutherus docet omnibus Baptizatis eamdem ineſſe Sacramenta adminiſtrandi poteſtatem; licet, inquit, ad vitandam confuſionem ſoli ad Miniſterium vocati hac poteſtate uti debeant, dum nulla urget neceſſitas. Calvinus e contra ſolis ad Miniſterium vocatis hanc poteſtatem competere docet; ita ut etiam in extrema neceſſitate aliis baptizandi poteſtatem deneget. Contra quos

Dico: Ordinarius Sacramentorum Miniſter eſt

ſolus homo, viator, rationis compos; non tamen omnis, licet Chriſtianus, reſpectu omnium.

*Prob.* 1. pars. Quia Chriſtus Dominus non Angelis aut animabus ſeparatis, ſed ſolis viatoribus dixit: *Docete omnes, baptizantes, &c. Hoc facite in meam commemorationem: Quorum remiſeritis peccata, &c.* Ratio eſt; quia opportunum erat, ut Sacramenta pro hominibus inſtituta ab hominibus miniſtrarentur, & ſigna ſenſibilia a creaturis ſenſibilibus exercerentur.

*Prob.* 2. pars. Quia opus erat, ut Sacramenti confectio & adminiſtratio actio eſſet humana, & cum certa intentione adminiſtraretur, proindeque ut Miniſter rationis uſum haberet: unde a Sacramentorum adminiſtratione excluduntur Infantes, & Amentes.

*Prob.* 3. pars. Quia, ſi omnes Chriſtiani Sacramentorum eſſent ordinarii Miniſtri, nulla in Eccleſia foret graduum & officiorum diverſitas; & ſingula Eccleſiæ membra eumdem actum haberent, contra illud Apoſtoli, 1. Cor. 12. *Numquid omnes Apoſtoli, numquid omnes Prophetæ?* Deinde evidens eſt ex Evangelio, Chriſtum Dominum omnibus Chriſtianis non dixiſſe: *Hoc facite, &c. Quorum remiſeritis, &c.*

## QUÆSTIO II.

### *Utrum Fides & probitas in Miniſtro requiratur.*

*Not.* QUæſtio hic procedit tam de licita quam de valida Sacramentorum adminiſtratione. Et 1. Utrum valeant Sacramenta ab Infideli aut peccatore collata. 2. Utrum ea licite conferre poſſint. Pro quibus

Dico I. Quilibet Infidelis & peccator Sacramenta valide conficere ac miniſtrare poteſt, modo

omnia eſſentialia, quæ ad Sacramentum conficiendum aut conferendum pertinent, ſervaverit.

*Prob.* 1. Concluſio, quæ eſt Fide adverſus Donatiſtas, Albigenſes, Wicleſiſtas, alioſque Hæreticos, auctoritate Conc. Arel. Can. 8. Nicæni I. Can. 8. Carthag. I. c. 1. Conſtant. ſeſſ. 8. Trid. ſeſſ. 7. Accedit plurimorum SS. Patrum auctoritas, maxime Auguſt. lib. 1. de Baptiſmo, cap. 7. *Recte baptizatos*, inquit, *a quavis hæreſi venientes abſque novo baptiſmate recipiendos, antiquiſſima conſuetudo ſemper & ubique tenuit*: & c. 14. ait: *Quid tibi facit malus miniſter, ubi bonus eſt Dominus?*

*Prob.* 2. Ratione. Quia Miniſter non virtute propria, ſed virtute Chriſti operatur. Unde ſicut ſemen jactum in terram non minus fructificat, dum a malo quam a bono ſeminatur; ita Sacramentum æqualiter validum eſt, dum ab Infideli & peccatore quam a Fideli & juſto conficitur. Hinc Auguſtinus ait: *Non timeo adulterum, non Ebrioſum, non Homicidam; quia Columbam attendo, per quam mihi dicitur, Hic eſt qui baptizat.* Deinde poteſtas Sacramentum conficiendi, eſt gratia gratis data; id eſt, ad ſalutem alterius ordinata. Sed hæc gratia ob errorem aut peccatum non tollitur. Ergo

Dixi in concluſione: *Modo omnia eſſentialia ſervaverit*: Excipitur ſiquidem Pœnitentiæ Sacramentum, ad quod valide miniſtrandum, præter poteſtatem Ordinis, prærequiritur poteſtas Juriſdictionis, qua carent Schiſmatici, Hæretici, Degradati, &c.

Dico II. Quilibet Miniſter, tum ſolemnitatis, tum neceſſitatis, in ſtatu peccati mortalis Sacramentum conficiens, aut adminiſtrans, peccat mortaliter.

*Prob.* 2. pars, (de prima ſiquidem nullus dubitat) omnibus ferme auctoritatibus, ac rationi-

bus, quibus probatur prima. *Malis non eſt fas*, inquit Dionyſ. lib. de Eccleſ. Hier. *tangere Symbola*. *Neceſſe eſt*, inquit Greg. cap. *Neceſſe* 1. q. 1. *ut munda ſit manus, quæ diluere ſordes curat. Omnia Sacramenta*, ait Auguſt. lib. 2. contra Epiſt. Parmen. c. 19. *obſunt indigne tractantibus*. Ratio eſt, quia ipſum naturæ lumen dictat, quod Sancta ſancte tractentur, graviſque ſit irreverentia, quod Chriſti inimicus & Diaboli mancipium præſumat ſanguinem ejus ac merita diſpenſare.

Nec refert quod hæc diſpenſatio ſolemniter fiat aut privatim, ex officio, aut neceſſitate. Quia hæc circumſtantia irreverentiam minime tollit, cum de Jure naturali ſit atque divino, quod Sancta ſemper ubique & in qualibet circumſtantia ſancte tractentur.

*Confir.* Auctoritate Conc. Eliber. can. 38. ubi ſtatuitur: *Fidelem, qui lavacrum ſuum integrum habuerit*: id eſt, cujus conſcientia a gravi ſorde fuerit immunis, *poſſe baptizare Cathecumenum infirmitatis neceſſitate oppreſſum, ſi Eccleſia in proximo non fuerit*. Accedit Auctoritas Conc. Aquenſ. 1585. *Parochi igitur omneſque alii, ad quos cujuſvis Sacramenti adminiſtratio ſpectat, quam diligentiſſime videant, ne lethalis peccati labe infecti, dum aliorum ſaluti ſtudent, ſibi æternæ damnationis ſint Miniſtri*. Atqui in neceſſitate ad omnes Fideles ſpectat, ex inſtitutione Chriſti, Baptiſmi adminiſtratio, illiuſque veri ſunt Miniſtri. Ergo non ſecus ac Parochi tenentur quam diligentiſſime videre, &c.

Objicies auctoritatem D. Thom. docentis Laicum peccatorem in neceſſitate baptizantem non peccare. Immo idem aſſerit de Sacerdote, in eadem neceſſitate Baptiſmi, aut Pœnitentiæ Sacramentum conferrente.

R. D. Thomam hic eſſe intelligendum de neceſſitate adeo urgente, ut ſpatium non adſit contri-

tritionis eliciendæ; quia cum in hoc caſu duo ſimul præcepta, Religionis ſcilicet, & charitatis, urgentia impleri non poſſint; primum ſecundo cedere debet, ex voluntate præſumpta Chriſti Domini, qui Sacramenta propter homines, non homines propter Sacramenta eſſe voluit. Nam etſi numquam liceat Sacramenta poſitive profanare, licet tamen, ob gravem neceſſitatem, ipſi omnem reverentiam eorum ſanctitati debitam non adhibere, dum aliter fieri nequit. Hinc

*Reſol.* 1. Confirmantem, Ordinantem, Baptizantem ex officio & cum ſolemnitate in gravi peccato, longe gravius peccare quam qui baptizat ex neceſſitate, licet duplex peccatum non committat, quia non peccat contra duas virtutes, ſed contra ſolam Religionem.

*Reſol.* 2. Sacerdotes in urgente neceſſitate abſolventes, Laici & Obſtetrices in eadem neceſſitate baptizantes, teneri ſub mortali, ſi per tempus licuerit, ut plerumque licet, ad Contritionem ſe ſe excitare, priuſquam Sacramentum adminiſtrent, dum peccati mortalis ſibi ſunt conſcii.

*Reſol.* 3. Baptizantes, Abſolventes, &c. in malo ſtatu, tot numero peccata committere, quot perſonas baptizant, & abſolvunt, quia quælibet Baptiſmi, & Abſolutionis adminiſtratio, actio eſt integra, & completa. Qui vero per ſemihoram quinquaginta perſonis, abſque morali interruptione, Euchariſtiam adminiſtraret, unicum peccatum committeret; quia licet omnes hæ adminiſtrationes ſint actiones phyſicæ completæ, in unam tantum moralem coaleſcunt. Hæc tamen circumſtantia in Confeſſione eſt aperienda, utpote notabiliter aggravans.

Quær. 1. An & qualiter peccent Miniſtri ſacras functiones in mortali exercentes?

R. 1. Diaconos, & Subdiaconos, Ordinum ſuorum officia ſolemniter in mortali exercentes, mor-

taliter peccare. Id constat auctoritate Apostoli jubentis I. Tim. 3. *Ut Diaconi Mysterium Fidei habeant in conscientia pura . . . & sic ministrent nullum crimen habentes.* Et Greg. IX. c. *Quæsitum de temp. ord.* dicit quod Clerici *monendi sunt, & sub interminatione divini judicii, & in testimonium suæ damnationis, ut in susceptis etiam Ordinibus non ministrent, si in aliquod crimen occultum sunt lapsi, & nondum ipsos pœnituerit.* Accedit ratio jam expolita, quod malum sit graveque peccatum res sacras in re gravi irreverenter tractare. Atqui Diaconorum, ac Subdiaconorum graves sunt functiones, cum ad Eucharistiæ confectionem proxime accedant. Ergo, &c. Secus dicendum est de minoribus Ordinibus, quorum functiones non videntur sacræ; ideoque sæpius a Laicis exercentur. Excipe tamen Exorcistæ functionem, tum quia ab ipsismet Sacerdotibus exercetur; tum quia injuriam Christo inferre censetur, qui ejus nomine Dæmonem compescere præsumit, per peccatum mortale mancipium ejus existens.

R. 2. Non peccare mortaliter, qui in malo statu aquam lustralem conficiunt, Templum aut Altare consecrant; quia in his & similibus Sacramentum non conficiunt, nec irreverentiæ materia adeo videtur gravis, ut in mortale peccatum exeat. Idem dicendum videtur de Chrismatis vel Olei infirmorum consecratione, ob eamdem rationem.

Nec refert 1. quod Chrisma & Oleum infirmorum materia sit Sacramenti; alioquin peccator, qui panem pro Eucharistia conficienda coqueret, mortaliter peccaret. Nec refert 2. quod Episcopus vi Ordinationis suæ Chrisma & Oleum consecret: nam vi etiam Ordinationis suæ Templum consecrat; nec tamen, ut omnes fatentur, mortaliter peccat in malo statu illud consecrando.

R. 3. Concionatores in malo statu Conciones agentes, mortaliter peccare censentur, nisi ad hu-

humiliationem & contritionem ſe ſe excitent, priuſquam pulpitum aſcendant, & hoc quidem non ſolum quia irreverenter verbum veritatis tractant, ſed 1. Ob grayiſſimum populi ſcandalum, ſi criminoſi ſint publici. 2. Ob eorum horribilem hypocriſim, ſi ſint occulti. 3. Ob expreſſam Dei inhibitionem: *Peccatori* namque *dixit Deus* Pſ. 49. *Quare tu enarras juſtitias meas, & aſſumis teſtamentum meum per os tuum?*

Quær. 2. An Miniſter peccator confiteri teneatur, priuſquam Sacramentum conficiat aut miniſtret: vel utrum ſufficiat, ut perfecte conteratur?

℟. Præcepti eſt, non ſolummodo conſilii, ante cujuslibet Sacramenti confectionem & adminiſtrationem peccata mortalia confiteri: nec ſufficit ut quis perfecte conteratur, dum adeſt copia Confeſſarii. De Euchariſtiæ Sacramento nullum ſubeſſe poteſt dubium, cum id Trid. expreſſe definivit ſeſſ. 13. can. 11. & c. 7. dicens: *Illis, quos conſcientia peccati mortalis gravat, quantumcumque etiam ſe contritos exiſtiment, habita copia Confeſſarii, neceſſario præmittendam eſſe Confeſſionem ſacramentalem* ſed eædem pro aliis Sacramentis rationes urgent.

1. Quia Miniſter peccator, qui Confeſſionem ſacramentalem negligit dum adeſt copia Confeſſarii, periculo ſe committit Sacramenta irreverenter tractandi. 2. Quia nulla eſt contritio abſque voto ſacramentalis Confeſſionis; quod votum non cenſetur habere, qui confiteri non dignatur, cum facile poſſit, ut ſecuriori conſcientia Sacramentum adminiſtret. His rationibus accedit Catech. Rom. Auctoritas p. 2. c. 5. *Quoties*, inquit, *aliquam rem tractare aggredimur, cujus tractatio homini peccatis contaminato non conveniat, veluti cum Sacramenta adminiſtramus, aut ſuſcipimus, toties Confeſſio prætermittenda non eſt.*

QUÆ

## QUÆSTIO III.

*Utrum, & qualis in Sacramentorum Miniſtro requiratur intentio.*

*Not.* INtentio, quæ eſt actus voluntatis, quo quis ad finem tendit ab intellectu propoſitum, dividitur in actualem, virtualem, habitualem, directam, indirectam ſeu interpretativam, abſolutam, & conditionatam, materialem, & formalem.

*Actualis* intentio dicitur ea, qua quis hic & nunc vult rem de qua actu cogitat. *Virtualis* dicitur ea, qua quis operatur ex vi actualis intentionis præhabitæ, nec per intentionem contrariam, nec per notabilem temporis moram interruptæ, licet hic & nunc non attendat ad id quod exequitur.

*Habitualis* dupliciter ſumitur: vel pro facilitate operandi ex actibus repetitis comparata, & hæc actualis, aut virtualis eſſe poteſt; vel pro ſolo habitu ex actu relicto, ita ut voluntas nec in ſe, nec in virtute ſua ad operationem concurrere cenſeatur, ut fit in ſemi-ebrio, aut ſemi-ſopito, & hæc proprie dicitur habitualis intentio.

*Directa* ea eſt, qua res in ſe intenditur: *Indirecta*, qua res intenditur in altero, ex quo ſecutura prævidetur.

*Materialis* intentio ea eſt, qua quis intendit nudam tantum ac materialem actionem externam exequi, non attendendo utrum naturalis ſit, vel ſacramentalis. *Formalis* vero ea eſt, qua quis intendit facere quod facit Eccleſia, quodque Chriſtus inſtituit; idque vel explicite, ita ut omnia in particulari intendat facere, quæ facit Eccleſia, & Chriſtus inſtituit: vel implicite, ita ut ea tantum intendat generaliter & confuſe. His notatis

Dico I. Ad valorem Sacramenti neceſſario requi-

quiritur vera ac ſincera intentio Miniſtri volentis, generaliter ſaltem & confuſe, facere quod facit Eccleſia, aut quod Chriſtus inſtituit.

*Prob.* 1. Concluſio, quæ eſt de Fide contra Lutheranos, Calviniſtas, ceteroſque ſectarios docentes, nudam actionem externam, etiam ex joco factam, ſufficere, probatur, inquam, auctoritate Martini V. jubentis, ut ſuſpecti de hæreſibus a Concilio damnatis, inter alia interrogentur, an credant quod malus Sacerdos cum debita materia & forma, *& intentione faciendi quod facit Eccleſia*, vere conficiat & conferat Sacramenta. Item ex Decreto Eugenii IV. in Florentino, ubi docet Sacramenta tribus perfici, Materia & Forma, & intentione Miniſtri faciendi quod facit Eccleſia. Item ex Trid. ſeſſ. 7. Can. 11. Anathematizante quemcumque dicentem in Miniſtris, dum Sacramenta conficiunt, & conferunt, non requiri *intentionem faciendi quod facit Eccleſia*.

*Prob.* 2. Ratione multiplici. 1. Quia actio, quæ ad varios fines referri poteſt, ad unum non determinatur, niſi qui illam præſtat, ita velit, aut ita ſe velle ſignificet. Sed actio Sacramentalis ad varios fines referri poteſt. Infans ſiquidem aqua tingi poteſt, vel propter munditiem, vel propter ſanitatem, vel propter jocum. *Ergo* neceſſe eſt, ut determinetur ad eſſe Sacramenti per intentionem abluentis, 1. Ut Sacramentum valide conferatur, neceſſe eſt ut qui illud adminiſtrat, ſe gerat, ut Eccleſiæ & Chriſti Miniſter. Sed talis ſe gerere utique non poteſt, niſi facere intendat quod facit Eccleſia, vel quod Chriſtus inſtituit. Ergo.

Dixi in concluſione, *ſaltem generaliter & confuſe*. Quia neceſſario non requiritur diſtincta cognitio, rectaque Fides Eccleſiæ, & Myſteriorum, quæ in Sacramentis continentur, cum & Pagani, quibus hæc ſunt incognita, Baptiſmum valide conferre poſſint, modo ſaltem intendant facere quod

ab ipsis Christianus exigit ; cum ab ipsis nihil exigat, nisi quod Christus instituit, & quod facit Ecclesia. Item Hæretici, qui negant, Baptismum gratiam, & characterem conferre, & Ecclesiam Romanam veram esse ; valide baptizant, cum hac generali intentione faciendi quod Christus instituit, & quod facit ea, quam veram credunt Ecclesiam, quia eorum error per hanc generalem intentionem emendatur.

Ceterum, licet omnes Catholici concedant, ad valorem Sacramenti necessario requiri intentionem faciendi quod facit Ecclesia, cum ipsa tria intendat : 1. Ritum externum a Christo institutum, seu formam materiæ applicare. 2. Actionem sacram, seu ad constituendum Sacramentum elevatam, peragere. 3. Per hanc actionem effectus sacramentales producere, gratiam scilicet & characterem conferre ; controvertuntur Catholici, quale debeat esse objectum intentionis in Sacramentorum administratione.

Concedunt quidem omnes illicitam esse Sacramentorum administrationem absque hac triplici intentione, nisi forte indeliberatio aut ignorantia invincibilis excuset ; & tertiam necessario non requiri, cum negantes gratiam in Sacramentis conferri, & characterem imprimi, æque valide administrent. Sed nonnulli censent, contra communem Doctorum sententiam, primam sufficere, nec secundam necessario requiri. Contra quos

Dico II. Ad valorem Sacramenti non sufficit ut Minister intendat Ritum externum a Christo institutum, velitque serio formam materiæ applicare, sed omnino necessarium est, ut intendat quodammodo Sacramentum, seu rem sacram aut sacramentalem peragere.

*Prob.* 1. Ex Trid. sess. 14. c. 6. ubi legitur : *Non debet Pœnitens adeo sibi de sua ipsius Fide blandiri, ut etiamsi . . . Sacerdoti animus serio*

agen-

*agendi, & vere abſolvendi deſit, putet ſe eſſe abſolutum vere & coram Deo.* Deinde Alex. VIII. hanc damnavit propoſitionem: *Valet Baptiſmus collatus a Miniſtro, qui omnem Ritum externum formamque baptizandi obſervat, intus vero in corde ſuo apud ſe reſolvit: Non intendo facere quod facit Eccleſia.*

Fruſtra replicant Adverſarii, Conc. Trident. & Alex. VIII. hic voluiſſe tantum condemnare errorem Lutheri docentis, Sacramentum jocoſe, aut mimice collatum eſſe validum. Nam conceditur quidem, Tridentinum errorem Lutheri damnare voluiſſe: ſed non impedit, quominus ad validitatem Sacramenti Pœnitentiæ animum vere abſolvendi non ſtatuat eſſe requiſitum. Nec mirum, cum juxta idem Tridentinum de Fide ſit, abſolutionem ſacramentalem non eſſe nudum miniſterium; ſed actum judicialem, qui proculdubio abſque intentione abſolvendi proferri nequit.

Quoad Alex. VIII. ſincere dici non poteſt errorem Lutheri tantum voluiſſe damnare, cum a Tridentino jam ſatis ſuperque fuerat damnatus. Voluit ſiquidem, ſicut & alii hujus ætatis Pontifices, plurimos damnare errores apud ipſoſmet Catholicos hinc inde pullulantes & aſſurgentes; inter quos recenſet ſententiam docentium, ad valorem Sacramenti ſufficere intentionem ſerio faciendi Ritum externum a Chriſto inſtitutum.

*Prob.* 2. Florentinum duo, tamquam neceſſaria, requirit ut Paganus in neceſſitate baptizans valide baptizet. 1. Ut formam Eccleſiæ ſervet. 2. Ut intendat facere quod facit Eccleſia. Atqui formam Eccleſiæ ſervare eſt Ritum externum a Chriſto Domino inſtitutum ponere, & formam ſerio materiæ applicare. Ergo, præter poſitionem Ritus externi, & applicationem formæ ad materiam, aliud requirit, intentionem ſcilicet faciendi quod facit Eccleſia: quæ intentio proculdubio

di-

diversa est ab intentione ponendi serio merum Ritum externum a Christo institutum.

*Prob.* 3. Ex Trid. requiritur intentio faciendi quod facit Ecclesia. Atqui Ecclesia non facit actionem naturalem, sed cæremoniam sactam. Ergo. Respondent nonnulli non opus esse ut Minister habeat adæquatam & totalem Ecclesiæ intentionem; alioquin requireretur, ut vellet per Sacramentum gratiam & characterem producere, cum id intendat Ecclesia. Sed sic respondentes, ad verba Concilii parum attendunt. Concilium non dicit necessariam esse intentionem faciendi quod Ecclesia facere intendit, sed *quod facit Ecclesia*; Ecclesia autem gratiam & characterem non producit; sed facit proculdubio sacram cæremoniam, non vero actionem mere naturalem.

*Prob.* 4. Qui nullatenus cognoscens Ecclesiam, nec distincte, nec confuse, nec directe, nec indirecte, nec in se, nec in alio, filium suum lavaret, hæc verba casu proferendo: *Ego te lavo in nomine Patris*, &c. immo Sacerdos, qui ut alterum mox in Sacerdotem ordinandum instrueret, supra præsentem panem formam Eucharistiæ pronuntiaret; & mulier, quæ sanitatis causa infantem lavando, ex quadam devotione diceret; *Parvule mi, ego te lavo in nomine Patris, &c.* hi omnes Ritum externum a Christo institutum ponerent; & tamen, ut ipsimet fatentur Adversarii, Sacramentum non conficerent. Ergo, propter positionem voluntariam hujus Ritus externi & applicationem formæ ad materiam, requiritur intentio, saltem confusa, faciendi quod facit Ecclesia.

His rationibus accedunt præallatæ in Conclusione præcedenti, quæ istam invincibiliter probant.

Dico III. Curare debet Minister ut actualem intentionem habeat, dicet virtualis sufficiat ad valorem Sacramenti: non sufficit autem habitualis,

nec

nec interpretativa, nec conditionata de futuro contingenti, bene tamen conditionata de præſenti vel præterito.

*Prob.* 1. pars. Ex Rubr. Miſſ. p. 3. tit. 7. n. 8. ubi id expreſſe commendatur, idque exigit reverentia debita tantis Myſteriis, quæ circa peccatum incuriæ tractari non poſſunt, juxta illud oraculum: *Maledictus qui facit opus Dei negligenter.* Hinc

*Reſol.* Peccare ſaltem venialiter, qui deliberate diſtrahitur in conficiendis Sacramentis, maxime Euchariſtiæ. Dixi, *ſaltem venialiter*: poſſet namque peccare mortaliter, ſi tanta negligentia Sacramenta pertractare conſuevíſſet, ut in ea cenſeretur adeſſe contemptus virtualis & interpretativus. Notandum eſt tamen, quod ad actualem habendam intentionem non eſt neceſſe ut quis expreſſe dicat, *Volo conſecrare*, *Volo baptizare*: ſed ſufficit ſi ad actionem ſacramentalem advertat, ipſamque advertenter ponat.

*Prob.* 2. pars. Quia id neceſſario non requiritur, quod non eſt in noſtra poteſtate. Atqui non eſt in poteſtate noſtra, ut ſemper actualem intentionem habeamus. Ergo hæc non requiritur, & ſufficit virtualis; cum ad valorem Sacramenti ſatis ſit ut actio ſacramentalis ſit humana & libera, & per eam voluntas ad confectionem Sacramenti vere influat; ad eam autem vere influit virtualis intentio. Hinc

*Reſolv.* Qui ex intentione baptizandi, conſecrandi, abſolvendi, ad Baptiſterium, Sacriſtiam, aut Confeſſionale accedit, valide baptizat, conſecrat & abſolvit; licet poſtea in ipſo actus exercitio cogitatio ejus ad alia rapiatur.

*Prob.* 3. pars. Quia habitualis intentio in actionem ſacramentalem influere non cenſetur cum nec in ſe, nec in virtute ſua remaneat; ſed tantum in habitu ex præterita intentione relicto, quo fit ut operans dumtaxat ex illo habitu humano mo-

do

do non operetur, ſed potius more Brutorum. Deinde dormiens & ebrius, qui formam Sacramenti materiæ applicaret, proculdubio nihil efficeret, licet habitualem intentionem haberet: ergo hæc minime ſufficit. Hinc

*Reſolv.* Si dormitans quis abſolveret, repetenda eſſet abſolutio, quia humano modo non ageret. Item nulla foret abſolutio Sacerdotis, qui poſt expreſſam intentionem alicui negotio per ſemi horam aut quadrantem operam daret, non renovata intentione, quia intentio præterita, & per tempus notabile moraliter interrupta, cenſetur habitualis.

*Prob.* 4. pars. Quia ſacramentalis actio debet eſſe in ſe ipſa, non in alio volita, ut vere ac proprie ſit humana, & opus eſt ut Miniſter moraliter certus ſit ſe rite formam materiæ applicare. Nec refert quod intentio interpretativa ad peccatum ſufficiat: ratio namque diſparitatis eſt, quia malum ex quolibet defectu procedit, bonum vero ex integra cauſa; nec bonum quis operari cenſetur, niſi ipſum directe, & in ſe velit. Hinc

*Reſol.* Si quis experimentum habens ſe ſolere inter dormitandum verba Conſecrationis ſuper panem proferre, & prope panem appoſitum ſomno ſe daret, cum intentione conſecrandi, non tamen ob id conſecraret.

*Prob.* 5. pars. Quia Sacramentum ſub hac conditione datum numquam ſubſiſteret; vel enim ſtatim ſubſiſteret, vel ſubſiſteret dum purificatur conditio. Non primum, cum Sacramentum non exiſtat niſi dependenter ab intentione Miniſtri: Miniſter autem non vult quod tunc ſubſiſtat. Non ſecundum, quia jam purificata intentione non amplius ſuperſunt materia & forma, quæ partes ſunt Sacramenti eſſentiales, ſine quibus ſubſiſtere nequit.

Nec refert, quod juxta plurimos Doctores Matri-

trimonium contrahi poſſit ſub conditione de futuro contingenti; quia Matrimonium eſt eſſentialiter contractus, qui poteſt fieri validus abſque novo conſenſu, dum purificatur ſuſpenſiva conditio. Adde quod communius doceant Doctores cum D. Th. & D. Bonav. tunc Matrimonium, abſque novo conſenſu, non fore validum. Hinc

*Reſolv.* Invalida eſſe Sacramenta ſub hac conditione collata: *Abſolvo te, ſi reſtitutionem feceris: Baptizo te, ſi bene vixeris, &c.*

*Prob. 6. pars.* Quia conditio de præſenti, aut præterito æquivalet abſolutæ: vel enim hæc conditio ſubſiſtit, vel non. Si primum, Sacerdos vult abſolute Sacramentum conferre: ſi ſecundum, abſolute non vult. Obſervandum eſt tamen opus eſſe, ut appoſita conditio naturaliter ſciri poſſit; alioquin perinde erga nos ſe haberet ac ſi foret incerta, proindeque humano ac rationabili modo non poneretur. Hinc

*Reſolv.* Invalidum eſſe Baptiſmum ſub hac conditione collatum: *Si ad gloriam ſis prædeſtinatus*; quia id nobis naturaliter eſt ignotum atque incertum, ſicque reſpectu noſtri omnino contingens.

Quær. An Miniſtri intentio dirigi debeat ſuper rem determinatam, præſentem & ſenſibilem?

R. Affirmative. Quia in Sacramentis conficiendis intentio proportionari debet ſignificationi formæ: alias Miniſter aliud vellet, & aliud exprimeret. Atqui forma Sacramentorum rem, aut perſonam determinatam, præſentem & ſenſibilem exprimit: *Ego te baptizo: Hoc eſt corpus meum*, &c. Ergo. Hinc

*Reſolv.* 1. Si quis ex pluribus hoſtiis unam tantum conſecrare vellet, nullam determinando; aut ſi quis unum Cathecumenum inter plures baptizare vellet, nullum aſſignando; aut ſi quis volens iterum a peccatis jam confeſſis abſolvi, nihil expreſſe determinaret, ſed in genere confiteretur ſe

ali-

aliquando fornicatum aut furatum fuisse, nihil efficeretur.

*Resol.* 2. Hujus determinationis defectu, Sacerdos non consecrat hostias extra Corporale positas; quia non censetur velle consecrare in loco ab Ecclesia prohibito. Consecraret tamen duas sibi adhærentes hostias, licet unam duntaxat adesse crederet; quia censetur determinate velle consecrare materiam, quam habet præ manibus. Quoad vini guttas Calici adhærentes, si exterius adhæreant, non sunt consecratæ, quia Sacerdos non censetur velle consecrare nisi contentum in Calice; quapropter si interius adhæreant, erunt consecratæ, nisi Sacerdos eas excluserit.

*Resolv.* 3. Nulla est absolutio Pœnitenti absenti, aut non moraliter præsenti collata; quia præsentia tanta & talis requiritur, qualis & quanta est inter eos, qui invicem alloquuntur, suaque inter se peragunt negotia. Item si juxta communem existimationem moraliter non esset præsens Consecrationis materia, immo & moraliter propinqua, nulla esset consecratio, v. gr. si a consecrante 30. distaret passibus, si post tergum, aut parietem posita, vel in Tabernaculo clausa. Præsens tamen censetur, si in Pixide esset clausa, & Pixis in Altare esset posita: non autem præsens censeretur si sub Corporali, vel sub Calicis pede, vel sub mappa esset occultata; quia, cum hæc ad continendum non sint nata, præsens non esset nec ratione sui, nec ratione continentis.

*Resolv.* 4. Licet Ministri intentio ad personam præsentem debeat esse determinata, non est tamen necesse ut in hanc personam in individuo dirigatur: potius nimirum ad Joannem quam ad Petrum, ad masculum quam ad fœminam. Unde Minister, qui putans absolvere Petrum, absolveret Joannem, absolutio esset valida. Idem de aliis

Sa-

Sacramentis eſt dicendum, excepto Matrimonio. Ratio eſt, quia licet Miniſter erret in perſona particulari, non tamen errat in perſona præſente, ad quam ejus intentio dirigitur: unde ejus error in hoc eſſet tantum accidentalis, prout qui panem præſentem fermentatum conſecraret, putans eſſe azymum.

Dixi, *excepto Matrimonio*, in quo error perſonæ ſubſtantialis cenſetur; quia contrahens cum tali perſona determinata, ſecluſis omnibus aliis intendit contrahere. Unde aliorum Sacramentorum Miniſter, qui intentionem ſuam ſic reſtringeret erga perſonam, aut materiam à ſe excluſam, nihil proculdubio efficeret.

*Reſolv.* 5. Cum forma materiam ſenſibilem exprimat, Sacerdos valide non abſolveret Pœnitentem, quem nullo ſenſu perciperet, nec valide panis materiam adeo parvam conſecraret, ut de ſe perceptibilis non eſſet.

Dixi, *de ſe*: nam valide conſecrantur Particulæ, ſeu fragmenta multarum Hoſtiarum, ſuper Corporale, aut in Pixide poſitarum: quia ſi de ſe percipi non poſſint, percipiuntur tamen per Hoſtias ſibi adjunctas. Immo cenſent communiter Doctores, Hoſtiam non conſecratam, inter conſecratas indiſcriminatim permixtam, valide conſecrari poſſe; quia de ſe perceptibilis eſt, & a pronomine *Hoc* moraliter demonſtrari poteſt.

## CAPUT V.

### *De Sacramentorum ſubjecto.*

SAtis eſt evidens, ſolum hominem viatorem non tamen omnes homines, omnium Sacramentorum eſſe ſubjectum; cum Sacramenta nonniſi ad ſalutem hominis viatoris ſint inſtituta; nec om-

nes

nes homines omnium Sacramentorum ſunt capaces: Infantes Matrimonii, Fœminæ Ordinis, & cetera, quæ ſuo videbuntur loco. Sola igitur Quæſtio eſt de diſpoſitionibus, tum ad validam, tum ad licitam Sacramentorum ſuſceptionem. Pro quibus ſit.

## QUÆSTIO I.

### *Quænam ſint diſpoſitiones ad validam Sacramentorum ſuſceptionem.*

*Not.* SOla diſpoſitio ad validam Sacramentorum ſuſceptionem, eſt conſenſus ſeu intentio. Unde quæritur hic, utrum, & qualis requiratur intentio, tum in infantibus, tum in adultis. Circa quod

Dico I. Nulla requiritur intentio in rationis impotentibus, ipſiſque valide quædam miniſtrari poſſunt Sacramenta; Baptiſmus ſcilicet, Confirmatio, Euchariſtia, & Ordo. Concluſioque eſt contra Lutherum, fidem actualem in quolibet baptizato requirentem.

*Prob.* Tum ex praxi univerſalis Eccleſiæ, quæ tales baptizat, riteque baptizatos cenſet, tum ex Flotent. Concilio, quod ad valorem Sacramentorum requiſita enumerans, nullam mentionem facit intentionis ſuſcipientis; id proculdubio pro his, qui rationis impotentes valide Sacramenta recipiunt. Ratio eſt, quia in ſupradictis Sacramentis forma & materia neceſſariæ habentur abſque actibus propriis ſuſcipientium; non autem in Pœnitentia, cujus materia actus ſunt Pœnitentis; nec in Matrimonio, quod utriuſque partis conſenſu perficitur, nec in Extrema Unctione, per quam actualium peccatorum reliquiæ, quæ infantes, rationis impotentes, committere non potuerunt, delentur.

Dico

Dico II. In adultis rationis compotibus requiritur vera intentio, & quidem poſitiva, neceſſario tamen actualis, nec virtualis, nec directa neceſſaria eſt; ſed ſufficit habitualis, & quandoque interpretativa.

*Prob.* 1. pars ex Chriſti Domini voluntate, & inſtitutione, nobis evidenter manifeſtata: tum ex continuata praxi Eccleſiæ, quæ numquam ſimpliciter invitis, & omnino reluctantibus Sacramenta miniſtravit: tum ex injuſtitia, quæ committeretur, ſi etiam invito graves Baptiſmi, aut Ordinis obligationes imponerentur; tum ex gravi inconvenientia, quæ adeſſet ſi Deus etiam reluctantem familiæ ſuæ adſcriberet, filiumque ſuum & hæredem conſtitueret.

Dixi, *ſimpliciter invitis*: valide ſiquidem conferri poteſt Sacramentum ſecundum quid invito; ei ſcilicet, qui Sacramentum non ſuſcipiendi velleitatem habet, qui tamen abſolute conſentit: ſic plurimi Sancti, licet inviti, valide tamen Sacerdotes, aut Epiſcopi fuerunt ordinati.

*Prob.* 2. pars: quod nempe neceſſarius ſit conſenſus poſitivus, ita ut qui nec conſentiens, nec diſſentiens mere negative ſe haberet, invalide Sacramentum ſuſciperet. Prob. inquam, ut ſuperius ex Chriſti Domini voluntate, quæ maxime patet in eo quod minime ſit credibile, Deum juſtificare velle adultum nequidem de ipſo cogitantem, juxta illud Auguſtini: *Qui te creavit ſine te, non te ſalvabit ſine te*. Nec refert quod ſic parvulos juſtificet: quia, cum parvuli ſint conſenſus incapaces, ſufficit pro eis parentum aut Eccleſiæ conſenſus: ut convincit ejuſdem Eccleſiæ invariata praxis & traditio.

*Prob.* 3. pars ex uſu & praxi Eccleſiæ, Conciliis, & Ritualibus, quibus conſtat Sacramenta, excepto Matrimonio, & Euchariſtia, propter irreverentiæ periculum, valide ac licite miniſtrari

Phreneticis, & aliis usu rationis destitutis, si ea desiderare aliquo signo manifestaverint; quibus tamen inesse non potest nisi habitualis intentio. Immo interpretativa quandoque sufficit, dum scilicet moribundo Baptismus & Pœnitentia conferuntur, quia ex fide catholica, quam addiscere voluit, & vita christiana quam duxit, jure ac merito censetur necessaria suscipere. Sed de his fusius suo loco.

## QUÆSTIO II.

### *Quænam sint dispositiones ad licitam Sacramentorum susceptionem.*

DIversæ, pro diversis Sacramentis, dispositiones requiri patet, ad licitam eorum susceptionem. Sacramenta siquidem mortuorum, Baptismus scilicet, & Pœnitentia; quæ pro hominibus coram Deo mortuis sunt instituta, licite recipiuntur à gratia sanctificante destitutis; modo fidei, spei, & attritionis actus præcesserint. Sacramenta autem vivorum, Confirmatio nimirum, Eucharistia, Extrema Unctio, Ordo, & Matrimonium, quæ pro hominibus vita spirituali viventibus sunt instituta, vivificantem gratiam proculdubio prærequirunt. Sed cum de his omnibus dispositionibus singulatim nobis sit agendum de Sacramentis in particulari; totam quæstionem ad unum articulum revocabimus: Utrum scilicet Sacramenta suscipere liceat a Ministro indisposito seu improbo: cui data occasione, alterum superaddemus; utrum nempe indisposito, seu peccatori Sacramenta ministrare liceat.

## ARTICULUS I.

### *Utrum liceat a Miniſtro indiſpoſito Sacramenta petere, & ſuſcipere.*

*Not.* 1. Duplicem eſſe Sacramentorum Miniſtrum; alium ſcilicet ex officio, ut Epiſcopus & Parochus, alium ex delegatione dumtaxat, ut quilibet deputatus; iſte autem, vel jam eſt expoſitus, & ad Sacramenta conferenda paratus, ut Confeſſarius pro tribunali ſedens, & Sacerdos Euchariſtiam in Altari diſtribuens; vel non eſt expoſitus.

*Not.* 2. Miniſter indiſpoſitus aut in malo ſtatu exiſtens, vel eſt Hæreticus, vel Schiſmaticus, vel quilibet alius peccator. Si Hæreticus, & Schiſmaticus, vel eſt occultus, aut non omnino notorius, vel ita notorius eſt, ut ejus Hæreſis, & Schiſma nulla tergiverſatione celari, aut excuſari poſſit; prout ſunt Apoſtatæ ad partes Hæreticorum publice tranſeuntes, vel prout forent Sacerdotes, aut Epiſcopi, aut ceteri, qui in partibus etiam Catholicorum, & in ipſo Eccleſiæ ſinu Cœnam Calviniſticam publice celebrarent, aut quamlibet manifeſtam hæreſim quovis actu publico palam profiterentur. Si malus Miniſter ſit quilibet alius peccator, vel ab Eccleſia toleratus eſt, vel non toleratus; id eſt, vel contra ipſum ſententia excommunicationis, vel ſuſpenſionis juridice lata fuit & promulgata, vel non promulgata fuit.

*Not.* 3. Duplicem eſſe Sacramentorum ſuſcipiendorum neceſſitatem, unam extremam, moralem alteram. Extrema dicitur neceſſitas, imminens mortis periculum, in quo moribundus Sacramentis ad ſalutem abſolute neceſſariis indiget: ut Baptiſmo Cathecumenus, & Pœnitentia peccator. Moralis autem neceſſitas alia eſt gravis, alia levis:

gravis cenſetur, dum urget præceptum Confeſſionis annuæ, aut confitendi pecati mortalis; & levis æſtimatur, dum quædam adeſt utilitas Jubilæi, aut Indulgentiam plenariam lucrandi, Euchariſtiam Feſtis ſolemnioribus frequentandis, &c. His notatis.

Dico I. Nefas eſt abſque neceſſitate Sacramenta petere ac ſuſcipere a quovis Miniſtro malo, ſive proprius ſit Miniſter, ſive tantum delegatus, ſive ad Sacramenta conferenda ſit expoſitus, ſive non.

*Prob.* Quia, uti jam alibi diximus, charitas vetat ne occaſionem ruinæ ſpiritualis proximo præbeamus, dum abſque gravi noſtro incommodo aliqua actione ipſum ad malum inducente abſtinere poſſumus. Adde quod cum nullum rationabile motivum habeamus, ut Miniſtrum malum ad ſacrilegam adminiſtrationem inducamus, jure merito cenſemur eum expreſſe velle ad ſacrilegium inducere. Ratiocinandum eſt igitur de eo, qui abſque neceſſitate a malo Miniſtro Sacramentum petit, ac de eo qui gladium volenti ac ipſum aut alium occidere, miniſtrat, vel de eo qui volenti ſe ſe inebriare, vinum ſuppeditat.

Dico II. A Miniſtro malo ab Eccleſia tolerato, ſi Paſtor ſit proprius, in quavis neceſſitate, etiam moraliter levi, Sacramenta petere ac ſuſcipere licet.

*Prob.* Eadem ratione qua convincitur licitum eſſe juramentum exigere ab infideli, qui per falſos Deos juraturus prævidetur; quia nimirum Parochianus jure ſuo utitur in re de ſe bona, ſibique a Parocho ex juſtitia debita.

Dico III. A Miniſtro malo delegato, & jam expoſito, Sacramenta petere ac ſuſcipere licet, in neceſſitate moraliter gravi, non autem in levi tantum.

*Prob.* Quia gravi urgente neceſſitate Sacramenta petens, non cenſetur proprie Miniſtrum malum

lum ad ſacrilegium inducere, quod ex ſe jam paratus eſt perpetrare, ſed jam ejus voluntate determinata ad malam actionem, quam recte facere poſſet, ea utitur ad malum ſpirituale a ſe avertendum. Non ſecus ac pauper, qui in neceſſitate mutuum ab uſurario licite petit. Dixi, *non autem in levi tantum*; quia charitas poſtulat, ut cum levi noſtro incommodo offenſam Dei & occaſionem mali a proximo avertamus.

Dico IV. Qui abſque neceſſitate Sacramenta petit a Miniſtro excommunicato, licet tolerato, præter peccatum mortale, minorem incurrit excommunicationem.

*Prob.* Quia tunc non ſolum cauſa eſſet inexcuſabilis ſacrilegii a Miniſtro excommunicato perpetrati; ſed infringeret Legem Eccleſiæ, quæ Fidelibus in Bulla *Ad evitanda* facultatem non conceſſit cum excommunicato, non denuntiato, communicandi in Sacramentorum adminiſtratione ac ſuſceptione, niſi propter Fidelium neceſſitatem, ut in ea poſiti mediis ad ſalutem neceſſariis non priventur. Ergo dum nulla adeſt neceſſitas, nulla conceditur facultas cum iis communicandi.

Dico V. Sacramenta petere ac ſuſcipere non licet, nec a Miniſtro non tolerato, nec ab Hæretico aut ſchiſmatico notorio, excepto ſolo Baptiſmo, in caſu extremæ neceſſitatis.

*Prob.* Concluſio de Hæreticis, & Schiſmaticis notoriis, cum ipſa pateat de aliis peccatoribus non toleratis. Prob. inquam 1. Ex praxi communique ſenſu Fidelium, qui in omnibus Eccleſiæ ſæculis ſemper & ubique ab Hæreticorum communione abhorruerunt. Quis enim, inquit doctiſſimum Eccleſiæ Gallicanæ lumen clariſſimum, horrore non non perfunderetur, audiens licitum eſſe in ſacris communicare cum hæretico Paſtore Cœnam Calviniſticam in Eccleſia ſuâ publice celebrante, ſub obtentu quod ſententia particulari in ipſum nomi-

natim juridice lata nondum ſit excommunicatus aut depoſitus? 2. Ex præceptis Apoſtolicis, quibus hæreticum hominem poſt primam, & ſecundam correctionem devitare jubemur, & ab excipienda ejus ſalutatione inhibemur, ſub pœna communicandi operibus ejus malignis. 3. Ex innumeris propemodum Sanctorum Patrum ac Conciliorum Oraculis, & Canonibus, maxime 46. Apoſtolorum; in quibus excommunicatione mulctantur, & infidelitate damnantur, qui cum hæreticis oraverint, vel in aliquo ſpirituali communicaverint.

Dixi, *excepto Baptiſmo*; quod probatur expreſſa auctoritate D. Auguſt. lib. 1. de Baptiſmo cont. Donat. cap. 11. *Si quem*, inquit, *forte coegerit extrema neceſſitas, ubi Catholicum, per quem Baptiſmum accipiat, non invenerit ..... per aliquem extra unitatem catholicam poſitum, acceperit ... Si ſtatim de hac vita emigraverit, non eum niſi Catholicum deputamus. Si autem fuerit a corporali morte liberatus, cum ſe Catholicæ Congregationi ..., reddiderit ..., non ſolum non improbamus quod fecit, ſed etiam ſecuriſſime vereque laudamus.* Et confirmatur plurimis Canonibus Baptiſmum e communi regula excipientibus, nimirum *Can.* Præter §. verum *diſt.* 32. *Can.* Arianos 73. 1. qu. 1. *Can.* Si quis & ſeq. q. de Conſecratione, diſt. 4.

Dices, excipiendum etiam eſſe Pœnitentiæ Sacramentum, juxta Conc. Trident. declarationem ss. 14. cap. 7. *Pie admodum, ne hac ipſa occaſione aliquis pereat, in Eccleſia Dei ſemper cuſtoditum fuit, ut nulla ſit reſervatio in articulo mortis: atque adeo omnes Sacerdotes quoslibet Pœnitentes a quibuſvis caſibus, & cenſuris abſolvere poſſunt.* Ergo in extrema neceſſitate licitum eſt a quovis Sacerdote, etiam hæretico, Pœnitentiæ Sacramentum petere; alioquin fruſtra Eccleſia hanc facultatem conceſſiſſet.

R. Cum Bellarmino in ſuis notis ſupra Trid. Concil. omnibuſque antiquioribus Canoniſtis contra recentiores nonnullos, Concilium illis verbis, *omnes Sacerdotes*, nihil egiſſe, ac ne cogitaſſe quidem de Sacerdotibus ab unitate Eccleſiæ præciſis; ſed voluiſſe tantum includere omnes Sacerdotes habiles, & capaces Juriſdictionis ordinariæ vel delegatæ, quales ſunt ſolummodo qui in unitate Eccleſiæ vivunt. Quod

*Prob.* 1. Expreſſa declaratione Congregationis Cardinalium Trident, Interpretum a Fagnano relata. 2. Quia Concilium in hoc capite ſermonem facit de ſola Caſuum reſervatione, ac de ſolis Sacerdotibus, quibus ob reſervationem abſolvere prohibitum eſt, ut patet ex ſermonis contextu. Hæc autem inhibitio ſpectare non poteſt Sacerdotes ab unitate Eccleſiæ præciſos: quibus proculdubio Sacramenti Pœnitentiæ adminiſtratio præciſe non eſt prohibita ob reſervationem, ſed propter Juriſdictionis ordinariæ vel delegatæ incapacitatem. 3. Quia Concilium teſtatur in Eccleſia Dei ſemper fuiſſe cuſtoditum, ut nulla ſit reſervatio in articulo mortis. Sed hoc nequit intelligi niſi de ſolis Sacerdotibus, qui in ejus ſunt communione; cum juxta communiorem veterum Theologorum ſententiam, quos Concilium damnare voluiſſe minime eſt probabile, Sacerdotes ab ejus communione præciſi nullam, etiam in caſu neceſſitatis, poteſtatem habeant. Ergo de ipſis Concilium nequit intelligi.

*Inſtabis*: Credibile non videtur piam Matrem Eccleſiam peccatori, in tanta neceſſitate conſtituto, auxilium ad ſalutem adeo neceſſarium denegare voluiſſe; & Sacerdoti, licet ab ejus unitate præciſo, facultatem abſtuliſſe abſolvendi moribundum, dum nullus alius occurrit Sacerdos.

R. Nihil probat hoc ratiocinium, quia nimis probat: probaret enim, quemlibet Clericum in-

diversa est ab intentione ponendi serio merum Ritum externum a Christo institutum.

*Prob.* 3. Ex Trid. requiritur intentio faciendi quod facit Ecclesia. Atqui Ecclesia non facit actionem naturalem, sed cæremoniam sactam. Ergo. Respondent nonnulli non opus esse ut Minister habeat adæquatam & totalem Ecclesiæ intentionem; alioquin requireretur, ut vellet per Sacramentum gratiam & characterem producere, cum id intendat Ecclesia. Sed sic respondentes, ad verba Concilii parum attendunt. Concilium non dicit necessariam esse intentionem faciendi quod Ecclesia facere intendit, sed *quod facit Ecclesia*; Ecclesia autem gratiam & characterem non producit; sed facit procul dubio sacram cæremoniam, non vero actionem mere naturalem.

*Prob.* 4. Qui nullatenus cognoscens Ecclesiam, nec distincte, nec confuse, nec directe, nec indirecte, nec in se, nec in alio, filium suum lavaret, hæc verba casu proferendo: *Ego te lavo in nomine Patris*, &c. immo Sacerdos, qui ut alterum mox in Sacerdotem ordinandum instrueret, supra præsentem panem formam Eucharistiæ pronuntiaret; & mulier, quæ sanitatis causa infantem lavando, ex quadam devotione diceret; *Parvule mi, ego te lavo in nomine Patris, &c.* hi omnes Ritum externum a Christo institutum ponerent; & tamen, ut ipsimet fatentur Adversarii, Sacramentum non conficerent. Ergo, propter positionem voluntariam hujus Ritus externi & applicationem formæ ad materiam, requiritur intentio, saltem confusa, faciendi quod facit Ecclesia.

His rationibus accedunt præallatæ in Conclusione præcedenti, quæ istam invincibiliter probant.

Dico III. Curare debet Minister ut actualem intentionem habeat, dicet virtualis sufficiat ad valorem Sacramenti: non sufficit autem habitualis,

nec

nec interpretativa, nec conditionata de futuro contingenti, bene tamen conditionata de præſenti vel præterito.

*Prob.* 1. pars. Ex Rubr. Miſſ. p. 3. tit. 7. n. 8. ubi id expreſſe commendatur, idque exigit reverentia debita tantis Myſteriis, quæ circa peccatum incuriæ tractari non poſſunt, juxta illud oraculum: *Maledictus qui facit opus Dei negligenter.* Hinc

*Reſol.* Peccare ſaltem venialiter, qui deliberate diſtrahitur in conficiendis Sacramentis, maxime Euchariſtiæ. Dixi, *ſaltem venialiter*: poſſet namque peccare mortaliter, ſi tanta negligentia Sacramenta pertractare conſueviſſet, ut in ea cenſeretur adeſſe contemptus virtualis & interpretativus. Notandum eſt tamen, quod ad actualem habendam intentionem non eſt neceſſe ut quis expreſſe dicat, *Volo conſecrare*, *Volo baptizare*: ſed ſufficit ſi ad actionem ſacramentalem advertat, ipſamque advertenter ponat.

*Prob.* 2. pars. Quia id neceſſario non requiritur, quod non eſt in noſtra poteſtate. Atqui non eſt in poteſtate noſtra, ut ſemper actualem intentionem habeamus. Ergo hæc non requiritur, & ſufficit virtualis; cum ad valorem Sacramenti ſatis ſit ut actio ſacramentalis ſit humana & libera, & per eam voluntas ad confectionem Sacramenti vere influat; ad eam autem vere influit virtualis intentio. Hinc

*Reſolv.* Qui ex intentione baptizandi, conſecrandi, abſolvendi, ad Baptiſterium, Sacriſtiam, aut Confeſſionale accedit, valide baptizat, conſecrat & abſolvit; licet poſtea in ipſo actus exercitio cogitatio ejus ad alia rapiatur.

*Prob.* 3. pars; Quia habitualis intentio in actionem ſacramentalem influere non cenſetur cum nec in ſe, nec in virtute ſua remaneat; ſed tantum in habitu ex præterita intentione relicto, quo fit ut operans dumtaxat ex illo habitu humano mo-

do

do non operetur, ſed potius more Brutorum. Deinde dormiens & ebrius, qui formam Sacramenti materiæ applicaret, proculdubio nihil efficeret, licet habitualem intentionem haberet: ergo hæc minime ſufficit. Hinc

*Reſolv.* Si dormitans quis abſolveret, repetenda eſſet abſolutio, quia humano modo non ageret. Item nulla foret abſolutio Sacerdotis, qui poſt expreſſam intentionem alicui negotio per ſemi horam aut quadrantem operam daret, non renovata intentione, quia intentio præterita, & per tempus notabile moraliter interrupta, cenſetur habitualis.

*Prob. 4.* pars. Quia ſacramentalis actio debet eſſe in ſe ipſa, non in alio volita, ut vere ac proprie ſit humana, & opus eſt ut Miniſter moraliter certus ſit ſe rite formam materiæ applicare. Nec refert quod intentio interpretativa ad peccatum ſufficiat: ratio namque diſparitatis eſt, quia malum ex quolibet defectu procedit, bonum vero ex integra cauſa; nec bonum quis operari cenſetur, niſi ipſum directe, & in ſe velit. Hinc

*Reſol.* Si quis experimentum habens ſe ſolere inter dormitandum verba Conſecrationis ſuper panem proferre, & prope panem appoſitum ſomno ſe daret, cum intentione conſecrandi, non tamen ob id conſecraret.

*Prob. 5.* pars. Quia Sacramentum ſub hac conditione datum numquam ſubſiſteret; vel enim ſtatim ſubſiſteret, vel ſubſiſteret dum purificatur conditio. Non primum, cum Sacramentum non exiſtat niſi dependenter ab intentione Miniſtri: Miniſter autem non vult quod tunc ſubſiſtat. Non ſecundum, quia jam purificata intentione non amplius ſuperſunt materia & forma, quæ partes ſunt Sacramenti eſſentiales, ſine quibus ſubſiſtere nequit.

Nec refert, quod juxta plurimos Doctores Matri-

trimonium contrahi poſſit ſub conditione de futuro contingenti; quia Matrimonium eſt eſſentialiter contractus, qui poteſt fieri validus abſque novo conſenſu, dum purificatur ſuſpenſiva conditio. Adde quod communius doceant Doctores cum D. Th. & D. Bonav. tunc Matrimonium, abſque novo conſenſu, non fore validum. Hinc

*Reſolv.* Invalida eſſe Sacramenta ſub hac conditione collata: *Abſolvo te, ſi reſtitutionem feceris: Baptizo te, ſi bene vixeris, &c.*

*Prob. 6. pars.* Quia conditio de præſenti, aut præterito æquivalet abſolutæ: vel enim hæc conditio ſubſiſtit, vel non. Si primum, Sacerdos vult abſolute Sacramentum conferre: ſi ſecundum, abſolute non vult. Obſervandum eſt tamen opus eſſe, ut appoſita conditio naturaliter ſciri poſſit; alioquin perinde erga nos ſe haberet ac ſi foret incerta, proindeque humano ac rationabili modo non poneretur. Hinc

*Reſolv.* Invalidum eſſe Baptiſmum ſub hac conditione collatum: *Si ad gloriam ſis prædeſtinatus*; quia id nobis naturaliter eſt ignotum atque incertum, ſicque reſpectu noſtri omnino contingens.

Quær. An Miniſtri intentio dirigi debeat ſuper rem determinatam, præſentem & ſenſibilem?

R. Affirmative. Quia in Sacramentis conficiendis intentio proportionari debet ſignificationi formæ: alias Miniſter aliud vellet, & aliud exprimeret. Atqui forma Sacramentorum rem, aut perſonam determinatam, præſentem & ſenſibilem exprimit: *Ego te baptizo: Hoc eſt corpus meum*, &c. Ergo. Hinc

*Reſolv.* 1. Si quis ex pluribus hoſtiis unam tantum conſecrare vellet, nullam determinando; aut ſi quis unum Cathecumenum inter plures baptizare vellet, nullum aſſignando; aut ſi quis volens iterum a peccatis jam confeſſis abſolvi, nihil expreſſe determinaret, ſed in genere confiteretur ſe

ali-

aliquando fornicatum aut furatum fuisse, nihil efficeretur.

*Resol.* 2. Hujus determinationis defectu, Sacerdos non consecrat hostias extra Corporale positas; quia non censetur velle consecrare in loco ab Ecclesia prohibito. Consecraret tamen duas sibi adhærentes hostias, licet unam dumtaxat adesse crederet; quia censetur determinate velle consecrare materiam, quam habet præ manibus. Quoad vini guttas Calici adhærentes, si exterius adhæreant, non sunt consecratæ, quia Sacerdos non censetur velle consecrare nisi contentum in Calice; quapropter si interius adhæreant, erunt consecratæ, nisi Sacerdos eas excluserit.

*Resol.* 3. Nulla est absolutio Pœnitenti absenti, aut non moraliter præsenti collata; quia præsentia tanta & talis requiritur, qualis & quanta est inter eos, qui invicem alloquuntur, suaque inter se peragunt negotia. Item si juxta communem existimationem moraliter non esset præsens Consecrationis materia, immo & moraliter propinqua, nulla esset consecratio, v. gr. si a consecrante 30. distaret passibus, si post tergum, aut parietem posita, vel in Tabernaculo clausa. Præsens tamen censetur, si in Pixide esset clausa, & Pixis in Altare esset posita: non autem præsens censeretur si sub Corporali, vel sub Calicis pede, vel sub mappa esset occultata; quia, cum hæc ad continendum non sint nata, præsens non esset nec ratione sui, nec ratione continentis.

*Resolv.* 4. Licet Ministri intentio ad personam præsentem debeat esse determinata, non est tamen necesse ut in hanc personam in individuo dirigatur: potius nimirum ad Joannem quam ad Petrum, ad masculum quam ad fœminam. Unde Minister, qui putans absolvere Petrum, absolveret Joannem, absolutio esset valida. Idem de aliis

Sa-

Sacramentis eſt dicendum, excepto Matrimonio. Ratio eſt, quia licet Miniſter erret in perſona particulari, non tamen errat in perſona præſente, ad quam ejus intentio dirigitur: unde ejus error in hoc eſſet tantum accidentalis, prout qui panem præſentem fermentatum conſecraret, putans eſſe azymum.

Dixi, *excepto Matrimonio*, in quo error perſonæ ſubſtantialis cenſetur; quia contrahens cum tali perſona determinata, ſecluſis omnibus aliis intendit contrahere. Unde aliorum Sacramentorum Miniſter, qui intentionem ſuam ſic reſtringeret erga perſonam, aut materiam à ſe excluſam, nihil proculdubio efficeret.

*Reſolv.* 5. Cum forma materiam ſenſibilem exprimat, Sacerdos valide non abſolveret Pœnitentem, quem nullo ſenſu perciperet, nec valide panis materiam adeo parvam conſecraret, ut de ſe perceptibilis non eſſet.

Dixi, *de ſe*: nam valide conſecrantur Particulæ, ſeu fragmenta multarum Hoſtiarum, ſuper Corporale, aut in Pixide poſitarum: quia ſi de ſe percipi non poſſint, percipiuntur tamen per Hoſtias ſibi adjunctas. Immo cenſent communiter Doctores, Hoſtiam non conſecratam, inter conſecratas indiſcriminatim permixtam, valide conſecrari poſſe; quia de ſe perceptibilis eſt, & a pronomine *Hoc* moraliter demonſtrati poteſt.

## CAPUT V.

### *De Sacramentorum ſubjecto.*

SAtis eſt evidens, ſolum hominem viatorem non tamen omnes homines, omnium Sacramentorum eſſe ſubjectum; cum Sacramenta nonniſi ad ſalutem hominis viatoris ſint inſtituta; nec om-

nes

nes homines omnium Sacramentorum ſunt capaces: Infantes Matrimonii, Fœminæ Ordinis, & cetera, quæ ſuo videbuntur loco. Sola igitur Quæſtio eſt de diſpoſitionibus, tum ad validam, tum ad licitam Sacramentorum ſuſceptionem. Pro quibus ſit.

## QUÆSTIO I.

### *Quænam ſint diſpoſitiones ad validam Sacramentorum ſuſceptionem.*

*Not.* SOla diſpoſitio ad validam Sacramentorum ſuſceptionem, eſt conſenſus ſeu intentio. Unde quæritur hic, utrum, & qualis requiratur intentio, tum in infantibus, tum in adultis. Circa quod

Dico I. Nulla requiritur intentio in rationis impotentibus, ipſiſque valide quædam miniſtrari poſſunt Sacramenta; Baptiſmus ſcilicet, Confirmatio, Euchariſtia, & Ordo. Concluſioque eſt contra Lutherum, fidem actualem in quolibet baptizato requirentem.

*Prob.* Tum ex praxi univerſalis Eccleſiæ, quæ tales baptizat, riteque baptizatos cenſet, tum ex Flotent. Concilio, quod ad valorem Sacramentorum requiſita enumerans, nullam mentionem facit intentionis ſuſcipientis; id proculdubio pro his, qui rationis impotentes valide Sacramenta recipiunt. Ratio eſt, quia in ſupradictis Sacramentis forma & materia neceſſariæ habentur abſque actibus propriis ſuſcipientium; non autem in Pœnitentia, cujus materia actus ſunt Pœnitentis; nec in Matrimonio, quod utriuſque partis conſenſu perficitur, nec in Extrema Unctione, per quam actualium peccatorum reliquiæ, quæ infantes, rationis impotentes, committere non potuerunt, delentur.

Dico

Dico II. In adultis rationis compotibus requiritur vera intentio, & quidem poſitiva, neceſſario tamen actualis, nec virtualis, nec directa neceſſaria eſt; ſed ſufficit habitualis, & quandoque interpretativa.

*Prob.* 1. pars ex Chriſti Domini voluntate, & inſtitutione, nobis evidenter manifeſtata: tum ex continuata praxi Eccleſiæ, quæ numquam ſimpliciter invitis, & omnino reluctantibus Sacramenta miniſtravit: tum ex injuſtitia, quæ committeretur, ſi etiam invito graves Baptiſmi, aut Ordinis obligationes imponerentur; tum ex gravi inconvenientia, quæ adeſſet ſi Deus etiam reluctantem familiæ ſuæ adſcriberet, filiumque ſuum & hæredem conſtitueret.

Dixi, *ſimpliciter invitis*: valide ſiquidem conferri poteſt Sacramentum ſecundum quid invito; ei ſcilicet, qui Sacramentum non ſuſcipiendi velleitatem habet, qui tamen abſolute conſentit: ſic plurimi Sancti, licet inviti, valide tamen Sacerdotes, aut Epiſcopi fuerunt ordinati.

*Prob.* 2. pars: quod nempe neceſſarius ſit conſenſus poſitivus, ita ut qui nec conſentiens, nec diſſentiens mere negative ſe haberet, invalide Sacramentum ſuſciperet. Prob. inquam, ut ſuperius ex Chriſti Domini voluntate, quæ maxime patet in eo quod minime ſit credibile, Deum juſtificare velle adultum nequidem de ipſo cogitantem, juxta illud Auguſtini: *Qui te creavit ſine te, non te ſalvabit ſine te*. Nec refert quod ſic parvulos juſtificet: quia, cum parvuli ſint conſenſus incapaces, ſufficit pro eis parentum aut Eccleſiæ conſenſus: ut convincit ejuſdem Eccleſiæ invariata praxis & traditio.

*Prob.* 3. pars ex uſu & praxi Eccleſiæ, Conciliis, & Ritualibus, quibus conſtat Sacramenta, excepto Matrimonio, & Euchariſtia, propter irreverentiæ periculum, valide ac licite miniſtrari

Phreneticis, & aliis uſu rationis deſtitutis, ſi ea deſiderare aliquo ſigno manifeſtaverint; quibus tamen ineſſe non poteſt niſi habitualis intentio. Immo interpretativa quandoque ſufficit, dum ſcilicet moribundo Baptiſmus & Pœnitentia conferuntur, quia ex fide catholica, quam addiſcere voluit, & vita chriſtiana quam duxit, jure ac merito cenſetur neceſſaria ſuſcipere. Sed de his fuſius ſuo loco.

## QUÆSTIO II.

*Quænam ſint diſpoſitiones ad licitam Sacramentorum ſuſceptionem.*

DIverſæ, pro diverſis Sacramentis, diſpoſitiones requiri patet, ad licitam eorum ſuſceptionem. Sacramenta ſiquidem mortuorum, Baptiſmus ſcilicet, & Pœnitentia, quæ pro hominibus coram Deo mortuis ſunt inſtituta, licite recipiuntur à gratia ſanctificante deſtitutis; modo fidei, ſpei, & attritionis actus præceſſerint. Sacramenta autem vivorum, Confirmatio nimirum, Euchariſtia, Extrema Unctio, Ordo, & Matrimonium, quæ pro hominibus vita ſpirituali viventibus ſunt inſtituta, vivificantem gratiam proculdubio prærequirunt. Sed cum de his omnibus diſpoſitionibus ſingulatim nobis ſit agendum de Sacramentis in particulari; totam quæſtionem ad unum articulum revocabimus: Utrum ſcilicet Sacramenta ſuſcipere liceat a Miniſtro indiſpoſito ſeu improbo: cui data occaſione, alterum ſuperaddemus; utrum nempe indiſpoſito, ſeu peccatori Sacramenta miniſtrare liceat.

## ARTICULUS I.

### *Utrum liceat a Miniſtro indiſpoſito Sacramenta petere, & ſuſcipere.*

*Not.* 1. DUplicem eſſe Sacramentorum Miniſtrum; alium ſcilicet ex officio, ut Epiſcopus & Parochus, alium ex delegatione dumtaxat, ut quilibet deputatus; iſte autem, vel jam eſt expoſitus, & ad Sacramenta conferenda paratus, ut Confeſſarius pro tribunali ſedens, & Sacerdos Euchariſtiam in Altari diſtribuens; vel non eſt expoſitus.

*Not.* 2. Miniſter indiſpoſitus aut in malo ſtatu exiſtens, vel eſt Hæreticus, vel Schiſmaticus, vel quilibet alius peccator. Si Hæreticus, & Schiſmaticus, vel eſt occultus, aut non omnino notorius, vel ita notorius eſt, ut ejus Hæreſis, & Schiſma nulla tergiverſatione celari, aut excuſari poſſit; prout ſunt Apoſtatæ ad partes Hæreticorum publice tranſeuntes, vel prout forent Sacerdotes, aut Epiſcopi, aut ceteri, qui in partibus etiam Catholicorum, & in ipſo Eccleſiæ ſinu Cœnam Calviniſticam publice celebrarent, aut quamlibet manifeſtam hæreſim quovis actu publico palam profiterentur. Si malus Miniſter ſit quilibet alius peccator, vel ab Eccleſia toleratus eſt, vel non toleratus; id eſt, vel contra ipſum ſententia excommunicationis, vel ſuſpenſionis juridice lata fuit & promulgata, vel non promulgata fuit.

*Not.* 3. Duplicem eſſe Sacramentorum ſuſcipiendorum neceſſitatem, unam extremam, moralem alteram. Extrema dicitur neceſſitas, imminens mortis periculum, in quo moribundus Sacramentis ad ſalutem abſolute neceſſariis indiget: ut Baptiſmo Cathecumenus, & Pœnitentia peccator. Moralis autem neceſſitas alia eſt gravis, alia levis:

gravis censetur, dum urget præceptum Confessionis annuæ, aut confitendi peccati mortalis; & levis æstimatur, dum quædam adest utilitas Jubilæi, aut Indulgentiam plenariam lucrandi, Eucharistiam Festis solemnioribus frequentandis, &c. His notatis.

Dico I. Nefas est absque necessitate Sacramenta petere ac suscipere a quovis Ministro malo, sive proprius sit Minister, sive tantum delegatus, sive ad Sacramenta conferenda sit expositus, sive non.

*Prob.* Quia, uti jam alibi diximus, charitas vetat ne occasionem ruinæ spiritualis proximo præbeamus, dum absque gravi nostro incommodo aliqua actione ipsum ad malum inducente abstinere possumus. Adde quod cum nullum rationabile motivum habeamus, ut Ministrum malum ad sacrilegam administrationem inducamus, jure merito censemur eum expresse velle ad sacrilegium inducere. Ratiocinandum est igitur de eo, qui absque necessitate a malo Ministro Sacramentum petit, ac de eo qui gladium volenti ac ipsum aut alium occidere, ministrat, vel de eo qui volenti se inebriare, vinum suppeditat.

Dico II. A Ministro malo ab Ecclesia tolerato, si Pastor sit proprius, in quavis necessitate, etiam moraliter levi, Sacramenta petere ac suscipere licet.

*Prob.* Eadem ratione qua convincitur licitum esse juramentum exigere ab infideli, qui per falsos Deos juraturus prævidetur; quia nimirum Parochianus jure suo utitur in re de se bona, sibique a Parocho ex justitia debita.

Dico III. A Ministro malo delegato, & jam expositio, Sacramenta petere ac suscipere licet, in necessitate moraliter gravi, non autem in levi tantum.

*Prob.* Quia gravi urgente necessitate Sacramenta petens, non censetur proprie Ministrum malum

lum ad ſacrilegium inducere, quod ex ſe jam paratus eſt perpetrare, ſed jam ejus voluntate determinata ad malam actionem, quam recte facere poſſet, ea utitur ad malum ſpirituale a ſe avertendum. Non ſecus ac pauper, qui in neceſſitate mutuum ab uſurario licite petit. Dixi, *non autem in levi tantum*; quia charitas poſtulat, ut cum levi noſtro incommodo offenſam Dei & occaſionem mali a proximo avertamus.

Dico IV. Qui abſque neceſſitate Sacramenta petit a Miniſtro excommunicato, licet tolerato, præter peccatum mortale, minorem incurrit excommunicationem.

*Prob.* Quia tunc non ſolum cauſa eſſet inexcuſabilis ſacrilegii a Miniſtro excommunicato perpetrati; ſed infringeret Legem Eccleſiæ, quæ Fidelibus in Bulla *Ad evitanda* facultatem non conceſſit cum excommunicato, non denuntiato, communicandi in Sacramentorum adminiſtratione ac ſuſceptione, niſi propter Fidelium neceſſitatem, ut in ea poſiti mediis ad ſalutem neceſſariis non priventur. Ergo dum nulla adeſt neceſſitas, nulla conceditur facultas cum iis communicandi.

Dico V. Sacramenta petere ac ſuſcipere non licet, nec a Miniſtro non tolerato, nec ab Hæretico aut ſchiſmatico notorio, excepto ſolo Baptiſmo, in caſu extremæ neceſſitatis.

*Prob.* Concluſio de Hæreticis, & Schiſmaticis notoriis, cum ipſa pateat de aliis peccatoribus non toleratis. Prob. inquam 1. Ex praxi communique ſenſu Fidelium, qui in omnibus Eccleſiæ ſæculis ſemper & ubique ab Hæreticorum communione abhorruerunt. Quis enim, inquit doctiſſimum Eccleſiæ Gallicanæ lumen clariſſimum, horrore non non perfunderetur, audiens licitum eſſe in ſacris communicare cum hæretico Paſtore Cœnam Calviniſticam in Eccleſia ſua publice celebrante, ſub obtentu quod ſententia particulari in ipſum nomi-

natim juridice lata nondum sit excommunicatus aut depositus? 2. Ex præceptis Apostolicis, quibus hæreticum hominem post primam, & secundam correctionem devitare jubemur, & ab excipienda ejus salutatione inhibemur, sub pœna communicandi operibus ejus malignis. 3. Ex innumeris propemodum Sanctorum Patrum ac Conciliorum Oraculis, & Canonibus, maxime 46. Apostolorum; in quibus excommunicatione mulctantur, & infidelitate damnantur, qui cum hæreticis oraverint, vel in aliquo spirituali communicaverint.

Dixi, *excepto Baptismo*; quod probatur expressa auctoritate D. August. lib. 1. de Baptismo cont. Donat. cap. 11. *Si quem*, inquit, *forte coegerit extrema necessitas, ubi Catholicum, per quem Baptismum accipiat, non invenerit ..... per aliquem extra unitatem catholicam positum, acceperit ... Si statim de hac vita emigraverit, non eum nisi Catholicum deputamus. Si autem fuerit a corporali morte liberatus, cum se Catholicæ Congregationi ... reddiderit ... non solum non improbamus quod fecit, sed etiam securissime vereque laudamus.* Et confirmatur plurimis Canonibus Baptismum e communi regula excipientibus, nimirum *Can.* Præter §. verum *dist.* 32. *Can.* Arianos 73. 1. qu. 1. *Can.* Si quis & seq. q. de Consecratione, dist. 4.

Dices, excipiendum etiam esse Pœnitentiæ Sacramentum, juxta Conc. Trident. declarationem ss. 14. cap. 7. *Pie admodum, ne hac ipsa occasione aliquis pereat, in Ecclesia Dei semper custoditum fuit, ut nulla sit reservatio in articulo mortis: atque adeo omnes Sacerdotes quoslibet Pœnitentes a quibusvis casibus, & censuris absolvere possunt.* Ergo in extrema necessitate licitum est a quovis Sacerdote, etiam hæretico, Pœnitentiæ Sacramentum petere; alioquin frustra Ecclesia hanc facultatem concessisset.

R. Cum Bellarmino in ſuis notis ſupra Trid. Concil. omnibuſque antiquioribus Canoniſtis contra recentiores nonnullos, Concilium illis verbis, *omnes Sacerdotes*, nihil egiſſe, ac ne cogitaſſe quidem de Sacerdotibus ab unitate Eccleſiæ præciſis: ſed voluiſſe tantum includere omnes Sacerdotes habiles, & capaces Juriſdictionis ordinariæ vel delegatæ, quales ſunt ſolummodo qui in unitate Eccleſiæ vivunt. Quod

*Prob.* 1. Expreſſa declaratione Congregationis Cardinalium Trident. Interpretum a Fagnano relata. 2. Quia Concilium in hoc capite ſermonem facit de ſola Caſuum reſervatione, ac de ſolis Sacerdotibus, quibus ob reſervationem abſolvere prohibitum eſt, ut patet ex ſermonis contextu. Hæc autem inhibitio ſpectare non poteſt Sacerdotes ab unitate Eccleſiæ præciſos: quibus proculdubio Sacramenti Pœnitentiæ adminiſtratio præciſe non eſt prohibita ob reſervationem, ſed propter Juriſdictionis ordinariæ vel delegatæ incapacitatem. 3. Quia Concilium teſtatur in Eccleſia Dei ſemper fuiſſe cuſtoditum, ut nulla ſit reſervatio in articulo mortis. Sed hoc nequit intelligi niſi de ſolis Sacerdotibus, qui in ejus ſunt communione; cum juxta communiorem veterum Theologorum ſententiam, quos Concilium damnare voluiſſe minime eſt probabile, Sacerdotes ab ejus communione præciſi nullam, etiam in caſu neceſſitatis, poteſtatem habeant. Ergo de ipſis Concilium nequit intelligi.

*Inſtabis*: Credibile non videtur piam Matrem Eccleſiam peccatori, in tanta neceſſitate conſtituto, auxilium ad ſalutem adeo neceſſarium denegare voluiſſe; & Sacerdoti, licet ab ejus unitate præciſo, facultatem abſtuliſſe abſolvendi moribundum, dum nullus alius occurrit Sacerdos.

R. Nihil probat hoc ratiocinium, quia nimis probat: probaret enim, quemlibet Clericum in-

ferìorem moribundum abſolvere poſſe, aut Euchariſtiam, aut Extremam-Unctionem ab Hæretico in tali neceſſitate ſuſcipere licitum eſſe, quod perabſurdum eſt. Dum de Sacramentorum agitur validitate, veriſimilitudinis, & convenientiæ rationes non ſufficiunt: nec abſque temeritate, propter has rationes, arbitraria opinio ſuſtineri poteſt, niſi ad eam ſtabiliendam alicujus Canonis auctoritas adducatur; ſicut adducitur ad probandum excommunicatum, denuntiatum, Hæreticum, Schiſmaticum, Baptiſmum valide conferre poſſe, propter abſolutam hujus Sacramenti neceſſitatem.

## ARTICULUS II.

### *Utrum indiſpoſitis ac peccatoribus Sacramenta liceat miniſtrare?*

*Not.* 1. DUplicem eſſe Indiſpoſitum ſeu peccatorem: unum occultum, cujus peccatum ſecretum eſt; publicum alterum, cujus peccatum notorium eſt; idque vel notorietate juris, id eſt, per Judicis ſententiam, aut per confeſſionem Rei juridicam; vel notorium tanta notorietate facti, ut crimen ejus nulla tergiverſatione excuſari aut celari poſſit; prout qui media in platea & in populi concurſu hominem occideret.

*Not.* 2. Nemo neſcit, generaliter loquendo, peccatum eſſe graviſſimum Sacramentum miniſtrare peccatoribus in mortali exiſtentibus; peccatum, inquam, contra Religionem, qua prohibemur ne Sanctum demus canibus; contra fidelitatem, qua tenemur debite dona Dei diſpenſare; & contra charitatem, ſecundum quam non licet peccato proximi cooperari. Sed explicandum nobis incumbit, utrum per accidens quandoque liceat indignis Sacramenta conferre. Circa quod

Dico I. Occulto peccatori publice Sacramen-

tum

tum petenti, Sacramentum miniſtrari poteſt & debet.

*Prob.* 1. Ex Rituali Rom. de Euch. ubi hoc ſtatutum eſt juxta Canonum definitionem, *Can.* Si tantum, cauſ. 6. q. 2. C. Si Sacerd. *de Off. Jud. Ord.* Can. Non prohib. *de Conſecr.* diſt. 2. &c. 2. Exemplo Chriſti Domini, qui Judam proditorem occultum ad ſui Corporis communionem admiſit. 3. Ex ejuſdem Chriſti Domini voluntate nobis per continuam Eccleſiæ praxim & traditionem manifeſtata, qua conſtat, Sacramenta quæ ad animorum cordiumque unionem inſtituit, nolle diſſidiorum, jurgiorum, litium & ſcandalorum eſſe occaſionem. 4. Ex Oraculo Apoſtoli: *Non ſunt facienda mala, ut eveniant bona.* Bonum eſt quidem, quos certo novimus indignos a Sacramentis repellere; ſed malum eſt occulte proximi peccata propalare, ſcandala parare & jurgia ſuſcitare, ſicque Sacramentorum frequentationem odioſam reddere.

Petes, utrum poſſit Sacerdos Hoſtiam non conſecratam indigno miniſtrare, ad vitandam irreverentiam?

R. Cum D. Th. 3. p. q. 80. art. 6. ad 2. ceteriſque Theologis, id minime licere; quia majus foret inconveniens, occaſio nimirum, ſaltem materialiter, idololatrandi, tum circumſtantibus, tum recipienti. Adde quod mendacium foret, eoque gravius quo circa rem graviſſimam, atque ſacratiſſimam verſaretur. Unde jure merito damnata eſt ab Innoc. XI. prop. 25. *Urgens metus gravis eſt cauſa juſta Sacramentum adminiſtrationem ſimulandi.* Confeſſarius tamen poſſet fingere ſe abſolvere indiſpoſitum, nonnullas preces ſuper eum arbitrarias recitando, ne ſigillum infringeret, famamque peccatoris conſervaret. Non liceret tamen ipſi propter id, aut quid ſimile, abſque intentione verba abſolutionis proferre; quia tunc

prie mentiretur, & Sacramenti administrationem vere simularet.

Dico II. Peccatori occulto, occulte Sacramentum petenti denegari debere; modo tamen Minister statum ejus cognoscat per aliam viam, quam per Confessionem sacramentalem.

*Prob.* Ex supra citato Rituali Romano id expresse docente. Ratio est, quia nullum inde exurgere potest inconveniens, tum scandali, tum diffamationis petentis: sicque sola viget debite Sacramenta dispensandi obligatio. Dixi *modo tamen, &c.* Qui enim peccatori occulte petenti Sacramenrum tunc denegaret, implicite saltem delictum, ex sola Confessione cognitum, exprobraret, eique odiosam Confessionem redderet: quod nullo casu licitum esse docent omnes Theologi, cum omnino certum sit Confessarium post acceptam Confessionem exterius se gerere debere ac si nihil accepisset.

Dico III. Sacramentum, a Matrimonio distinctum, peccatoribus tanta notorietate publicis, ut nulla tergiversatione crimen eorum celari, aut excusari possit, ministrare omnino nefas est.

*Prob.* Auctoritate Ritual. Roman. post Concil. Arelat. can. 5. 6. & SS. Patrum; Cypr. Ep. 6. Chrys. Hom. 85. in Matth. Th. 3. p. q. 80. art. 6. Caroli Borrom. *Instruct. de Sacram. &c.* Rationes conclusionis jam tetigimus, ubi probavimus peccatum esse grave juri naturali, ac divino contrarium, per se loquendo, indignis Sacramenta ministrare; quibus accedit gravissimum populi scandalum, si publico peccatori publice ministraretur Sacramentum.

Dixi in conclusione, *a Matrimonio distinctum Sacramentum*; graves siquidem possunt adesse causæ, ut Matrimonium cum peccatore publico, immo & Hæretico celebrari permittatur; ut sunt Reipublicæ tranquillitas, spes magna conversionis unius contrahentium, magnum Religionis bonum,

con-

conſervatio Familiarum bono publico neceſſariarum, &c.

## CAPUT VI.

### *De Sacramentorum effectibus.*

DUO ſunt Sacramentorum effectus, unus primarius, gratia nimirum, quæ ab omnibus producitur; alter ſecundarius; character ſcilicet, qui ab aliquibus tantum imprimitur: de utroque hic nobis agendum incumbit ſequentibus Quæſtionibus:

### QUÆSTIO I.

### *De primario Sacramentorum effectu.*

CIrca hunc Sacramentorum effectum quæri poteſt 1. An re ipſa Sacramenta novæ Legis gratiam conferant, & qualem. 2. Quomodo eam conferant. 3. An, dum propter obicem, ſeu fictionem gratiam non contulerunt, ipſa, obice ablato, reviviſcant. Sit igitur

### ARTICULUS I.

### *An Sacramenta gratiam conferant, & qualem.*

*Not.* 1. DE fide eſſe, contra nonnullos antiquiores Hæreticos, & omnes recentiores, Sacramenta novæ Legis gratiam conferre ea digne ſuſcipientibus. Hanc veritatem Catholicam invictiſſime probant textus Scripturæ ſacræ a nobis ſuperius relati, q. 3. c. 2. quibus oſtendimus omnibus Sacramentis gratiam fuiſſe promiſſam. Eamdem doctrinam voce concordi omnes docuerunt SS. Patres, qui ſæpius mirati ſunt Dei po-

tentiam, qui per res corporeas hominum animas ſanctificat. *Unde tanta virtus aquæ*, inquit Aug. tr. 8. in Jo: *ut corpus tangat, & cor abluat?* quique ſpeciale ac eſſentiale diſcrimen inter Sacramenta veteris, ac novæ Legis ſtatuerunt in eo, quod iſta, non illa vi producendi gratiam præpolleant. *Sacramenta novi Teſtamenti*, inquit Aug. Pſ. 67. *dant ſalutem; Sacramenta veteris Legis promiſerunt Salvatorem*. Accedit apertiſſima Eccleſiæ definitio, Concilii ſcilicet Florentini in ſuo Decreto: *Sacramenta*, inquit, *veteris Legis non cauſabant gratiam, ſed eam ſolum per Paſſionem Chriſti tandam figurabant. Hæc vero noſtra, & continent gratiam, & ipſam digne ſuſcipientibus conferunt*. Idem habet Concil. Trid. ſeſſ. 7. can. 6. Reſtat igitur ſolummodo exponendum, qualem gratiam conferant Sacramenta. Circa quod

*Not.* 1. Duplicem eſſe gratiam, actualem ſcilicet, quæ eſt auxilium quoddam tranſiens, quo anima ad bonum opus excitatur & a malo retrahitur; habitualem vero, quæ eſt qualitas ſupernaturalis permanenter animæ inhærens, qua conſtituitur formaliter juſta ac Deo grata. Hæc autem ſubdividitur 1. in gratiam primam, quæ nullam aliam præſupponit, conferturque homini in peccato mortali exiſtenti; & ſecundam, quæ aliam præſupponit, ipſamque auget, & confertur homini jam juſto ac Deo grato. 2. Subdividitur in gratiam univerſalem, ſeu omnibus Sacramentis communem, eſtque ipſamet gratia ſanctificans, & ſacramentalem, ſeu cuilibet Sacramento particularem: & hæc non ſolum conſiſtit, ut nulli cenſent, in quodam jure impoſterum obtinendi gratias actuales neceſſarias, ad conſequendum cujuſcumque Sacramenti finem, pro temporis opportunitate; ſed eſt, ut inquit D. Thom. 3. part. quæſt. 62. art. 2. habitualis quædam diſpoſitio ac perfectio, qua homo aptior ſit ac promptior ad

actus

actus eliciendos, Sacramentorum ſuſceptorum finem ſpectantes.

Dico I. Sacramenta mortuorum, Baptiſmus ſcilicet, & Pœnitentia, de ſe & in ſua prima inſtitutione primam gratiam conferunt, & per accidens ſecundam.

*Prob.* 1. pars. Quia Baptiſmus, & Pœnitentia Sacramenta mortuorum non dicuntur, niſi quia primario ſunt inſtituta ad eam gratiam, quæ mortuos juſtificat, conferendam. Deinde Baptiſmus primario fuit inſtitutus ut homo ſpiritualiter generaretur, & Pœnitentia ut ſpiritualiter reſurgeret. Sed non regeneratur nec reſurgit, niſi per primam gratiam. Ergo ex primaria ſua inſtitutione primam gratiam conferunt.

*Prob.* 2. pars. Omnia Sacramenta gratiam conferunt, dum eorum efficacia a nullo obice præpeditur. Sed prima gratia, quam jam habet Juſtus, Baptiſmum aut Pœnitentiam ſuſcipiens, non eſt obex, ſed potius optima diſpoſitio ad Sacramenti efficaciam. Ergo ſecundam producunt in Juſto, qui jam habet primam; cum omnino ſit abſurdum, cauſam carere effectu ſuo propter aptiorem ſubjecti diſpoſitionem.

Dico II. Sacramenta vivorum, per ſe & ex primaria ſua inſtitutione, ſecundam gratiam conferunt, ut patet; ſed & aliquando per accidens poſſunt conferre gratiam primam. 1. Dum quis ſolummodo attritus peccata depoſuit apud eum, quem bona fide putat eſſe Sacerdotem, qui tamen non eſt, vel facultatem abſolvendi non habet. 2. Dum peccator Confeſſarii copiam non habens, actum perfectæ contritionis conatur elicere, quem tamen non elicit, ſed dumtaxat attritionis. 3. Dum ignorans invincibiliter ſe peccati mortalis conſcium eſſe, attritionem tamen elicit ſufficientem ad remiſſionem peccatorum cum Sacramento obtinendam.

*Prob.*

*Prob.* Ex D. Th. 3. p. q. 79. art. 1. *Si aliquis adultus in peccato existens, cujus conscientiam non habet, vel si etiam perfecte non contritus accedat, dummodo non fictus accedat, per gratiam collatam in hoc Sacramento* (Confirmationis) *consequitur remissionem peccatorum.* Idem docet de Euchar. q. cit. a. 3. in corp. *Potest*, inquit, *hoc Sacramentum operari remissionem peccatorum . . . etiam perceptum ab eo, qui est in peccato mortali, cujus conscientiam, & affectum non habet. Forte enim prime non fuit efficienter contritus; sed devote & reverenter accedens consequetur per hoc Sacramentum gratiam charitatis, quæ contritionem perficit, & remissionem peccati.* Idem iterum docet de Extrema Unctione 2. d. 23. q. 1. art. 2.

*Prob.* Ratione multiplici. 1. Quia Sacramenta gratiam conferunt non ponentibus obicem. Sed qui nullum affectum habet ad peccatum, & aliunde facit quod in se est ad gratiam per Sacramentum impetrandam, nullum ponit, sed potius omnem tollit obicem. Ergo. 2. Sacramenta mortuorum aliquando gratiam secundam conferunt. Ergo Sacramenta vivorum quandoque primam conferre possunt; consequentia patet ex eo quod prima gratia secunda non sit excellentior. 3. Minus verisimile videtur, minusque conforme bonitati Dei, qui ad salutem hominum Sacramenta instituit; quod eum voluerit carere Sacramentorum effectu, qui ad ea rite suscipienda, quantum in se fuit, sese disposuit; vel qui bona fide arbitratur se esse sufficienter dispositum.

Dico III. Præter gratiam sanctificantem Sacramenta conferunt specialem gratiam sacramentalem.

*Prob.* & explicatur Conclusio. Quia si Sacramenta conferrent tantum gratiam sanctificantem, differrent tantum materialiter, ratione scilicet Ritus externi, non autem formaliter ratione Sa-

cra-

cramenti, cum eumdem omnino effectum haberent. Deinde Sacramenta ad fines diverſos cuilibet proprios ſunt inſtituta. Ergo præter gratiam ſanctificantem omnibus communem, auxilium peculiare conferre debent ad hos fines obtinendos.

Unde Baptiſmus confert peculiare auxilium ad puritatem animæ in ſpirituali generatione acceptam conſervandam, aliaque Sacramenta, quorum Baptiſmus eſt janua, digne ſuſcipienda. Confirmatio ſpeciale robur ad conſtanter fidem profitendam, & contrarias tentationes vincendas. Euchariſtia peculiare auxilium ad fovendam, & augendam charitatem ac devotionem, & in ea perſeverandum. Pœnitentia ad majorem peccatorum præcautionem, deteſtationem, & ſatisfactionem. Extrema-Unctio ad morbi dolores patientius tolerandos, & fortius Diabolo reſiſtendum. Ordo ad ſacras functiones rite ac religioſe obeundas. Matrimonium ad carnis libidinem coercendam, fidem thori ſervandam, prolem pie educandam, & Matrimonii onera æquo animo toleranda.

## ARTICULUS II.

### *Quomodo Sacramenta novæ Legis gratiam conferant.*

*Not.* 1. SAcramenta novæ Legis gratiam conferre ex opere operato jam ſuperius probatum eſt, tamquam de fide a Trid. ſeſſ. 7. Can. 8. definitum; cum probavimus ex ſe, ſeu ex virtute ſua gratiam conferre digne ſuſcipientibus. Nec eſt quod in hoc verbum, *ex opere operato*, tamquam inuſitatum inſurgant Hæretici, cum ſenſum per hoc verbum expreſſum ſemper & ubique docuerit Eccleſia, quæ proculdubio poteſtatem habet, pro caſibus occurrentibus, novas uſurpandi voces;

ut

ut antiqua exprimat Dogmata; prout verbum *Consubstantialis* adinvenit, ut fidem ab Arianis oppugnatam efficacius exprimeret. Adde quod plusquam a quingentis annis hoc verbum *opere operato* ab Inn. III. lib. *de Mist. Missæ* fuit usurpatum. Nec ex hac veritate catholica sequitur, ut falso calumniantur Hæretici, Catholicos docere Sacramenta absque bono motu suscipientium gratiam conferre. Ignis siquidem nonnullas in subjecto requirit dispositiones, ut effectum suum producat; quod tamen non impedit, quominus per se & ex opere operato agere dicatur. Rejecto igitur Hæreticorum errore, hic nobis examinandum incumbit, utrum Sacramenta novæ legis physice, vel moraliter gratiam producant. Circa quod

*Not.* 2. Duplicem esse causam, physicam scilicet, & moralem. Causa physica ea est, quæ physica sua actione dat esse rei: moralis vero, quæ de se non producit effectum, sed aliam causam movet ad eum physice producendum. Sic debitor numerans pecuniam creditori, est causa physica solutionis; & schedula ipsi oblata, cujus intuitu pecuniam numerat, est causa moralis. Deinde causa tum physica, tum moralis, alia est principalis, instrumentalis altera, causa principalis tum physica, tum moralis est ea, quæ propria sua virtute producit effectum, vel alterum movet ad eum producendum. Instrumentalis autem, quæ alterutrum præstat virtute sibi a causa principali communicata. Sic scriptor est causa principalis physica Scripturæ, & calamus causa instrumentalis. Sic creditor, qui pecuniam mutuo dedit, est causa principalis moralis solutionis, & schedula instrumentalis.

Hic igitur quæstio est, utrum Sacramenta novæ Legis gratiam producant tamquam moralia instrumenta, in eo quod nimirum ex sua institutione & ex vi meritorum Christi, Deum moveant

ad

ad conferendam gratiam; vel tamquam inſtrumenta phyſica a Divina potentia elevata ad eam phyſice producendam, ex virtute Dei principalis agentis, qui talibus rebus vult uti ad talem effectum producendum; non ſecus ac Scriptor, qui calamo potius quam penicillo vult uti ad ſcribendum.

Dico: Sacramenta novæ Legis inſtrumenta ſunt gratiæ, non phyſica, ſed moralia.

*Prob.* 1. Ex SS. Patribus ſoli Deo gratiæ productionem tribuentibus ad Sacramenti exhibitionem & præſentiam. S. Cypr. ſerm. de Bapt. Chriſti: *Remiſſio peccatorum ſive per Baptiſmum, ſive per alia Sacramenta donetur, propria Spiritus ſancti eſt, & ipſi ſoli hujus efficaciæ privilegium manet.* D. Aug. Ep. 25. ad Boniſ. *Aqua exhibet forinſecus Sacramentum*, id eſt ſignum gratiæ, *Spiritus ſanctus operatur intrinſecus Beneficium gratiæ.* D. Hieron. in c. 4. Iſai. *Homo tantum aquam tribuit, Deus autem Spiritum ſanctum.* Ex quibus & ſimilibus textibus patet, ſanctos Patres nullam prorſus cauſalitatem phyſicam Sacramentis tribuiſſe: ſed cum de fide ſit aliquam habere, reſtat ut moralem tantum habeant.

*Prob.* 2. Ex illo axiomate: Non ſunt multiplicanda miracula, ſicut nec entia, ſine neceſſitate. Sed qui aſſerit Sacramenta gratiam conferre phyſice, miracula abſque neceſſitate multiplicat; cum maximum foret miraculum, ſi aqua materialis elevaretur ad gratiam ſpiritualem procreandam. Ergo. Prob. quod ad hoc nulla ſit neceſſitas. Sola ſiquidem neceſſitas hujus miraculi eſt, ut ſtabiliatur veritas catholica, docens Sacramenta veras eſſe ac proprias cauſas gratiæ. Atqui gratiæ veræ ſunt ac propriæ cauſæ, licet eam tantum moraliter producant. Ergo nulla adeſt neceſſitas. Minor patet ex Chriſti meritis, quæ veræ ſunt & propriæ cauſæ gratiæ, licet ſint tantum cauſæ morales. Immo ſæpius cauſa moralis ita

eſt

eſt propria cauſa, ut ei magis effectus tribuatur, quam cauſæ phyſicæ: occiſio enim magis tribuitur domino imperanti, quam famulo exequenti.

*Prob.* 3. Sacramenta gratiam in ſuſcipientibus phyſice conferre non poſſunt, niſi per generationem, aut creationem: neutrum dici poteſt. Non primum, cum generatio ſolis rebus corporeis erga corporea conveniat: non ſecundum, cum repugnet creaturam de ſe finitam, virtutem creationis, quæ infinita eſt, habere.

Deinde, nullum agens phyſice in ſubjectum agere poteſt, niſi ipſi phyſice ſit præſens, ipſumque phyſice attingat. Atqui Sacramenta quandoque homini non ſunt phyſice præſentia, nec ipſum phyſice attingunt, aut afficiunt; ut abſolutio, quæ datur homini moraliter tantum præſenti, quæque Pœnitentem phyſice non afficit; idem dic de Matrimonio. Ergo

Poſtremo, ut agens agat phyſice, omnino neceſſe eſt ut exiſtat phyſice eo inſtanti, quo ſupponitur agere phyſice. Sed Sacramenta non exiſtunt phyſice eo inſtanti, quo ſupponuntur agere phyſice; cum non operentur niſi dum ultima formæ ſyllaba eſt prolata: dum autem eſt prolata, ceteræ illius partes utique phyſice non exiſtunt.

*Confirmatur* ex Matrimonio inter abſentes per Procuratorem celebrato, per quod contrahentibus gratia phyſice non confertur, cum ipſi tunc phyſice non ſint præſentes, ſed tantum moraliter. Idem dicendum eſt, de Baptiſmo ficte ſuſcepto, qui gratiam non producit niſi poſt multos annos ab ejus collatione, dum nempe tollitur obex ſeu fictio.

*Prob.* 4. Non operantur Sacramenta, niſi ſecundum id quod ipſa ſunt. Atqui non ſunt entia phyſica, ſed moralia. Ergo non operantur phyſice, ſed moraliter. Minor patet, tum ex eo quod unio formæ cum materia ſit tantum moralis,

tum

tum quia Sacramenta ſunt eſſentialiter ſigna ex inſtituto, proindeque entia moralia.

Quær. Qua proportione Sacramenta gratiam conferant?

℟. 1. Sacramenta ejuſdem ſpeciei, ac ſolo numero diſtincta, ordinarie gratiam conferunt æqualem, dum æqualis eſt diſpoſitio ſuſcipientis; inæqualem vero, dum inæqualis eſt: id expreſſe docet Trid. ſeſſ. 6. cap. 7. dicens, gratiam Baptizatis conferri *ſecundum propriam cujuſque diſpoſitionem & cooperationem*. Ratio eſt, quia Sacramenta operantur veluti agentia naturalia, quorum eo major vel minor eſt efficacia, quo major eſt vel minor ſubjecti diſpoſitio: ut patet in igne, qui magis ſiccum quam humidum accendit; & duo æqualiter ſicca, æqualiter. Nec inde ſequitur, quod dum gratia augetur in magis diſpoſito, augmentum iſtud ex virtute Sacramenti minime prodeat: prodit ſiquidem ſimul ex virtute Sacramenti, tamquam ex opere operato, & ex diſpoſitione ſuſcipientis, tamquam ex merito ſeu conditione, ſine qua gratia non augetur.

Dixi 1. *Suſcipientis diſpoſitio*, quia propter majorem vel minorem ſanctitatem Miniſtri gratia non augetur: Hoſtia ſiquidem a ſanctiore Sacerdote conſecrata, melior proculdubio non eſt. Nec refert, quod Miſſa a bono quam ab impio Sacerdote magis ſit fructuoſa: quia ideo tantum magis eſt fructuoſa, quia uberiora actualia gratiæ auxilia impetrat aut confert.

Dixi 2. *Ordinarie*, quia cum juxta Trid. ſeſſ. 6. Juſtitia ſingulis concedatur prout vult Spiritus Sanctus, majorem conferre poteſt ſpeciali benevolentia ei, quem ad majorem perfectionem & gloriam prædeſtinavit, licet non ſit magis diſpoſitus.

℟. 2. Sacramenta ſpecie diſtincta inæqualem conferunt gratiam: quia juxta Trid. ob. 7. can. 3. Sacramenta alia aliis ſunt nobiliora, & excellentio-

tiora. Atqui causa excellentior effectum proculdubio excellentiorem producit. Ergo.

## ARTICULUS III.

### *An Sacramenta ficte, seu cum obice suscepta reviviscant.*

*Not.* 1. FIctionem hic non sumi pro simulatione, qua quis Sacramentum se velle suscipere fingeret, quod tamen suscipere non intenderet; sed sumi pro obice seu mala dispositione, qua quis impeditur ne effectum Sacramenti consequatur. Et hic vel est positivus, dum quis ad Sacramentum accedit conscius gravis peccati minime retractati; vel negativus, dum quis bona fide existimat se bene esse dispositum, qui tamen non est.

*Not.* 2. Discrimen esse inter Sacramentum invalidum, & Sacramentum informe. Invalidum est illud, cui aliquid essentiale deest in esse Sacramenti, ut si Baptismus conferretur non adhibita forma, aut materia necessaria. Informe autem est illud, cui ad esse Sacramenti nihil quidem deest essentiale, gratiam tamen minime confert, ob suscipientis indispositionem, licet de se sit validum.

*Not.* 3. Quæstionem hic non procedere, utrum, obice remoto, character reviviscat. Certum est siquidem characterem non imprimi juxta suscipientis dispositionem, sed juxta Sacramenti validitatem; qua semel posita, in Sacramento characteris impressivo infallibiliter character imprimitur. Sed quæst o est tantummodo de gratia; utrum nempe ea quæ propter obicem statim collata non fuit, sublato obice, posthac conferatur. Circa quod

Dico I. Sacramenta characterem imprimentia, sublato obice, reviviscunt,

*Prob.*

*Prob.* 1. Auctor. D. Aug. expreſſe dicentis, Baptiſmum, ſublato obice, reviviſcere. Lib. 1. de Baptiſmo c. 12. & lib. 3. c. 13. habeturque cap. *Quamvis* diſt. 3. *de Conſecratione*. Et licet de Ordine, ac Confirmatione nihil aſſeruerit, quia forſitan de his Sacramentis ſermonem faciendi occaſio non occurrerit; idem de iiſdem aperte docent duo Scholæ lumina, D. Th. 4. diſt. 4. q. 3. art. 2. & D. Bon. diſt. 4. p. 1. art. 2. q. 3.

*Prob.* 1. Quia certum eſt ex Trid. ſeſſ. 9. c. 3. peccatum originale remitti non poſſe, niſi per Baptiſmum, aut ejus votum; ex quo principio alterutrum neceſſario concluditur, vel eum qui ſemel Baptiſmum rite ſuſcepit, amplius juſtificari non poſſe, quod infinitæ bonitati Dei, qui neminem vult perire, omnino eſt contrarium; vel fictione ſublata, Baptiſmum reviviſcere. Probatur primum, quia, qui ſemel rite Baptiſmum ſuſcepit, juſtificari non poteſt nec per novum Baptiſmum, cum ſit initerabilis; nec per Baptiſmi votum, cum nullus deſiderare poſſit id quod amplius recipi non poteſt. Reſtat igitur, ut per Baptiſmi reviviſcentiam juſtificetur. Alias juxta Tridentini principium nunquam juſtificari poterit, quod omnino eſt inconveniens.

Idem, propter eamdem rationem, de Confirmatione, & Ordine dicendum eſt, quia nempe cum hæc Sacramenta ſint initerabilia, rite confirmatus, aut ordinatus nunquam gratiam ſacramentalem his Sacramentis annexam, tum ad fidem ſtrenue profitendam, tum ad digne ſacras functiones obeundas maxime neceſſariam, comparare non poſſet, quod videtur incredibile.

Dico II. Veriſimile eſt Matrimonium, & Extremam Unctionem, durante eodem conjugio, & morbo, reviviſcere.

*Prob.* Ex D. Th. ſup. cit. & eadem ratione mox allata; quia, cum hæc Sacramenta, durante eo-

dem

dem conjugio eodemque morbo, ſint initerabilia; durum plane videtur quod qui hæc cum obice ſuſcepit, auxiliis adeo neceſſariis ad onera Matrimonii obeunda; aut Diaboli luctam ſuperandam, ineluctabiliter privetur:

Dico II. Nec Pœnitentia, nec Euchariſtia reviviſcunt:

*Prob.* 1. pars. Quia impoſſibile eſt ut Sacramentum Pœnitentiæ validum ſit, & informe ſimul; quidquid enim neceſſarium eſt ut ſit formatum, neceſſarium eſt item ut ſit validum; nempe Attritio, & Confeſſio. Dum igitur hi deſunt Pœnitentis actus, nullum eſt Sacramentum: Quod autem nullum eſt, aut numquam fuit, reviviſcere utique non poteſt:

*Prob.* 2. pars. Quia magnum ex hujus Sacramenti reviviſcentia inconveniens exurgeret, & nullum ex ejus non reviviſcentia. Ex ejus reviviſcentia ſequeretur, hominem ſacrilegum, poſt Communiones ſacrilegas millies repetitas, maximum Sanctum ſtatim evadere poſſe per Pœnitentiam in fine vitæ ſuæ factam, cum per hanc omnes gratias, quas ſacrilegiis ſuis amiſit, recuperaret; quod eſt abſurdum. Nullum autem inconveniens ſequitur, ſi Euchariſtiam non reviviſcat; cum ſæpius ſit iterabilis, poſſitque quotidie a Fidelibus ſuſcipi.

## QUÆSTIO II.

### *De ſecundario Sacramentorum effectu, ſcilicet charactere.*

*Not.* CIrca characterem ſacramentalem, quem recentiores Hæretici, Lutherani ſcilicet, & Calviniſtæ, tamquam Romanæ Eccleſiæ commentum inane rejecerunt; quæri poteſt, quid ſit, in quo conſiſtat, & quæ Sacramenta illum imprimant. Igitur.

Di-

Dico I. Character *eſt ſignum quoddam ſpirituale indelebile, & initerabile, quo anima inſignitur ad ſuſcipiendum, vel aliis tradendum ea quæ ſunt Divini cultus.*

*Prob.* Simul & explicatur Concluſio, quæ excerpta eſt ex D. Thoma p. 3. q. 63. ad 4. & ex Trid. ſeſſ. 7. can. 9.

Dicitur 1. *Signum*, per quod Characterizati inter ſe aſſimilantur, & ab aliis non Characterizatis diſtinguuntur: hæc eſt enim omnis ſigni proprietas. Additur, *ſpirituale*, quia cum in anima ſpirituali recipiatur, ipſum ſpirituale eſſe neceſſe eſt.

Dicitur 2. *Indelebile*; ita ut remaneat etiam poſt hanc vitam in Beatis ad gloriam, & in damnatis ad pœnam. Ratio D. Aug. eſt, lib. 2. cont. Parmen. c. 15. quia character animæ impreſſus ſe habet, ſicut imago Regis impreſſa monetæ, quæ indelebilis eſt quandiu moneta manet integra. Deinde, ſi deleretur character, vel ab ipſo Deo, vel ab aliquo ſibi phyſice contrario, vel a cauſa demeritoria, vel tandem ab ipſiuſmet ſubjecti corruptione. Non primum, quia finis propter quem characterem in anima Deus imprimi voluit, ſemper remanet; nempe, ut diſtinguantur Characterizati a non Characterizatis. Non ſecundum; quia qualitas ſpiritualis ac ſupernaturalis nihil ſibi contrarium habere poteſt. Non tertium: quia in ipſomet actu peccaminoſo, receptione ſcilicet Sacramenti ſacrilega, ſæpius infunditur. Non quartum; quia ſubjectum ejus, anima, ab intrinſeco immortalis eſt, atque incorruptibilis.

Dicitur 3. *Initerabile*; per characterem ſiquidem, inquit Trid. cit. Sacramenta evadunt initerabilia; & ratio eſt D. Auguſt. mox cit. quia Sacramenta characterem impreſſiva, per modum conſecrationis conferuntur: Eccleſia autem, vel Altare, vel quodlibet aliud ſemel conſecratum,

ite-

iterum non debet consecrari; cum prima semper remaneat consecratio, & nova esset inutilis.

Dicitur 4. *Quo anima insignitur*: indifferens est autem quod character in ipsa animæ substantia immediate subjectetur, vel in ipsius potentiis; cum juxta communiorem ac veriorem sententiam, potentiæ animæ ab ejus substantia realiter non distinguantur.

Dicitur 5. *Ad suscipiendum vel aliis tradendum ea quæ sunt Divini cultus*. Siquidem character ad genus simul qualitatis, & ad speciem potentiæ spiritualis revocatur. Per qualitatem, Characterizatus ab alio internoscitur; per potentiam vero, tum passivam, tum activam, aptus evadit ut aliquid Sacrum vel suscipiat, vel peragat.

Dico II. Character non est sola denominatio extrinseca adveniens homini, qui ad aliquod opus aut officium est assumptus; nec relatio quædam respectum dicens ad quædam agenda, aut recipienda; sed est verum accidens physicum, reale, & absolutum.

*Prob.* 1. pars. Quia de fide est ex Trid. cit. characterem in anima imprimi. Atqui denominatio extrinseca non imprimitur subjecto cui affingitur; ut patet in denominatione superioris in eo qui fit Superior. Deinde Concil. Trid. definiens characterem esse signum spirituale impressum animæ, aliquid aliud voluit, quam Hæretici ab ipso damnati volebant: non autem negabant Hæretici, deputatum ad novas functiones novam acquirere denominationem extrinsecam.

*Prob.* 2. pars. Quia relatio nullum aliud munus obtinet, quam unum ad aliud referre: characteri autem plurima alia conveniunt munia, ut dictum est. Ergo. Deinde relatio resultat ex fundamento & termino: character autem vere produci-

ducitur in anima per actionem realem. Ergo. Ex quo ratiocinio

*Prob.* 4. pars. Quidquid enim ab actione reali producitur, phyſicum, reale, & abſolutum eſſe neceſſe eſt.

Dico III. Quædam novæ Legis Sacramenta characterem imprimunt, Baptiſmus ſcilicet, Confirmatio, & Ordo.

*Prob.* 1. Ex Scriptura, Epheſ. 3. *Ex quo credentes ſignati eſtis.* Et 1. Cor. 4. *Unxit nos*, id eſt per gratiam, *& ſignavit nos*, per characterem. Verum quidem eſt, hæc & ſimilia loca intelligi poſſe de gratia ſanctificante, quæ nos & ungit & ſignat, tum in Filios Dei, tum in ejus Milites, aut Miniſtros; ſed aperta Patrum traditione, & Eccleſiæ definitione, omnino ſunt determinata ad ſignificandam ſigillationem, quæ fit per characterem a gratia diſtinctum. Docent ſiquidem Sancti Patres etiam antiquiores, S. Baſil. Hom. 13. S. Cyril. Hieroſol. Catech. 77. S. Auguſt. lib. 6. contra Donatiſtas, ſignaculum illud indelebile eſſe atque inamiſſibile, gratia autem amiſſibilis eſt: ergo ab ipſo charactere diſtinguitur. Imino. Auguſt. expreſſe docet Epiſt. 27. ad Boniſ. Epiſc. Baptiſmum ab impiis & Hæreticis datum, ideo valere, quia characterem imprimit. Et Epiſt. 30. ad Boniſ. Comitem, Paſtorem ſollicitum eſſe debere de ove perdita; quia character in ea, etiam errante, remanſit. His auctoritatibus accedit clara definitio Florent Decr. de Sacram. & Trid. ſeſſ. 7. Can. 9. *Si quis dixerit*, inquit, *in tribus Sacramentis, Baptiſmo, ſcilicet, Confirmatione & Ordine, non imprimi characterem in anima, hoc eſt, ſignum quoddam ſpirituale, & indelebile, unde ea iterari non poſſunt, Anathema ſit.*

*Prob.* 1. Ex congruentia. Quemadmodum enim in Republica terrena aliud eſt ſignum, quo aliqui in numerum Civium coaptantur, aliud quo ad

militiam adſcribuntur, aliud denique, quo ad publicas functiones ordinantur: ita in Regno Chriſti, quod eſt Eccleſia, alius eſt character Civitatis ſeu Familiæ Chriſti, alius eſt Militiæ Chriſtianæ, alius tandem Poteſtatis ſeu Miniſterii Eccleſiaſtici. Primus per Baptiſmum, ſecundus per Confirmationem, tertius per ſacram Ordinationem imprimitur.

Nec obeſt quod in aliis Sacramentis quilibet deputetur ad Familiam Chriſtianam; non enim per hæc deputatur ut ſpecialis officialis, ſicut per ſupradicta; ſed accipit tantummodo gratias ſacramentales, pro quibuſdam particularibus neceſſitatibus, in Pœnitentia, ut a peccatis mundetur, in Euchariſtia, ut nutriatur & creſcat, in Extrema-Unctione, ut purgetur a reliquiis peccatorum, & confortetur in ultima lucta, &c.

## CAPUT VII.

### *De Sacramentorum Cæremoniis.*

NOmine Cæremoniæ intelliguntur circumſtantiæ quædam exteriores & religioſæ ad cultum divinum, vel a Chriſto Domino, vel ab Apoſtolis vel ab Eccleſia inſtitutæ. Porro Cæremoniæ, aliæ reſpiciunt cultum divinum in genere, dicunturque Sacramentalia; aliæ reſpiciunt decoram Sacramentorum adminiſtrationem, & ſtricte dicuntur Ritus ſacramentales. Primum agemus de Ritibus, deinde de Sacramentalibus.

QUÆ-

## QUÆSTIO I.

### *De Ritibus Sacramentalibus.*

*Not.* CIrca Ritus Sacramentales multipliciter erraverunt recentiores Hæretici, docentes, 1. hos Ritus in primæva Eccleſia inuſitatos fuiſſe. 2. Eccleſiam novos Ritus inſtituendi poteſtatem non habere. 3. Ipſos omnino inutiles eſſe. 4. Demum neminem eos obſervare teneri. Contra quos

Dico I. In primævis Eccleſiæ temporibus Ritus nonnulli fuerunt inſtituti atque adhibiti, ad ſolemnem Sacramentorum adminiſtrationem & confectionem.

*Prob.* Auctoritate ac teſtimonio veterum Sanctorum Patrum, qui horum Rituum quovis ſæculo meminerunt. Tertull. qui lib. de Corona Milit. cæremonias complures in Baptiſmi & Euchariſtiæ Sacramentis celebratione ab Eccleſia jamdiu adhibitas, ex Traditione Apoſtolica refert. Cyprian. Epiſt. 76. ad Magnum meminit Exorciſmi, quo Dæmon adjuratur, antequam Baptiſmus conferatur: & in Epiſtola ad Cœcil. probat in conſecrando Calice aquam vino miſcendam eſſe, prout fecit & docuit Chriſtus Dominus, & annuntiaverunt Apoſtoli. S. Cyrillus Hieroſ. cæremonias in Sacramentorum celebratione ſuis temporibus uſurpatas exponit Catecheſibus Myſtag. Idem faciunt S. Baſilius lib. de Spiritu ſancto, c. 27. S. Aug. &c. quos referre longius eſſet. Id inſuper probant antiquiſſimæ Eccleſiæ tum Latinæ, tum Græcæ Liturgiæ, Euchologia, & Ritualia.

Dico II. Eccleſia novos Ritus inſtituendi poteſtatem habet.

*Prob.* Auctoritate & ratione Conc. Trid. ſeſſ. 21. c. 2. *Id autem*, inquit, *Apoſtolus non obſcure*

*visus est innuisse, cum ait: Sic nos existimet homo, ut Ministros Christi, & dispensatores Mysteriorum Dei; atque ipsum quidem hac potestate usum esse satis constat; cum . . . . . ordinatis nonnullis circa Eucharistiæ usum, Cetera, inquit, cum venero, disponam.* Inter autem illa recenset Aug. Epist. 118. cap. 6. Ritum accedendi jejune ad Eucharistiam.

*Confirm.* Conclusio ex perpetua praxi Ecclesiæ, quæ ab initio ad hæc usque tempora, hanc in se agnovit potestatem ex antiquissimis omnium Ecclesiarum Ritualibus.

Dico III. Ritus ac Cæremoniæ in Sacramentis usurpatæ, sunt perutiles.

*Prob.* Enumeratione fructuum qui ex his colliguntur. 1. Major erga Sacramenta veneratio excitatur. 2. Sacramentorum effectus magis declarantur. 3. Mens in spiritualium rerum contemplationem erigitur, fidesque & charitas excitatur. Nam *cum natura*, inquit Conc. Trid. sess. 22. cap. 3. *hominum ea sit, ut non facile queat sine adminiculis exterioribus ad rerum divinarum meditationem sustolli; propterea pia Mater Ecclesia Ritus quosdam instituit . . . quibus & majestas tanti Sacrificii commendaretur, & mentes Fidelium per hæc visibilia religionis & pietatis signa ad rerum altissimarum, quæ in hoc Sacrificio latent, contemplationem excitarentur.*

Nec obstat, quod hæ Cæremoniæ non solum a a Judæis, sed etiam ab Ethnicis sint usurpatæ. Quia pari jure Sacramenta essent etiam rejicienda, cum Ethnici Diaboli æmulatione illa sæpius usurparint, ut egregie observat Tertull. lib. de præscript. cap. 21.

Dico IV. Ritus ab Ecclesia receptos, & approbatos, & adhiberi solitos, mutare & omittere, peccatum est mortale ex genere suo.

*Prob.* Ex innumeris Conciliorum Canonibus, &

Sum-

Summorum Pontificum Decretis, qui ſæpius eos anathematizarunt, qui quoſdam Ritus obſervare nolebant; cujus rei inſigne eſt exemplum Controverſia de Paſchate inter Victorem Papam, & orientales Epiſcopos, quibus Victor minatus eſt excommunicationem, ſi Paſcha deinceps cum Judæis celebrarent Luna 14. Martii, in quamcumque Hebdomadæ diem incideret. Immo Conc. Nic. I. eoſdem Orientales, qui Ritui a Victore Papa damnato adhærebant, excommunicavit. Jure igitur ac merito Conc. Trid. ſeſſ. 7. hunc Canonem edidit: *Si quis dixerit Ritus hujuſmodi contemni, aut ſine peccato a Miniſtris pro libitu omitti, aut in novos alios per quemcumque Eccleſiarum Paſtorem mutari poſſe, anathema ſit.*

Dixi, *ex genere ſuo*: per accidens ſiquidem peccatum iſtud veniale eſſe poteſt, cum ſcilicet id contingit ex defectu non multum culpabili, aut attentionis, aut ſcientiæ: vel dum eſt levis materia, nec ullum intercedit ſcandalum, aut contemptus ſaltem interpretativus. Materia autem cenſetur levis, dum Ritus nonniſi remote ad Sacramentum concurrit, & aliunde leviter tantum confert ad actionem Myſterii, & ad reverentiam aut decorem Sacramenti. Tales cenſentur genuflexiones, cervicum inclinationes, pectoris tunſiones, manuum elevationes &c.

## QUÆSTIO II.

### *De Sacramentalibus.*

*Not.* *Sacramentalia ſunt quædam Cæremoniæ & Ritus externi analogiam aliquam cum Sacramentis habentes, & ab Eccleſia inſtituti ad effectus aliquos ſpirituales producendos.* Talia ſunt Crucis efformatio, Aquæ benedictæ aſperſio, Epiſcopalis Benedictio, panis benedicti comeſtio, generalis Confeſſio, pectoris tunſio, Orationis Dominicæ recitatio, &c.

De quibus inquiritur an gratiam aliquam producant, & quomodo. Circa quod

Dico I; Sacramentalia gratiam aliquam in anima producunt.

*Prob.* Ex Sacramentalium definitione ab omnibus recepta: dicuntur siquidem ab Ecclesia instituta ad effectus aliquos spirituales producendos. Ratio est, quia si nullum producerent effectum, vane & insulse ab Ecclesia fuisset instituta, quod nefas est dicere de dilecta Sponsa Christi, quæ in suo regimine & in omni sua agendi ratione, a Spiritu sancto semper est illustrata. Hinc Sancti Patres virtutem non mediocrem Sacramentalibus tribuerunt. Alex. I. asserit Aquam benedictam animam sanctificare; & Aug. Ench. c. 71. Ep. 138. & alibi docet Confessionem generalem, pectoris tunsionem, Orationis Dominicæ recitationem, minima & quotidiana delere peccata.

Dico II. Sacramentalia sanctificationem ac peccatorum venialium remissionem, nec proprie ex opere operato, nec proprie ex opere operantis conferunt: sed modo quodam intermedio mox exponendo.

*Prob.* 1. pars. Quia Ecclesia nova instituendi Sacramenta potestatem non habet; si autem Sacramentalia gratiam ac remissionem peccatorum venialium ex opere operato conferrent, vera essent Sacramenta. Ergo. Deinde Ecclesiæ Prælati, etiam Summi Pontifices, non possunt, nisi Sacramentum aliquod conferendo, ex sua propria auctoritate peccati, vel minimi, remissionem conferre. Ergo nec instituere quædam signa, quæ de se hanc virtutem habeant.

*Prob.* 2. pars. Quia si Sacramentalia gratiam ac venialium remissionem conferrent tantum ex opere operantis, quatenus scilicet excitant pios motus dilectionis, doloris, humiliationis, devotionis, &c. sequeretur Imagines, Cruces, pias

Le-

Lectiones, Conciones, bonum exemplum, &c. etiam eſſe Sacramentalia, cum hos motus in nobis etiam excitent. Dicendum igitur eſt Sacramentalia, non quidem immediate gratiam ac remiſſionem venialium conferre, prout conferunt vera Sacramenta; nec etiam generaliter, ſicut quilibet motus pii, qui hanc gratiam & remiſſionem de ſe merentur; ſed quaſi per modum operis operati, quatenus ex Eccleſiæ vel benedictione, vel inſtitutione, de ſe habent virtutem quam Eccleſia ipſis a ſponſo impetravit, nonnullas conferendi gratias actuales, quibus pii motus infallibiliter excitantur in cordibus eorum, qui cum debitis circaſtantiis his utuntur Sacramentalibus.

## DE SACRAMENTIS IN PARTICULARI.

## DISSERTATIO I.

### *De Baptiſmi Sacramento.*

BAptiſmi naturam, materiam, & formam, proprietates varias, Miniſtrum, ſubjectum, effectus, & cæremonias in hac Diſſertatione exponemus.

### CAPUT I.

#### *De Baptiſmi natura, aut eſſentia.*

*Not.* BAptiſmi, qui, juxta nominis etymologiam ex Græco deſumptam, ablutionem, ſeu immerſionem ſignificat, triplex a Theologis diſtinguitur, fluminis ſcilicet, flaminis, & ſanguinis. Baptiſmus fluminis verum eſt novæ Legis Sacramentum; ſic dictum, eo quod per aquam fluentem conferatur. Baptiſmus flaminis eſt vera cordis contritio, Baptiſmi fluminis votum includens; ſic nuncupata, quod a ſancto flamine

inſpiretur. Baptiſmus ſanguinis eſt Martyrium pro Chriſto perpeſſum. Hæc duo poſtrema dicuntur Baptiſma, non vere & proprie, ſed tantummodo analogice, quatenus vicem ſupplent veri Baptiſmi, dum is re ipſa ſuſcipi non poteſt. Certum quippe eſt ex Apoſtolo, Epheſ. 4. unum tantum eſſe Baptiſma, ſicut & unam Fidem. Ideo cum D. Th. 3. p. q. 66. art. 11. dicendum eſt, hæc duo Baptiſmata in Baptiſmo fluminis includi; quum ſicut & ille, omnem ſuam habeant efficaciam ex Paſſione Chriſti, & ex Spiritu Sancto, eumdem producant effectum, originalis ſcilicet peccati remiſſionem, ac ſpiritualem regenerationem. Porro Baptiſmi fluminis, de quo tota inſtituitur Diſſertatio, hic natura, & eſſentia inquiritur, & omiſſis variis, quæ a diverſis Auctoribus afferuntur, definitionibus,

Dico: *Baptiſmus eſt Sacramentum a Chriſto Domino inſtitutum ad ſpiritualem hominis regenerationem per exteriorem corporis ablutionem, ſub præſcripta verborum forma.*

*Prob.* & explicatur definitio.

Dicitur 1. *Sacramentum*, eſt enim ſignum ad noſtram juſtificationem divinitus inſtitutum. Hanc veritatem Scriptura, Concilia, & Patres voce adeo concordi docent, ut & ipſimet Hæretici eam negare non fuerint auſi.

Dicitur 2. *Inſtitutum ad ſpiritualem regenerationem*; per quod Baptiſmus diſtinguitur a Pœnitentia, quæ non regenerare, ſed reſuſcitare dicitur; eum non primam vitam ſpiritualem conferat, ſed jam amiſſam reſtituat.

Dicitur 3. *Per externam corporis ablutionem*, ut denotentur res ſenſibiles, quibus Deus utitur, ut a peccato originali nos emundet, juxta illud Apoſt. Epheſ. 5. *Mundans eam lavacro aquæ in verbo vitæ.*

Hanc autem definitionem optimam eſſe patet, tum

tum quia genere & differentia conſtat, tum quia completam Baptiſmi eſſentiam phyſicam, & metaphyſicam clare exponit.

Quær. 1. Quandonam inſtitutum fuerit Baptiſmi Sacramentum?

R. Circa hanc quæſtionem multiplicem eſſe Doctorum ſententiam. Quidam cenſent, Chriſtum Dominum hoc Sacramentum inſtituiſſe poſt ſuam Reſurrectionem, dum dixit Apoſtolis ſuis: *Docete omnes Gentes, Baptizantes eos*, &c. Sed minus probabiliter id aſſeritur, tum quia Apoſtoli Euchariſtiam, & ordinem ſacerdotalem in ultima Cœna receperunt: hæc autem Sacramenta recipere non potuiſſent, niſi jam recepiſſent Baptiſmum, qui janua eſt aliorum Sacramentorum, tum quia certum habemus ex Evangelio. Joann. 3. Diſcipulos Chriſti ante Paſſionem ejus baptizaſſe, non quidem Baptiſmate Joannis, ut poſt Tertullianum docent nonnulli, ſed vero Chriſti Baptiſmate, ut clarè docet Auguſtinus Tract. 12. in Joan.

Alii exiſtimant Chriſtum Dominum Baptiſmum inſtituiſſe, cum ipſe a Joanne baptizatus eſt: ſed adhuc minus probabiliter, tum quia Baptiſmus Joannis nihil commune habuit cum Baptiſmate Chriſti, proindeque concludi non poteſt ſuum inſtituiſſe, dum alium plane diverſum ſuſcipere dignatus eſt; tum quia antequam Chriſtus baptizaretur, nondum Evangelium ſuum prædicare inceperat, nec Apoſtolos de Baptiſmo inſtruendo elegerat. Dici tamen poteſt Chriſtum Dominum Baptiſmum Joannis ſuſcipientem, ſuum Baptiſmum adumbraſſe, deſignando nimirum ejus materiam, quam tactu ſuo conſecravit, & formam ipſam denotando per manifeſtationem ſanctiſſimæ Trinitatis: ſiquidem *Paterna vox audita eſt, Spiritus Sanctus viſus eſt in Columbæ ſpecie*, & præſens aderat Perſona Filii.

Nonnulli arbitrantur Chriſtum Dominum Baptiſmum inſtituiſſe, dum Nicodemum alloquens, ejus neceſſitatem commendavit, dicens: *Niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu Sancto, non poteſt introire in Regnum Dei.* Sed probabile non videtur, Chriſtum Dominum Sacramentum adeo neceſſarium inſtituiſſe quaſi ſecreto, & coram privata Perſona, ad ejus publicationem minime deſtinata. Unde

Probabilius videtur, ipſum inſtituiſſe paulo poſt primam Evangelii ſui prædicationem, dum nempe Diſcipulos ſuos miſit ad prædicandum & baptizandum; ut habetur Joan. 3. Conveniens ſiquidem erat tunc Baptiſmum inſtitui, dum incipiebat Lex nova, cujus Baptiſmus janua eſt, prædicari.

Quær. 2. In quo Baptiſmus Joannis a Baptiſmo Chriſti differebat?

R. 1. In hoc primo, & eſſentialiter differebant, quod Baptiſmus Joannis verum non erat Sacramentum, nec niſi ad ſummum ex opere operantis vim juſtificandi habebat, quatenus ſcilicet quosdam Pœnitentiæ motus in ſuſcipientibus excitabat, cujus Pœnitentiæ virtute remiſſionem peccatorum conferebat. Unde Evangeliſta non dicit Joannem prædicaſſe *Baptiſmum in remiſſionem peccatorum*; ſed *Baptiſmum Pœnitentiæ in remiſſionem peccatorum*, quaſi hanc remiſſionem tribuens non ipſimet Baptiſmo, ſed potius ipſimet Pœnitentiæ.

*Confirm.* Ex eodem Sancto Joanne, dicente Marco c. 1. *Ego baptizo vos aqua; ille vero baptizabit vos in Spiritu Sancto*; ubi Baptiſmo ſuo tantum mundationem exteriorem per aquam, Baptiſmo autem Chriſti etiam interiorem per gratiam tribuit. Inſuper confirmatur Tridentini auctoritate anathematizantis ſeſſ. 7. Can. 1. eum, *qui dixerit, Baptiſmum Joannis eandem vim habuiſſe cum Baptiſmo Chriſti.*

2. Dif-

2. Differt, quod Joannis Baptiſmus nullum characterem imprimebat, ideo legitur Act. 19. eos qui baptizati fuerant Joannis Baptiſmate, iterum Baptiſmo Chriſti fuiſſe baptizatos.

3. Quod Joannes inter baptizandum nulla utebatur forma,

4. Quod ſolis Adultis conferebatur; quia erat quædam ad Pœnitentiam exhortatio, ut homines ad Meſſiæ adventum præpararet: unde a Sanctis Patribus dicitur Baptiſmus præparatorius, initiatorius ad Chriſti Baptiſmum.

## CAPUT II.

### *De Materia, & Forma Baptiſmi.*

*Not.* ET recole ex dictis ſuperius, duplicem eſſe Baptiſmi materiam, remotam ſcilicet, & proximam: de utraque hic nobis eſt agendum, & poſtea de forma. Igitur,

Dico I. Materia remota Baptiſmi eſt aqua vera & naturalis: eaque in eo ſtatu, in quo eſt ad abluendum apta.

*Prob.* Ex Scriptura, Joan. 3. *Niſi quis renatus fuerit ex aqua*, & Act. 8. *Ecce aqua: quid prohibet me baptizari?* Epheſ. 5. *Mundans lavacro aquæ in verbo vitæ*. Verba autem Scripturæ in proprio ſenſu intelligenda eſſe, certiſſima eſt omnium Patrum ſententia, dum nempe nullum inde ſequitur incommodum contra Fidem, vel charitatem Dei, vel proximi, maxime cum Lex fertur, aut Sacramentum inſtituitur, Unde jure ac merito Concilium Tridentinum anathema contorſit ſeſſ. 7. Can. 1. adverſus priſcos Hæreticos, Manichæos ſcilicet, Seleucianos, Jacobitas, & recentiores, Lutheranos & Calviniſtas, qui verba Chriſti, *Niſi quis renatus*, &c. ad metaphoram detorſerunt, aliam materiam Baptiſmi quam aquam naturalem

assignantes, aut ipsam absolute necessariam non esse contendentes.

Accedit communis Ecclesiæ sensus, praxis ac Traditio perpetua, ut testantur Patres antiquiores, Justin. in Apologia 2. Tertull. lib. de Bapt. S. Cypr. lib. 3. ad Quirin. Ambrosius lib. de Spiritu Sancto, cap. 1. Hieron. in cap. 16. Ezechiel. &c. Ratio a priori nulla est, nisi voluntas Christi, qui aquam præ aliis materiis eligere voluit; quia convenientior erat ad Baptismi effectus significandos, ablutionem scilicet animæ, cupiditatum restinctionem, veteris hominis submersionem ac sepulturam, &c. Ex conclusione

*Resolv.* 1. Validum esse Baptismum in aqua maris, fluminis, putei, fontis, pluviæ, sive calida, sive frigida, sive colorata sit, sive non, sive ipsa fluat ex humore & ex lapidibus; sive ex nive, grandine, glacie sit resoluta; quia de illis omnibus verum est dicere quod sit aqua naturalis.

*Resolv.* 2. Nullum esse Baptismum collatum cum saliva, phlegmate, sudore, lacrymis, nec cum ptisana, cerevisia, jusculo bene cocto: nec cum liquore ex vitibus defluente, nec ex rosis aliisque floribus expressis, nec ex glacie, nive, pruina, & similibus nondum resolutis, quia non censentur esse naturalis aqua, nec ad abluendum apta.

*Resol.* 3. Dubium esse Baptismum in lixivo, in jusculo leviter cocto, cerevisia tenui, & aqua ex sale resoluta: nec cum ipsis baptizare licet, nisi in extrema necessitate, & sub conditione: *Si materia est sufficiens, Ego te baptizo.*

Dico II. Materia Baptismi proxima est ablutio aquæ immediate fluentis in partem corporis saltem notabilem, sive hæc ablutio immersiva sit, sive infusiva, sive aspersiva, sive una sit, sive gemina, trinave.

*Prob.* 1. pars. Quia Baptismus est essentialiter,

ter, teſte Apoſtolo Epheſ. 5. *Lavacrum aquæ*: nullum autem eſt lavacrum ſine ablutione.

*Prob.* 2. pars. Quia nulla cenſetur adeſſe ablutio, ubi non adeſt fluxus ſucceſſivus aquæ abluentis.

*Prob.* 3. pars. Quia homo aqua non abluitur, niſi ipſa eum phyſice atque immediate tangat.

*Prob.* 4. pars. Quia ſicut Æthiops non dici poteſt albus ex ſuorum dentium albedine, ita nec homo ablutus dici poteſt ex cujuslibet partis corporis ſui ablutione.

*Prob.* 5. & 6. pars. Quia nullum his ex modis abluendi, aut ablutionis numerum, Chriſtus unquam determinavit. Ex concluſione,

*Reſol.* 1. Qui puerum projiceret in puteum, a quo emergi non poſſet, cum formæ prolatione, & animo ipſum baptizandi, nihil efficeret, quia talis actio ſecundum moralem exiſtimationem non eſſet ablutio, ſed immerſio. Multo minus baptizaret, qui videns puerum in flumen cadentem, ſuper eum formam proferret, tum ob ſupradictam rationem, tum quia invalidum eſt Sacramentum ſine propria Miniſtri actione.

*Reſol.* 2. Qui ſuper pueri moribundi frontem digito aqua intincto crucem formaret, valide baptizaret; quia quovis modo fluat aqua, ſive proprio pondere, ſive actione externa, hæc ad veram ablutionem ſufficit. Qui autem digito aqua intincto unam, aut alteram guttulam non fluentem aſpergeret nihil efficeret, ob contrariam rationem.

*Reſolv.* 3. Qui veſtes baptizandi tantum abluerent, non baptizaret; quia aqua immediate ſuper corpus fluere debet. Dubium autem eſſet Baptiſma, ſi aqua capillos tantum, qui non cenſentur propriæ corporis partes, aut ſecundinas, quibus puer incluſus eſt, dumtaxat attingeret.

*Reſolv.* 4. Qui digitum tantuminodo pueri abluerent, invalidus eſſet Baptiſmus: dubius vero

qui

qui manum, aut pedem: validus qui in neceſſitate, pectus & humeros; citra tamen neceſſitatem abluendum eſt caput, præcipuum hominis membrum, in quo vigent omnes ſenſus. Licet autem communiter cenſeatur Baptiſmum in digito factum eſſe invalidum, in extrema tamen neceſſitate eſſet abluendus; quia ſententia contraria non eſt omnino certa, & charitas præcipit, ut quo ſieri poteſt modo, puero in tali neceſſitate poſito ſuccurramus. Secus dicendum eſt, ſi puer ex utero nullatenus eſſet egreſſus: quia, inquit Aug. Epiſt. 57. ad Dard. nullo modo ſieri poteſt, ut qui nondum natus eſt, renaſcatur.

Dico III. Forma Baptiſmi legitima & neceſſaria, iſta eſt, aut huic æquivalens: *Ego te baptizo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti.*

*Prob.* 1. Concluſio adverſus tum priſcos Hæreticos, maxime Arianos, qui in Baptiſmo conferendo formam hæreſim ſuam exprimentem uſurpabant; tum recentiores, maxime Lutherum, qui aſſerebat quælibet verba ſufficere, modo conferatur aut recipiatur Baptiſmus in nomine Domini. Prob. inquam, ex ipſiſmet verbis Domini, Matth. ult. *Baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti.* Ex Concilio Lateran. Cap. *Firmiter*, Flor. in Decret. Trid. ſeſſ. 7. Canone 4. & ex perenni ac continua Eccleſiæ pruxi & Traditione.

*Confirm.* Ex his; quæ juxta doctrinam catholicam neceſſario ſunt exprimenda in forma Baptiſmi.

1. Neceſſario exprimenda eſt Perſona baptizans quia actus exprimi debet, quatenus a Miniſtro exercetur; cum forma non ſit oratio ſpeculativa, ſed practica, exprimens actum alicujus poteſtatis, quam habet Miniſter. Unde qui diceret: *Baptiza Petrum in nomine, &c.* nihil efficeret.

2. Neceſſario exprimenda eſt Perſona baptizan-

zanda; quia ſicut materia proxima, nempe ablutio, circa aliquam perſonam determinari debet, ita & forma ipſi correſpondens. Ideo qui diceret: *Ego Baptizo in nomine*, &c. omiſſo *te*, aut aliquid æquivalens, non baptizaret.

3. Neceſſario exprimenda eſt actio baptizantis; quia cum infuſio aquæ ſit indifferens ad refrigerationem aut lotionem, debet ad iſtam a forma determinari. Unde Alexander VII. damnavit hanc propoſitionem 27. inter 31. *Valuit aliquando Baptiſmus ſub hac forma collatus: In nomine Patris*, &c. prætermiſſis illis, *Ego te baptizo*.

4. Neceſſario exprimenda eſt unitas naturæ Divinæ; ita ut qui diceret: *In nominibus*, &c. nihil efficeret; quia id expreſſe ordinavit Chriſtus Dominus.

5. Neceſſario exprimenda eſt SS. Trinitatis expreſſa atque diſtincta invocatio: nec validus eſſet Baptiſmus in ſolo nomine Jeſu, aut Chriſti collatus, ob ſupradictam rationem; quia nempe id ordinavit Chriſtus Dominus, & Apoſtoli ab ipſo edocti ſic promulgarunt. Ideo ſemper Eccleſia reprobavit Baptiſmum ab Hæreticis collatum, abſque expreſſa ac diſtincta Sanctiſſimæ Trinitatis invocatione. Et Pelagius Papa, Cap. *Si revera*, & Cap. *Multi*, *de Conſecratione*, diſt. 4. expreſſe reprobat Baptiſmum collatum ſolummodo in nomine Chriſti: nec obſtat quod in nomine Chriſti includantur ceteræ Perſonæ; nam ſicut materia Baptiſmi, ita & forma, omnino debet eſſe ſenſibilis.

Dixi 1. *Vel huic æquivalens*. Forma ſiquidem Græcorum: *Baptizetur Servus vel Serva Dei in nomine*, &c. in Florentino fuit approbata; quia hæc idem ſonat ac ſi diceretur imperative, *Baptizetur manibus meis*. Unde indirecte ſaltem, & implicite, tum perſona Baptizans, tum Baptizata, tum actio Baptizantis exprimuntur.

Dixi 3. *Legitima forma*; quia Latinus graviter

ter peccaret formam Græcam usurpando, & Græcus Latinam; quia Ecclesiæ suæ Ritum in re gravi violaret.

## CAPUT III.

### *De Baptismi Proprietatibus.*

*Not.* TRes præcipuæ sunt Baptismi proprietates: necessitas qua fit ut absque eo salus nequeat obtineri: unitas, propter quam non debeat iterari: prioritas, ratione cujus alia Sacramenta ante ipsum non debeant suscipi. Circa has proprietates

Dico I. Parvulis omnino necessarius est Baptismus in re, necessitate medii; ita ut nullo alio medio, si Martyrium excipias, salutem obtinere possint.

*Prob.* Ex oraculo Christi Domini: *Nisi quis renatus fuerit*, &c. Quod oraculum in sensu proprio & litterali usurpandum est, cum nulla inde sequatur contradictio, prout universa usurpavit antiquitas. Unde D. August. l. 5. de origine anim. cap. 9. ait: *Noli credere Infantes, antequam baptizantur, morte præventos pervenire posse ad indulgentiam originalium delictorum, si vis esse Catholicus.* Idem voce concordi docent omnes Patres; Ambrosius lib. 2. de Abraham c. 11. Hieronymus, Epist. 153. ad Paulin. &c. Ideo jure merito rejicitur, tamquam ad minus erronea, sententia Gersonis, & Cajetani docentium, Infantes ib utero periclitantes salvari posse orationibus aut oblationibus Parentum, Sanctissimam Trinitatem super eos invocantium.

Dico II. Baptismus in re vel in voto necessarius est omnibus Adultis necessitate, tum medii, tum præcepti.

*Prob.* Necessitas medii ex supra dictis; & ex

hac

hac neceſſario conſequitur neceſſitas præcepti, cum media ad ſalutem neceſſaria ex Præcepto divino ſibi comparare quiſque teneatur. Conſtat quidem eum cui Baptiſmi ſuſceptio eſt impoſſibilis, vel defectu Miniſtri, vel defectu materiæ, juſtificationem, proindeque ſalutem obtinere poſſe per dilectionem Dei ſuper omnia. Sed cum in ea neceſſario includatur voluntas efficax, ſaltem implicita, ſervandi omnia Dei mandata, proindeque mandatum de Baptiſmo ſuſcipiendo; reſtat ut deficiente reali Baptiſmo, votum ejuſdem ſaluti omnino ſit neceſſarium.

Quær. Quandonam ſit implendum Baptiſmi præceptum?

℟. 1. Adultum teneri quantocius moraliter poteſt ad Baptiſmum ſe diſponere, & ipſum quamprimum commode poteſt ſuſcipere. Quia præceptum iſtud, vel obligat tantum in articulo mortis vel in aliquo vitæ ſpatio. Primum dici non poteſt; non enim ſolummodo jubemur in Eccleſia Dei mori, ſed etiam vivere. Si ſecundum, nullum aliud tempus aſſignari poteſt, quam illud, quo Myſteria Fidei, & præceptum ea per Baptiſmum profitendi nobis eſt ſufficienter propoſitum. Deinde quilibet ex jure naturali divino ſaluti ſuæ providere tenetur. Sed qui Baptiſmum abſque rationabili cauſa differt, ſaluti ſuæ non providet. Ergo. Nec refert quod antiquitus Baptiſmus per longum tempus procraſtinabatur. Gravis ſiquidem hujus ætatis erat abuſus, in quem Sancti Patres ſæpius inſurrexerunt. Hinc

*Reſol.* A mortali non excuſari poſſe, qui ad annum procraſtinaret Baptiſmum ſuum, immo nec ad ſex menſes, abſque rationabili cauſa a Prælatis approbata.

℟. 2. Baptiſmum Parvulis etiam quamprimum eſſe conferendum juxta præceptum Eccleſiæ, in pluribus Conciliis ſæpius inculcatum, propter mor-

mortis pericula, quæ in hac tenera ætate sunt frequentia. Hinc communiter,

*Resol.* Peccare mortaliter Parentes, qui Parvulorum suorum Baptismum differunt ultra quartum diem, ad Susceptores expectandos, aut leve quodlibet aliud motivum.

Dico III. Baptismus est initerabilis; ita ut ne licite, nec valide iterum conferri possit.

*Prob.* Ex perpetua Ecclesiæ Traditione, a Sanctis Patribus Ambros. Aug. Chrysost. maxime Sancto Leone, semper & ubique annuntiata. *Hanc regulam*, inquit Epist. 79. c. 7. *servandam omnibus Ecclesiis prædicamus, ut Lavacrum semel initum nulla iteratione violetur; dicente Apostolo: Unus Dominus, una Fides, unum Baptisma.* Ratio potissimum est, quia novus Baptismus omnino esset inutilis tum ad peccata post primum Baptismum commissa abluenda, cum ad id sufficiat Pœnitentiæ Sacramentum; tum ad augendam gratiam, cum augeri possit per Eucharistiam, aliaque vivorum Sacramenta. Deinde nativitas spiritualis comparatur a Christo Domino nativitati corporali. Sed unica est ista. Ergo & illa esse debet.

Dico IV. Baptismus tantam inter Sacramenta prioritatem obtinet, ut ante ejus susceptionem illicita sit atque invalida aliorum susceptio.

*Prob.* Ex multis Patribus, maxime Cyprian. Epist. ad Jubaj. *Inde incipit*, inquit, *omnis Fidei origo, & ad spem vitæ æternæ salutaris ingressio, & purificandis ac vivificandis Dei Servis divina dignatio.*

*Confirm.* Auctoritate Joannis III. Cap. *Veniens* ubi mandat Presbyterum non baptizatum baptizari, & iterum ordinari. Accedit auctoritas Conc. Florent. in Decreto, vocantis Baptismum *Vitæ spiritualis januam.* Ratio est evidens; quia sicut homo prius corporaliter nasci debet, quam roboretur, nutriatur, augeatur: ita & prius nasci spiri-

ritualiter, quam ſpiritualiter confirmetur, nutriatur, &c.

*Objic.* Qui credens invincibiliter ſe eſſe baptizatum, communicaret valide, immo & fructuoſe Euchariſtiam ſuſciperet, licet de facto baptizatus non eſſet. Ergo.

*R.* Quoad validam ſuſceptionem, ex theſi generali excipienda eſt Euchariſtia, utpote quæ ante ſumptionem jam eſt completum Sacramentum; unde fatemur credentem invincibiliter ſe eſſe baptizatum, vere Sacramentum recipere, ſed non rem Sacramenti; quia ſi inde aliquod augmentum gratiæ conſequatur, id non fit ex opere operato Sacramenti; ſed ex opere operantis, pietatis nimirum ejus ac devotionis.

## CAPUT IV.

### *De Miniſtro Baptiſmi.*

*Not.* ET recole quæ in ſuperiori Diſſertatione diximus de Sacramentorum Miniſtro ordinario & extraordinario, ex officio & ex neceſſitate: quo poſito,

Dico I. Omnis homo cujuslibet ſexus, conditionis, ac Religionis, valide ſemper & licite in neceſſitate baptizare poteſt.

*Prob.* 1. pars Eccleſiæ Traditione nobis per Sanctos Patres manifeſtata. De Laico id aſſerit Tertul. lib. de Baptiſmo, cap. 7. De muliere, Urb. II. Cap. *Super quibus*, 30. q. 3. De Pagano, Nicol. I. Cap. *a Quodam*, & Eugen. IV. in Decreto pro inſtructione Armenor. De Hæretico, Steph. I. Concil. Nicæn. Arelat. &c. cujus ratio nulla alia aſſignari poteſt, niſi voluntas Chriſti Domini, qui Miniſtrum hujus Sacramenti tam neceſſarii voluit æque eſſe in promptu, ac ejuſdem materiam.

*Prob.* 2. pars ex eadem Traditione & praxi Eccle-

cleſiæ, quæ jubet ut Obſtetrices inſtruantur diligenter de materia & forma in Baptiſmo adhibenda, ad ipſum in neceſſitate conferendum, juxta Florentini Decretum: *In caſu autem neceſſitatis, non ſolum Sacerdos, vel Diaconus; ſed etiam Laicus, vel mulier, imo etiam Paganus, & Hæreticus baptizare poteſt.* Et D. Hieronymus contra Lucif. ait: *Si neceſſitas cogat, ſcimus etiam licere Laicis.* Imo Tert. lib. de Bapt. cap. 17. docet tunc Laicos ad conferendum Baptiſmum jus habere.

Dico II. Soli Sacerdoti, Juriſdictionem ordinariam aut delegatam habenti, Baptiſmum ſolemniter adminiſtrare licet.

*Prob.* 1. pars. Quia Chriſtus Dominus illud ſolemne officium contulit ſolis Sacerdotibus, dicens: *Euntes docete omnes Gentes, Baptizantes eos.* Ex quo textu concludit S. Iſidor. Cap. *Conſtat* de Conſecratione, diſt. 4. *Baptiſma ſolis Sacerdotibus eſſe tractandum.* Et Florentinum ait, *Miniſtrum hujus Sacramenti eſſe Sacerdotem.*

*Prob.* 2. pars. Quia ſolemniter baptizare eſt actus juriſdictionis, quo baptizatus in Eccleſiæ ſinum admittitur. Ergo exerceri non poteſt, niſi ab eo qui in ea Juriſdictionem vel ordinariam, vel delegatam habet, quique Eccleſiæ ſibi commiſſæ præeſt, qualis eſt Parochus, aut qui Vicarii titulo vices ejus gerit. Unde Canones vetant, ne Baptiſmus, citra caſum neceſſitatis, Parvulis (exceptis tamen Filiis Regum aut Principum) alio in Templo, quam in Parochia conferatur. Nec obeſt concluſioni, quod in quinque prioribus ſæculis nulli Sacerdoti, etiam proprio, ſolemniter baptizare abſque Epiſcopi conſenſu liceret; id ſiquidem tunc temporis obſervabatur ob reverentiam Epiſcopis exhibendam, non vero defectu poteſtatis. Ex concluſione

*Reſol.* Lethaliter peccare 1. Sacerdotem, nec proprium, nec delegatum, ſolemniter baptizantem,

2. Pa-

2. Parochum, alterius Parochiæ puerum baptizantem. 3. Parentes Infantes ſuos baptizandos alieno Parocho offerentes; quia teſte Auguſtino, lib. 2. cont. Epiſtol. Parm. cap. 13. in re gravi jus alienum uſurpant.

Quær. 1. An Diacono, ceteriſque inferioribus Clericis, ex commiſſione ſolemniter baptizare licet?

R. Diaconum id quidem poſſe ex commiſſione Epiſcopi vel Parochi, ſed dumtaxat dum id poſtulat neceſſitas, ut patet ex c. *Diaconos* diſt. 93. Utrum autem ſolemnitatem adhibere poſſit, dum ſine commiſſione baptizat in extrema neceſſitate, probabile videtur id poſſe ex eodem Capite. Ubi dicitur, *quod ubi neceſſitas exigit, & Preſbyter eſt abſens, poteſt jure ſuo baptizare*: quibus verbis *jure ſuo*, indicatur quædam poteſtas particularis, quam non habent ceteri, quibus in neceſſitate baptizare licet. Quoad Subdiaconum alioſque Clericos inferiores, apud omnes certum eſt atque indubitatum, etiam in extrema neceſſitate ſolemniter baptizare non poſſe; cum in jure hæc commiſſio numquam fuit illis mandata.

Quær. 2. Quis ordo ſervandus ſit in Baptiſmo, urgente neceſſitate, conferendo?

R. Cum ſancto Carolo in Inſtructione de Baptiſ. & Ritual. Roman. Si adſit Sacerdos, præferendus eſt Diacono, Diaconus Subdiacono, Subdiaconus aliis Clericis, Clericus Laico, Fidelis infideli, & Vir Feminæ: Sacramenti ſiquidem reverentia exigit, ut potius a digniori quam a minus digno conferatur. Quod ſi tamen Laicus peccator eſſet, aut minus peritus eſſet ad Baptiſmum adminiſtrandum, aut ſi illum abſque gravi indecentia adminiſtrare non poſſet, mulier viro, immo in ultimo caſu & proprio Parocho eſſet præferenda.

Porro mortaliter peccaret Diaconus baptizans coram Presbytero, quia cenſeretur gravem injuriam

riam inferre Ordini ſacerdotali. Idem dicendum eſt de Subdiacono, qui coram Diacono baptizaret, qui jus quoddam habet ad collationem Baptiſmi, ſicut ad prædicationem Evangelii; cum illud officium ipſi committi de jure poſſit, quo abſque gravi injuria privari non poteſt. Secus dicendum eſt de Laico, qui coram Subdiacono, aut aliis Clericis baptizaret; quia iſti ad conferendum nullo ſpeciali jure donantur, ideoque levis cenſetur injuria.

Quær. 3. Utrum poſſit aliquis ſeipſum baptizare?

℟. Nequaquam: nec enim Chriſtus mandavit Diſcipulis ut ſeipſos baptizarent, ſed ut ipſi alios baptizarent. Deinde ſicut in carnali generatione alius eſt qui gignit, & alius qui gignitur; ita inter baptizantem, & baptizatum debet eſſe diſcretio. Unde Inn. III. juſſit Cap. *Debitum*, ut denuo baptizaretur Judæus, qui ſe in articulo mortis conſtitutum baptizaverat.

Quær. 4. Utrum plures Miniſtri poſſint eumdem baptizare?

℟. Si plures ſic baptizarent, ut unus infundat aquam, & alter proferat formam; nihil efficitur; quia tunc falſa eſſet forma. Quid ſi uterque aquam infundat & formam proferat; vel unus abſolvit citius altero, vel uterque ſimul eodem temporis momento abſolvit? Si Primum, qui prius abſolvit, Sacramentum efficit, non alter, quia Sacramento jam a primo collato, irrita eſt alterius collatio, cum Baptiſmus ſit initerabilis. Si ſecundum, validum erit Sacramentum, cum nihil ipſi neceſſarium deſit, cum actio unius Miniſtri contraria non ſit actioni alterius; quod patet Sacerdotum ordinatione, ubi plures eamdem ſimul Hoſtiam conſecrant.

Quær. 5. Utrum unus plures ſimul baptizare poſſit?

℟. Affir-

R. Affirmative, ob ſupra dictam rationem; quia nempe nihil in hoc Baptiſmo ex neceſſariis deeſt. Confirmatur exemplo Apoſtolorum, qui plura millia hominum una die baptizabant; quod utique facere non potuiſſent, ſi unum poſt alium ſigillatim baptizaſſent. Accedit auctoritas Ritualis Romani vetans ne plures ſimul baptizentur, niſi propter inſtantem neceſſitatem; ergo plures baptizari poſſunt, ſicut plures ſimul abſolvi, ut ſit ſæpius inſtante conflictu, tempore belli.

## CAPUT V.

### *De Baptiſmi Subjecto.*

*Not.* 1. ULtro concedunt omnes, tum Catholici, tum Hæretici, omnem, & ſolum hominem, ratione utentem, Baptiſmi eſſe ſubjectum, juxta Chriſti Domini mandatum: *Docete Gentes, baptizantes eos, &c.* Quæſtio igitur tantum eſſe poteſt contra Anabaptiſtas & Lutheranos, utrum ratione non utentes Baptiſmi ſint capaces. Pro quo

Dico: Infantes, & a nativitate perpetuo Amentes, aut Furioſi, Baptiſmi ſunt capaces.

*Prob.* Auctor. Conciliorum Carthag. Milevit. Vienn. Brac. Trident. & Sum. Pontific. Siric. Epiſt. 1. ad Himer. c. 2. Inn. Epiſt. 25. ad Conc. Milet. Leon. Magn. Epiſt. 48. ad Epiſcopos Aquil. Inn. III. Cap. *Majores* extr. *de Baptiſmo*. Item & Patrum traditione: Cypr. Epiſt. 59. expreſſe probantis Infantes eſſe capaces Baptiſmi: & S. Auguſt. lib. 1. de Geneſi, c. 22. docentis conſuetudinem baptizandi Parvulos ex Apoſtolica Traditione derivari, &c.

Dixi, *a nativitate perpetuo Amentes*. Nam ſi liquando ratione uſi ſunt, & numquam Baptiſma petierunt, nec valide, nec licite baptizari poſſunt; quia

quia consensus aliquis, dum haberi potest, i Adultis prærequiritur. Ita definiit Inn. III. Ca *Majores* extr. *de Baptismo*.

Quær. 1. Utrum monstra sint baptizanda?

R. Affirmative, si hominis speciem referant alias non. Censentur autem speciem hominis re ferre, si caput & pectus formam humanam ha beant, licet alia membra ferina appareant. In du bio autem utrum factus sit homo, vel bestia, qui nempe caput ferinum est, & reliqua membra sun humana, & tempus urget propter mortis pericu lum; sub conditione baptizandus est, &c. Qu videri possunt in Ritual. Rom. tit. *de Baptismo* & apud S. Carolum Borrom. in Instructione.

Quær. 2. An liceat filios Infidelium baptiza re, invitis parentibus. Certum est siquidem vali de baptizari posse.

R. 1. Hæreticorum parvuli, *per se loquendo* invitis parentibus baptizari possunt, ut in Fid Catholica educentur: quia cum per Baptismum auctoritati Ecclesiæ subjiciantur, ipsa eos cogere potest ut parvulos suos ad Baptismum præsentent. Ergo &, iphs invitis eos baptizare. Dixi *per se loquendo*; quia si inde grave scandalum timere tur, ab hac violentia foret abstinendum.

R. 2. Infantes Mancipiorum infidelium, qui numquam Baptismi fidem susceperunt; idem dici to de parvulis Captorum in bello justo, possunt ac debent, invitis Parentibus, baptizari; quia Mancipia per servitutem omne amiserunt dominium, quod Dominis suis fuit translatum: unde sicut absque injuria eorum Domini possunt ipsorum parvulos ab ipsis eripere, & aliis vendere; ita & aliis tradere, ut in Fide Catholica educentur, Quod autem Domini Mancipiorum ad id teneantur, probatur; quia cum Domini succedant in locum Patris servi, qui per servitutem patria auctoritate privatus est respectu educationis ac dispositionis filiorum

rum ſuorum, tenentur proculdubio ipſis neceſſaria, tum ad vitam corporalem, tum maxime ad ſpiritualem ſuppeditare, modo id poſſint abſque nimio gravamine, & abſque periculo profanationis Baptiſmi.

R. 3. Principibus Chriſtianis non licet pueros Infidelium non baptizatorum, civiliter tantum ſibi ſubditorum, ipſis invitis, baptizare. Ita Div. Thom. 2. 2. quæſt. 10. art. 12. ad 2. & 3. part. quæſt. 68. art. 10. ad 1. Accedit praxis univerſalis Eccleſiæ, quæ filios Infidelium, parentibus invitis, baptizare non conſuevit. Immo Concil. Tolet. III. Can. 56. S. Gregor. multis in locis maxime lib. 11. Epiſt. 15. Clemens III. c. *Sicut de Judæis*, & *Sarac.* vetant, ne Infideles ad ſuſcipiendum Baptiſmum cogantur, eorumque filii, ipſis invitis baptizentur. Ratio potiſſima eſt, quia non ſunt facienda mala ut eveniant bona. Atqui parentes liberos poteſtate patria jure naturali, immo & Gentium ipſis debita, privare malum eſt. Ergo.

Excipiuntur tamen caſus nonnulli, ubi puerum, invitis parentibus, baptizare licet. 1. Si vita puerorum omnino ſit deſperata, & poſſint baptizari abſque ſcandali periculo; quia tunc pueri cenſentur non a Baptiſmo, ſed a morte inſtante parentibus eripi. Idem dicendum eſt ſi in tam remotas regiones fuerint adducti, ut nullam ſpem habeant ad parentes redeundi. 2. Si pater ad fidem converſus conſentiat filium ſuum baptizari, etiamſi renitatur mater. 3. Si uxore converſa, & marito in infidelitate manente, uxor a marito ſeparetur: tunc filii ex ipſis nati fidem ac conditionem matris ſequi debent, juxta definitionem Concil. Tolet. IV. can. 63.

Quær. 3. Quænam requirantur diſpoſitiones in baptizando adulto, ut licite & cum fructu Baptiſmum ſuſcipiat?

R. Quatuor neceſſario requiri, fidem, ſpem, aliqualem Dei amorem, ſaltem inchoatum, & denique pœnitentiam. Quod totum probatur ex Conc. Trid. ſeſſ. 6. c. 6. *Fidem ex auditu concipientes libere moventur ad Deum, credentes vera eſſe quæ divinitus revelata & promiſſa ſunt.* Ecce Fidem. *In ſpem eriguntur, fidentes Deum ſibi propter Chriſtum propitium fore.* Ecce Spem. *Illumque tamquam omnis Juſtitiæ fontem diligere incipiunt.* Ecce aliqualem Dei amorem. *Ac propterea moventur adverſus peccata per odium aliquod & deteſtationem, hoc eſt per eam panitentiam, quam ante Baptiſmum agi oportet.*

## CAPUT VI.

### *De Baptiſmi effectibus.*

Not. HIc Baptiſmi effectus non quæri, niſi ex ſuppoſitione quod nullus ſit obex hos effectus percipiendi. Poſito ſiquidem obice, certum eſt nullum alium effectum quam characterem producere poſſe. Igitur

Dico. Sublato obice, quinque ſunt Baptiſmi effectus.

Exponitur ſimul, & probatur Concluſio.

1. Effectus, eſt cujuslibet peccati, ſive originalis, ſive actualis, plenaria perfectaque remiſſio. Eſt contra Lutherum, & Calvinum docentes, peccata poſt Baptiſmum non tolli, ſed tegi, non deleri, ſed non imputari; & probatur, tum ex Scriptura Ezech. 36. *Effundam ſuper vos aquam mundam, & mundabimini ab omnibus inquinamentis veſtris*: Act. 22. *Baptizare, & ablue peccata tua*; tum ex Conc. Carthag. IV. Can. 1. Flor. in Decr. & Trid. ſeſſ. 4. Can. 5. cum ex Patribus, Cypr. Epiſt. 76. Aug. lib. 3. de Bapt. c. 3. *Baptiſmus*, inquit, *abluit omnia peccata.*

2. Ef-

2. Effectus, eſt remiſſio omnis pœnæ, ſive æternæ, ſive temporalis proprie dictæ. Sic docet univerſalis Eccleſiæ praxis nullam Baptizatis ſatisfactionem imponentis, licet fuerint ſceleratiſſimi peccatores: docet unanimis Patrum conſenſus, dicentium cum D. Aug. lib. 2. de Peccat. merit. & remiſſ. c. 28. *Quod ſi*, poſt Baptiſmum, *conſequatur ab hac vita migratio, non erit omnino quod obnoxium hominem teneat, ſolutis omnibus quæ tenebant.* Docet Conc. Flor. & Trid. ſeſſ. 5. Can. 5. dicens: *Baptizatos ita eſſe puros & immaculatos, ut nihil prorſus eos ab ingreſſu Cœli remoretur.* Verum quidem eſt, quod Cathecumeni in primitiva Eccleſia, in Orationibus, Vigiliis, Jejuniis, & aliis pietatis operibus exercebantur, ſed vel ad pravos mores corrigendos, vel ad devotionem augendam, non autem ad peccatorum remiſſionem obtinendam, id fiebat.

Dixi, *pœnæ proprie dictæ*, ſiquidem vitæ pœnalitates, ex peccato Adami ortæ, concupiſcentia ſcilicet, mors, morbus, dolor, &c. per Baptiſmum non auferuntur; non quidem ad peccatum jam penitus deletum puniendum, ſed ad virtutis exercitium ac coronæ augmentum, & ad majorem humiliationem, & ad noſtræ indigentiæ experimentum.

3. Effectus, eſt gratiæ ſanctificantis, omniumque virtutum ac donorum eam comitantium infuſio, juxta illud Apoſtoli 1. Cor. 6. *Hæc quidem fuiſtis, ſed abluti eſtis, ſed ſanctificati eſtis, ſed juſtificati eſtis in nomine Domini noſtri Jeſu Chriſti*: & illud Aug. lib. 1. de Peccat. merit. c. 6. & alibi: *Dat Chriſtus occultiſſimam ſpiritus ſui gratiam, quam latenter infundit in Parvulis.* Experiuntur quidem difficultatem ad bonum poſt Baptiſmum, non propter horum habituum defectum, ſed propter concupiſcentiæ motus fomitemque peccati, qui per Baptiſmum non tollitur, licet mitigetur.

4. Effectus, est gratia sacramentalis.

5. Effectus, est character; de quibus jam su ficienter egimus in Dissert. proœmiali.

Quær. 1. Quosnam effectus producat Baptism Flaminis?

R. Quosdam Baptismus Flaminis producit ef ctus, sed non omnes. Remittit quidem peccat & gratiam confert sanctificantem, ceteraque do ipsam concomitantia, ut docet D. Aug. lib. 4. Bapt. cont. Donatistas, cap. 22. & D. Bernardu Epist. ad Hug. ceterique Patres & Concil. Tr sess. 14. c. 4. cum de fide sit ex eodem Con lio, perfectam cordis contritionem peccatore justificare. Sed nec characterem imprimit, n gratiam sacramentalem confert; quia hæc p pria sunt Sacramento realiter susceptо; nec tam pœnam temporalem remittit, nisi forte c ritas sit intensissima, uti demonstrat praxis I siæ, quæ pro Cathecumenis ante Baptismum m tuis preces obtulit & sacrificia, quæ utique obtulisset, nisi supposuisset non solum in st gratiæ obiisse, sed & aliquam pœnam luend habere posse.

Quær. 1. Quinam sint effectus Martyrii?

R. Martyrium producit integrum Baptismi minis effectum, exceptis tamen charactere & tia sacramentali: cum peccatum deleat, quoad culpam, tum quoad totam pœnam, ut universali Ecclesia docet Aug. Serm. 17. de bis Apost. dicens: *Injuriam facit Martyri, orat pro Martyre*. Sed utrum id operetur ex re operato, aut ex opere operantis, controv est inter Theologos. Dicendum videtur ne modo proprie id operari in Adulris, sed m intermedio ex utroque participante. Non pro ex opere operato, cum justificet ex merito ritatis, sine qua nihil valeret Martyrium, j illud Apostoli 1. Cor. 13. *Si tradidero co*

*men*

*meum ita ut ardeam, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodeſt.* Nec etiam proprie ex opere operantis; tum quia ſubinde in Martyre tanta non eſt charitas, ut ſecundum ſe ſolam valeat totam pœnam peccatis debitam expiare; tum quia pueros juſtificat abſque ullo eorum charitatis motu, ſed ex ſola imitatione Paſſionis Chriſti, qui charitatem ſuam per Martyrium ipſis applicat; ſicut Eccleſia fidem ſuam per Baptiſmum. Operatur igitur Martyrium ex opere operantis per charitatem, & ex opere operato Paſſionem Chriſti imitante.

Quær. 3. Quænam ſint conditiones requiſitæ ad verum Martyrium?

R. Quinque vulgo numerantur.

1. Mortis realis perpeſſio, aut vulneris lethalis perceptio, ex quo naturaliter mors ſequi debeat. Ideo ad verum Martyrium non ſufficit Martyrium deſiderare, aut aliqua mala, etiam graviſſima, tolerare, Econtra veri ſunt Martyres, qui lethali vulnere accepto miraculoſe a morte liberantur, ut contigit Joanni Evangeliſtæ, & tribus Pueris in fornacem miſſis.

2. Mors perpeſſa, aut vulnus lethale propter fidem Chriſti, aut veram virtutem practicatam aut practicandam, & in odium ejus. Unde qui mortem ſubeunt, non ſolum pro quovis fidei articulo, ſed pro ſervanda caſtitate, Eccleſiaſtica libertate tuenda, vel quia Legem Dei aut Eccleſiæ cuſtodierunt, veri ſunt Martyres, modo ſubeant mortem in odium harum virtutum aut præceptorum: ſi enim propter aliud motivum, licet juſtum, mors inferretur, non eſſet verum Martyrium. Ex quo ſequitur eos, qui peſtilentia infectis, inſervientes moriuntur, veros ac proprie dictos Martyres non eſſe; quia licet propter charitatem mortem ſubeant, non tamen in odium charitatis mortem patiuntur.

3. Mors perpessa absque ulla se defendendi voluntate, conformiter ad Christum, qui instar Agni coram tondente se obmutuit. Unde Milites in bello Religionis occisi, veri non sunt Martyres, licet fidem tuendi intentionem habuerint.

4. Aliqualis in Adultis consensus, saltem habitualis & interpretativus; quia mors, ut sit meritoria, debet esse aliquo modo voluntaria in his, qui voluntarii sunt capaces. Nec opus est actualis aut virtualis consensus, sicut in Baptismo; cum Martyrium ob Passionis Dominicæ imitationem longe majore virtute ac dignitate præpolleat, sed sufficit interpretativus. Unde qui dormiens, aut de Martyrio non cogitans, mortem subiret, quia propter minas sibi intentatas ab alicujus virtutis exercitio desistere noluit, verus esset Martyr.

5. Dolor de peccatis supernaturalis, qui teste Trid. sess. 14. cap. 4. quovis tempore necessarius fuit ad obtinendam peccatorum remissionem. Non est tamen necesse, ut vera sit, ac perfecta Contritio, sed Attritio sufficit. Nam cum, juxta D. Cyprianum exhort. ad Martyres, aliosque Sanctos Patres, Martyrium majoris sit virtutis quam Baptismus, qui cum sola Attritione justificat; idem a fortiori dicendum est de Martyrio. Nec obstat quod dictum est superius, Martyrium ex charitate operari: quia qui tantummodo est attritus, vi Martyrii, antequam esset baptizatus, gratiam, & charitatem recipit.

## CAPUT II.

### *De Baptismi Cæremoniis.*

*Not.* Baptismi cæremoniæ, aliæ sunt præcedentes, aliæ concomitantes, aliæ consequentes, omnes a Christo Domino, cum eas mutare

rare Eccleſia poteſtatem habeat & ubique eodem ſemper non fuerint inſtituto: ſed vel pleræque ab Apoſtolis, vel aliæ ab Eccleſia, quæ a Spiritu Sancto regitur: ut Sacramentum majori cum religione adminiſtretur, & ob oculos mirabiles illius effectus ponantur, & ſic fides excitetur. Quænam ſint hæ cæremoniæ, quid ſignificent, & an ſint ab Eccleſia antiquitus obſervatæ, hic nobis exponendum incumbit.

Dico I. Novem ſunt diverſe ſignificantes, antiquitus obſervatæ, Baptiſmi cæremoniæ.

*Prob.* Enumeratione, & exponitur Concluſio.

1. Cæremonia Baptiſmum præcedens, eſt aquæ conſecratio cum chriſmate, quam non omni anni tempore fieri permiſſum eſt, ſed in pervigiliis Paſchatis, & Pentecoſtes, quibus in primitiva Eccleſia Baptiſmus adminiſtrari conſueverat. Cap. *In Sabbato* diſt. 4. *de Conſecr.* Quam antiqua ſit hæc cæremonia, conſtat ex S. Cypr. Ep. 70. & ex S. Baſil. lib. de Spir. Sanct. c. 37.

2. Oblatio baptizandi ante fores Eccleſiæ, quâ denotatur, inquit D. Car. Borr. in Inſtr. Bapt. indignos eſſe, qui more Fidelium domum Dei, antequam Chriſto Domino ſe adjunxerint, ingrediantur: hanc Cæremoniam præſcribunt vetuſtiora Ritualia.

3. Nominis impoſitio, ut oſtendatur, inquit ſupra cit. Borrom. eum qui Baptiſmo initiatur, Chriſti Domini ſervituti addici; cum nominis impoſitio ſignum ſit dominii. Quod nomen ab aliquo Sancto ſumitur, ut Chriſtianus nominis etiam ſimilitudine ad imitationem virtutum ejus excitetur, & hunc Sanctum ut Patronum veneretur, & ut Advocatum deprecetur. Ita docet Concilii Trid. Catechiſmus.

4. Catechiſmus, in quo a Baptizando Sacerdos exquirit, quid ab Eccleſia petat, eumque de Fidei doctrina inſtruit. Hujus cæremoniæ me-

minit S. Auguſt. libr. de fide, & operibus, cap. 6. & 9.

5. Exorciſmus, qui verbo, & exſufflatione peragitur, ut Spiritus immundus a baptizando expellatur, locumque cedat Spiritui Sancto, inquit Aug. *Serm. de Symb. ad Catechum.* S. Cypr. Ep. 76. S. Gregor. Nazianz. Orat. 11. &c.

6. Crucis obſignatio in fronte, oculis, pectore, auribus, & humeris, qua ſignificatur baptizandum nomen dare Chriſto Crucifixo, ut ipſi per omnes potentias ſuas, tum internas, tum externas inſerviat. Hujus cæremoniæ meminere S. Dionyſ. lib. de Eccl. Hier. S. Ambr. lib. de Spiritu Sancto, cap. 27. S. Auguſt. l. de Catech. exod. c. 20.

7. Manus impoſitio, ut baptizandus cognoſcat ſe victimam eſſe Deo per Baptiſmum conſecrandam. Hujus meminit S. Auguſt. l. 11. *de pecc. merit. & remiſ. c.* 16.

8. Salis benedicti in os baptizandi immiſſio, ut denotetur omnia ejus conſilia, verba & opera, prudentiæ ac ſapientiæ cœleſtis condita eſſe oportere. Hujus Ritus meminit Origen. Homil. in Ezech. D. Aug. lib. 1. Conf. cap. 11. &c.

9. Aurium ac narium baptizandi cum ſaliva linitio, ut cognoſcat ſe aures ad audiendos ſermones Chriſti, & nares ad hauriendum bonum odorem virtutis aperire debere. Hujus meminit S. Baſil. lib. 1. *De his qui Myſt. initiantur*, c. 1.

Dico II. Quatuor aſſignantur Cæremoniæ Baptiſmum concomitantes.

*Prob.* Et explicatur Concluſio.

1. Ducitur Baptizandus ad fontem, ubi ter interrogatur, utrum abrenuntiet Diabolo, ejus operibus, ac pompis; ac per ſe aut per Patrinum reſpondet, *Abrenuntio*; quia cum nemo duobus dominis ſervire poſſit, ut ſerviamus Deo, Diabolo renuntiare opus eſt. Hujus Ritus meminit

nit Dion. lib. de Eccl. cap. 2. Tertul. de Coron. Militis, c. 3. &c.

2. Obſignatur Baptizandus Oleo ſacro, figura Crucis in pectore & Scapulis; ut intelligatur, inquit S. Ambr. lib. 1. de Sacramentis, cap. 2. eos qui Baptiſmo initiantur, quaſi Chriſti athletas luctaturos eſſe cum Diabolo, cui renuntiaverunt.

3. A baptizando fit Fidei profeſſio, ubi ipſi propoſitis articulis Fidei, reſpondet per ſe, vel per Patrinum, *Credo*. Cujus Fidei profeſſionis meminere S. Cyrillus Hieroſ. Catecheſ. 1. & 11. S. Ambr. de Sacram. c. 7. &c.

4. Demum inſtante Baptiſmi adminiſtratione, quærit Sacerdos a Baptizando, utrum baptizari velit; quo per ſe aut per Patrinum annuente, ſtatim aqua ſalutari perfunditur; quia, inquit Catechiſmus Concil. Trid. *Sicut homo ſua voluntate ſerpenti obediens, merito damnatus eſt; ita Dominus neminem ad ſuorum numerum, niſi voluntarium Militem, adſcribi voluit.*

Dico III. Tres tantum aſſignantur Cæremoniæ Baptiſmum conſequentes.

*Prob.* Et exponitur Concluſio.

1. Summus Baptizati vertex chriſmate inungitur, ut diſcat ſe Chriſto capiti, veluti membrum conjunctum eſſe, ejuſque corpori adunatum, juxta S. Ambr. lib. 3. de Sacram. cap. 1.

2. Baptizatus veſte candida induitur, quæ ſignum eſt tum libertatis chriſtianæ acquiſitæ, tum futuræ glorioſæ Reſurrectionis, tum innocentiæ conſervandæ, tum lætitiæ & gaudii ſpiritus: & hujus Ritus meminere D. Ambr. lib. de initiandis, D. Aug. Serm. 223. alias de diverſis, &c.

3. Cereus ardens Baptizato aut ejus Patrino porrigitur, ut deſignetur quod ait Apoſtolus: *Eratis aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domi-*

*no; ut filii lucis ambulate.* S. Auguſt. Enarrat. in Pſalm. 65. Chryſoſt. in Pſalm. 118.

His Cæremoniis accedit, ex antiquiſſima Eccleſiæ conſuetudine, Suſceptorum ſeu Patrinorum adhibitio, cujus meminit S. Dionyſ. lib. de Eccl. Hierar. c. 2. Tertul. lib. de Bapt. c. 8. S. Aug. Ep. 98. alias 23. ad Bonif. Epiſc. &c. Suſceptorum ſeu Patrinorum partes præcipuæ ſunt. 1. Baptizandum Parocho præſentare. 2. Pro ipſo reſpondere. 3. Ipſi nomen imponere. 4. Illum tenere, dum baptizatur. 5. Ipſum de manu baptizantis ſuſcipere. 6. Illum debite in rebus Fidei & Doctrina Chriſtiana inſtruere, ſi Parentes id præſtare non poſſint.

Ab hoc officio excluduntur. 1. Amentes. 2. Non Baptizati. 3. Hæretici. 4. Publice excommunicati, & publice criminoſi, aut infames. 5. Pater & Mater Infantis. 6. Religioſi.

Porro licet omnes illæ Cæremoniæ non ſint ad ſubſtantiam Sacramenti neceſſariæ, prætermitti non poſſunt ſine gravi peccato; cum gravis ſit materia, niſi urgens excuſet neceſſitas. Et ſi fuerint omiſſæ, ſunt ſupplendæ, ne Baptizati eorum fructu careant. In Gallicana tamen Eccleſia non ſupplentur in iis, qui ab hæreſi redeunt, & extra Eccleſiam baptizati ſunt.

## DISSERTATIO II.

### *De Sacramento Confirmationis.*

NAturam & eſſentiam, materiam & formam, Miniſtrum & Subjectum, effectus & cæremonias Confirmationis, ſequentibus capitibus exponemus.

CA-

## CAPUT I.

### *De natura & eſſentia Confirmationis.*

*Not.* 1. COnfirmationis Sacramentum varia a SS. Patribus ſortitur nomina. Vocatur *Chriſmatis Sacramentum*, quia in ejus collatione Chriſma adhibetur. Dicitur *Manus impoſitio*, quia per manuum impoſitionem confertur. Nominatur *Conſignatio*, ſeu *Dominicum ſigillum*, quia confirmandus ſigno Crucis munitur. Appellatur ſæpius *Confirmatio*, quia Baptizatum confirmat, & roborat ad fidem profitendam.

*Not.* 2. Confirmatio recte & complete definitur: *Sacramentum, quo Baptizatus in fronte inungitur per modum Crucis, ſub præſcripta verborum forma, a Chriſto Domino inſtitutum ad fidem confirmandam, & roborandam.* Quæ definitio partibus conſtat metaphyſicis ſimul & phyſicis, genere ſcilicet, & differentia, materia, & forma; nihilque, ut patet, neceſſarium omittit, aut ſuperfluum admittit.

*Not.* 3. Hic duas agitari Controverſias; unam adverſus Hæreticos, Lutheranos & Calviniſtas, contendentes Confirmationem non eſſe verum novæ Legis Sacramentum; alteram inter Catholicos diſputantes de tempore, quo a Chriſto Domino fuit inſtituta. Pro quibus;

Dico I. Confirmatio verum eſt ac proprie dictum Sacramentum.

*Prob.* 1. Ex Actibus Apoſt. c. 8. ubi legitur Apoſtolos miſiſſe ad Samaritanos jam in nomine Domini Jeſu baptizatos, *Petrum & Joannem, qui, cum veniſſent, oraverunt pro ipſis, ut acciperent Spiritum ſanctum.* Hæc autem manus impoſitio verum erat Sacramentum; utpote ſignum ſenſibile gratiæ inviſibilis, infuſionis ſcilicet Spiritus ſancti.

cti. Atqui non erat Baptiſmus, qui jam Samaritanis datus fuerat, nec Ordo, qui non omnibus confertur Baptizatis, ſicut hic collata eſt manus impoſitio; nec Euchariſtia, nec Pœnitentia, nec Extrema-Unctio, nec Matrimonium, ut liquido patet. Ergo erat Confirmatio.

*Prob.* 2. Ex Traditione Apoſtolica, quam teſtantur Patres innumeri, inter quos tres aut quatuor, brevitatis gratia, ſelegimus. Clemens Rom. 1. Ep. 4. *Omnibus feſtinandum eſt ſine mora renaſci, & demum conſignari ab Epiſcopo . . . ut a S. Petro accepimus, & ceteri SS. Apoſtoli, præcipiente Domino, docuerunt.* Tert. lib. de Bapt. c. 7. *Exinde egreſſi de lavacro, perungimur benedicta Unctione.* Dionyſ. lib. de Eccleſ. Hierarc. c. 2. *Baptizatum indutum alba veſte ad Pontificem ducunt . . Ille divino ac deifico prorſus Unguento virum ſignat.* S. Cypr. Ep. 7. ad Jan. *Ungi quoque neceſſe eſt eum, qui baptizatus ſit, ut accepto Chriſmate, id eſt Unctione, eſſe unctus Dei, & habere in ſe gratiam Chriſti poſſit.* S. Aug. lib. 2. cont. Litt. Petil. c. 104. *Sacramentum Chriſmatis in genere viſibilium ſignaculorum ſacroſanctum eſt, ſicut ipſe Baptiſmus.*

Dico II. Probabile videtur Chriſtum Dominum Confirmationem inſtituiſſe poſt Reſurrectionem ſuam, priuſquam ad Cœlum aſcenderet.

*Prob.* Ex aliarum Sententiarum rejectione. 1. Non fuit inſtituta, cum pueris manus imponebat, Matth. 19. quia multi ex ipſis non erant baptizati; ideo hæc manuum impoſitio erat tantummodo quædam benedictio. 2. Non item in ultima Cœna; nullum ſiquidem in hac Cœna videtur inſtitutionis Confirmationis veſtigium. Quod ſi a Fabiano Papa dicatur, Epiſt. 2. c. 2. tunc Chriſtum Dominum Apoſtolos ſuos *Chriſma conficere docuiſſe*: Reſpondendum eſt, ipſum forſitam materiam hujus Sacramenti indicaſſe: ſed inde non ſequi, ipſum

ſum de facto inſtituiſſe. 3. Non etiam die ſacra Pentecoſtes; quia certum eſt Chriſtum Dominum per ſe immediate omnia Sacramenta inſtituiſſe. Nec obſtat quod hac die Apoſtoli Spiritum ſanctum, Confirmationis effectum, receperint: ex hoc enim non recte concluditur tunc fuiſſe inſtitutam.

Reſtat igitur fuiſſe inſtitutam eo tempore, quod inter Reſurrectionem & Aſcenſionem fluxit. *Illis* ſiquidem *diebus*, inquit S. Leo Mag. Serm. de Aſcenſ. *magna confirmata ſunt Sacramenta, & magna revelata Myſteria.* Deinde videtur certum, Chriſtum Dominum tunc temporis Apoſtolos ſuos creaſſe Epiſcopos, hujus Sacramenti proprios Miniſtros, dicens eis Joan. 20. ..... *Sicut miſit me Pater, & ego mitto vos*; &c. Ergo probabile eſt, ut docet S. Bonav. in Brevil. p. 6. c. 6. & in 4. diſt. 23. q. 2. tunc temporis Confirmationem inſtituiſſe.

## CAPUT II.

### *De Materia & Forma Confirmationis.*

*Not.* CIrca hujus Sacramenti materiam & formam ortæ ſunt plurimæ, etiam inter Catholicos, quæſtiones multis difficultatibus intricatæ, quas funditus diſcutere non ſinit brevitas propoſita; eas tantum, quæ ad tyronum inſtitutionem ſunt neceſſariæ, dilucide exponemus. Circa materiam remotam, quæritur utrum Chriſma ex Oleo olivarum & Balſamo confectum, ipſumque ab Epiſcopo benedictum, Sacramenti materia ſit eſſentialis. Circa materiam proximam, utrum ſufficiat ſicca manuum impoſitio, vel inſuper neceſſaria ſit unctio per modum Crucis in fronte formata. Circa formam tandem, utrum Oratio, per quam Epiſcopus ſuper Confirmandos Spiritus

ſancti

ſancti gratiam invocat, abſolute ſit neceſſaria, vel utrum ſola forma, à Conc. Flor. relata ſufficiat; & utrum hæc forma ſecundum omnes ſuas partes ſit neceſſaria. Circa quæ

Dico I. Materia Confirmationis remota, & quidem neceſſaria, eſt Chriſma ſeu Unguentum ex Oleo olivarum Balſamoque confectum, & ipſum ab Epiſcopo benedictum.

*Prob.* 1. pars expreſſa declaratione Conc. Flor. in Decreto: *Secundum Sacramentum*, inquit, *eſt Confirmatio, cujus materia eſt Chriſma confectum ex Oleo, quod nitorem ſignificat conſcientiæ, & Balſamo, quod odorem ſignificat bonæ famæ.* Idem non minus expreſſe docet D. Greg. Magn. in 1. Cant. *In Engaddi*, inquit, *Balſamum gignitur, quod cum Oleo Pontificali benedictione Chriſma efficitur.* Idem etiam docet, ſaltem implicite, tota antiquitas, Confirmationem vocans *Chriſmatis Sacramentum*, quo nomine Extremam-Unctionem, quæ cum ſolo Oleo fit, non appellaverunt; ex quo evidenter patet, per *Chriſma* intellexiſſe Oleum cum Balſamo mixtum.

*Prob.* 1. pars ex eod. Conc. Flor. eodem modo benedictionem Epiſcopi requirente, ac mixtionem Balſami; quod etiam innuit Greg. Magnus mox citatus, dicens *Balſamum cum Oleo Pontificali Benedictione* perfici. Accedit perpetua Eccleſiæ praxis, quæ numquam conceſſit Confirmare cum Chriſmate ab Epiſcopo non benedicto, licet quandoque permiſerit Presbyteris Chriſmate ungere & Confirmare.

Dico II. Materia Confirmationis proxima & eſſentialis, non eſt ſicca manuum impoſitio, ſed ea quæ fit per unctionem ad modum Crucis in fronte formatam.

*Prob.* Ex antedictis de Sacramentis in genere, ubi cum univerſa Theologia oſtendimus materiam Sacramentorum proximam eſſe materiæ remotæ appli-

applicationem. Materia autem remota non applicaretur, ſi Confirmatio conferretur per ſiccam tantummodo manus impoſitionem, ut patet. Ergo.

*Confirm.* Ex continua Eccleſiæ praxi, & ex citatis capite præcedenti Patribus, qui in exponenda hujus Sacramenti natura unctionem exprimunt: *Egreſſi de lavacro perungimur benedicta unctione*, inquit Tertullianus: *Neceſſe eſt ungi eum qui baptizatus ſit*, inquit Cyprianus.

Quod autem in fronte Crucis efformatio etiam neceſſaria ſit, probatur ex Concil. Flor. ex omnibus Ritualibus, ex praxi univerſalis Eccleſiæ; & ex SS. Patribus citatis, qui hoc Sacramentum *conſignationem* vocant. Ideo dicit Auguſt. *In fronte, in ſede pudoris, ſignum accepiſti; ideo noli erubeſcere de Cruce Chriſti.*

Dico III. Vera & eſſentialis forma Confirmationis hæc eſt: *Signo te Signo Crucis: & Confirmo te Chriſmate ſalutis, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti*: & quidem ſecundum omnes ſuas partes: Oratio vero, quæ Chriſmationem præcedit, cæremonialis eſt, non eſſentialis.

*Prob.* 1. pars ex Decreto Concil. Florentini expreſſe declarantis, hæc verba formam eſſe hujus Sacramenti, ſicut Chriſma ejus materiam. Nec veriſimile videtur, quod Concilium materias & formas Sacramentorum pro Armenorum inſtructione ex profeſſo referre volens, materiam eſſentialem Confirmationis, non vero formam ejus protulerit.

*Prob.* 2. pars. Quia hæc Oratio omnino diſtincta eſt ab applicatione materiæ. Atqui forma juxta Ritum Eccleſiæ perpetuum ab applicatione materiæ non ſeparatur: verbum ſiquidem ad elementum accedere debet, ut fiat Sacramentum. Ergo Oratio illa dici nequit Confirmationis forma. Deinde hæc Oratio profertur, dum Epiſcopus manus extendit ſuper confirmandos. Sed oſtendimus hanc ſiccam manuum extenſionem, aut impoſitionem

nem non niſi Confirmationis materiam proximam eſſe. Ergo hæc Oratio eam concomitans, non eſt ipſius forma.

Circa materiam & formam Confirmationis notandum eſt. 1. Oleum nucum, amygdalarum, aut aliud ſimile non ſufficere, ſed Oleum olivarum, quod proprie verum eſt Oleum, neceſſarium eſſe. 2. Quodlibet Balſamum ex quacumque regione ſit aſportatum, modo verum ſit Balſamum, ſufficere. 3. Parvam Balſami quantitatem ſufficere, modo odore ſuo totum Oleum afficiat. Hinc eſt quod Chriſma Græcorum ſit materia ſufficiens, licet cum Balſamo multa alia aromata adjiciant. 4. Chriſma quotannis renovandum eſſe & conficiendum Feria 5. in Cæna Domini, juxta Apoſtolorum Traditionem, a Fabiano Papa relatam; ita ut qui abſque extrema & urgente neceſſitate alio Balſamo uteretur, mortaliter peccaret. 5. Non ſolum mortaliter peccare Pontificem Latinum utentem forma Græcorum, ſed etiam nihil efficere, quia poſita Eccleſiæ Latinæ, uti dictum eſt, determinatione, omnia formæ Latinæ verba facta ſunt eſſentialia.

## CAPUT III.

### *De Miniſtro, & Subjecto, Effectibus & Cæremoniis Confirmationis.*

*Not.* HIc ſermonem eſſe de Miniſtro ordinario, & extraordinario Confirmationis, necnon de ſubjecto, quod valide ac licite hoc Sacramentum valeat recipere. Igitur,

Dico I. Miniſter Confirmationis ordinarius eſt ſolus Epiſcopus.

*Prob.* Ex Act. Apoſt. c. 8. ubi legitur ſolos Apoſtolos, qui ſoli erant Epiſcopi, hoc munus exercuiſſe. Confirmat Eccleſiæ uſus perpetuus; cum nul-

lum proferri poſſit monumentum, quo probetur alios quam Epiſcopos illud Sacramentum contuliſſe. Probatur e contra hanc adminiſtrationem ſolis Presbyteris ſemper fuiſſe ptohibitam, ut patet ex Greg. Magn. lib. 3. Ep. 9. *Presbyteri*, inquit, *baptizatos infantes in fronte ſacro Chriſmate ſignare non præſumant: ſed eos tangant in pectore, ut Epiſcopi poſtmodum tangere debeant.* Hinc Trid. contra Vvicleſiſtas, Valdenſes, Lutheranos & Calviniſtas pronuntiat, ſeſſ. 7. Can. 3. *Si quis dixerit ſanctæ Confirmationis ordinarium Miniſtrum non eſſe ſolum Epiſcopum, ſed quemvis ſimplicem Sacerdotem, anathema ſit.*

Dico II. Simplex Sacerdos hujus Sacramenti Miniſter eſt extraordinarius ex commiſſione Papæ.

*Prob.* Ex uſu Eccleſiæ Græcæ, ubi ſimplices Presbyteri, etiam longe ante ſeparationem, annuentibus Romanis Pontificibus hoc Sacramentum miniſtrarunt, quod numquam Romana Eccleſia iterari juſſit. Deinde *Legitur aliquando*, inquit Florentinum Concilium, *per Sedis Apoſtolicæ diſpenſationem, ex rationabili & urgenti admodum cauſa, ſimplicem Sacerdotem Chriſmate per Epiſcopum confecto, hoc adminiſtraſſe Confirmationis Sacramentum.* Sic Greg. Magn. Presbyteris Sardiniæ conceſſit hanc facultatem Ep. 26. ad Jan. Calarit. Epiſc. Sic plurimi Pontifices eamdem facultatem conceſſerunt Fratribus Minoribus, aliorumque Ordinum Religioſis plurimis.

Dico III. Subjectum Confirmationis neceſſarium, eſt omnis & ſolus homo, viator baptizatus, & nondum confirmatus.

*Prob.* ſimul & exponitur Concluſio.

Dicitur 1. *Omnis & ſolus homo viator*, ut patet ex dictis in Diſſertatione *de Sacramentis in genere*, & ex praxi primitivæ Eccleſiæ, quam etiamnum obſervat Græca Eccleſia, quæ pueros nondum

dum ratione utentes, ſtatim poſt Baptiſmum confirmat. Dicitur 3. *Baptizatus*; quia Baptiſmus eſt janua omnium Sacramentorum. Nec obſtat, quod legatur Act. 10. aliquos Spiritum ſanctum recepiſſe ante Baptiſmum, cum ipſum per Confirmationem, ut ſpeciale robur ad fidem profitendam, non receperint. Dicitur 3. *nondum Confirmatus*, quia ut dictum eſt, hoc Sacramentum eſt initerabile.

Dico IV. Ad hoc Sacramentum licite recipiendum, ſtatus gratiæ requiritur.

*Prob.* Quia Confirmatio eſt Sacramentum vivorum, nec ſufficit, uti jam dictum eſt, ſola Contritio, dum adeſt copia Confeſſarii. Quæ ſi non adſit, nec alia hoc Sacramentum ſuſcipiendi ſperetur occaſio, poteſt quis mortalis peccati conſcius poſt excitatam omni cura Contritionem illud recipere cum propoſito quamprimum confitendi. Ita Conc. Burd. 1. Non autem neceſſe eſt, ut ſuſcipiens ſit jejunus, ſi id commode fieri non poſſit, ſed omnino conveniens eſt, inquit D. Th. q. 72. a. 22. ad 2. propter reverentiam Sacramento debitam.

Quær. 1. Utrum hoc Sacramentum ſit neceſſarium?

R. 1. Non eſſe neceſſarium neceſſitate medii ad ſalutem. Pueri quidem, & adulti per Baptiſmum ſalutem obtinere poſſunt, dicente Chriſto: *Qui crediderit, & baptizatus fuerit, ſalvus erit.*

2. Nec per ſe neceſſarium eſt neceſſitate præcepti, prout definitum eſt a Melch. Papa cap. *Spir. S.* diſt. 5. *de Conſecr.* Innoc. I. Ep. 1. ad Decent. &c.

3. Per accidens tamen poteſt eſſe neceſſarium, ac ſub mortali obligans, dum nempe urget perſecutio, aut imminens Fidei periculum. Ratio eſt ex Cathec. Romano p. 2. cap. 3. quia *licet gratia Confirmationis ſimpliciter non ſit neceſſaria, neceſſaria tamen eſt ex conditione, ſcilicet pugnanti, & vincere volenti, ſicut neceſſarium eſt comedere vivere*

vo-

*volenti*. Nec refert quod robur ad fidem profitendam obtineri poſſit per Euchariſtiam, quia ſecundum D. Thom. q. 62. a. 6. ad 1. *Sicut nullus conſequitur effectum Baptiſmi ſine Baptiſmi voto; ita nullus conſequitur effectum Confirmationis ſine ipſius voto.* Qui vero hoc Sacramentum contemneret, mortalis peccati conſcius fieret, utpote qui Chriſtianiſmi perfectionem pro nihilo haberet. *Cenſetur autem Confirmationem deſpici, dum Epiſcopus eſt præſens, & paratus dare, & Perſona hoc ſciens negligit ſuſcipere.* Ita Concil. Senon. ann. 1524. & S. Carol. in Inſtruct.

Quær. 2. Quinam ſint Confirmationis effectus?

℟. Triplicem eſſe. 1. Eſt gratia ſanctificans, non quidem prima, cum Confirmatio ſit Sacramentum vivorum, ſed ſecunda, ideſt augmentum gratiæ ſanctificantis. Siquidem accipitur Spiritus Sanctus in hoc Sacramento, ipſe autem accipi nequit, quin ſimul gratia, vel prima, vel ſecunda acoipiatur. 2. Eſt gratia ſpecialis ſeu ſacramentalis, quæ, uti jam diximus, eſt robur internum per modum habitus inclinans animam ad faciliorem Fidei profeſſionem. *Nam hujus Sacramenti effectus eſt*, inquit Florentinum in Decreto, *quod detur Spiritus ſanctus ad robur, ſicut datus eſt Apoſtolis in die Pentecoſtes, ut Chriſtianus audacter Chriſti nomen confiteatur.* 3. Eſt character ſpiritualis & indelebilis, quo fit ut hoc Sacramentum iterari non poſſit, etiamſi ab Hæreticis fuerit collatum. Nec refert, quod in quibuſdam Conciliis ſtatutum fuerit, Hæreticos ad Eccleſiam redeuntes inungi in fronte, ſeu confirmari. Supponebant enim hæc Concilia hos Hæreticos in ſua Eccleſia non fuiſſe rite confirmatos.

Quær. 3. Quænam ſint Confirmationis cæremoniæ, & quid ſignificent?

℟. Quinque eſſe præcipuas. 1. Patrini adhibitio,

tio, qui confirmandum exhibeat, ut ipsum ad pugnam spiritualem erudiat. 2. Preces solemnes ab Episcopo fundendæ, quibus in tam gravi actione pro se & pro confirmandis Dei imploret auxilium, quibus fusis Confirmationem confert. 3. Episcopus Confirmatum leviter in maxilla cædit, ut sciat se Militem esse creatum, non ad percutiendum, sed ad patiendum. 4. Pacem Confirmato apprecatur Episcopus, ut sciat se pacem, quæ omnem sensum exsuperat, fuisse consecutum. 5. Obvolvitur frons Confirmati fascia linea tum ob sacri Chrismatis reverentiam, tum ut Confirmato intimetur gratiam Confirmationis sibi sedulo esse conservandam.

## DISSERTATIO III.

### *De Sanctissimæ Eucharistiæ Sacramento, & Sacrificio.*

EUcharistia sic dicta e verbo græco *Eucharistien*, quæ gratiarum actionem significat, quia per eam maxime Deo gratias agimus, multis donatur nominibus. Dicitur 1. *Cœna Domini*, quia post Cœnam cum suis Apostolis habitam, Christus eam instituit. 2. Dicitur *Communio*; quia per eam Christo Domino capiti, & membris ejus Fidelibus communicamus. 3. Dicitur *Synaxis*, seu Congregatio, quia in hoc Sacramento, quasi in centro suo, Fidelium Religio colligitur. 4. Dicitur *Eulogia*, sive Benedictio, quia per Benedictionem conficitur. Cum autem Eucharistia rationem habeat Sacramenti simul & Sacrificii, sub hoc duplici respectu ipsam sequentibus Capitibus considerabimus.

CA-

## CAPUT I.

### *De Euchariſtiæ Sacramento.*

OCto hic nobis ſunt quæſtiones inſtituendæ circa hujus Sacramenti eſſentiam, materiam, formnm, rem in eo contentam, Miniſtrum, ſubjectum, uſum, & effectus.

## QUÆSTIO I.

### *Quid ſit Euchariſtiæ Sacramentum.*

*Not.* 1. UT Euchariſtiæ eſſentiam rite cognoſcamus, duo præcipua nobis ſunt perpendenda. 1. Quænam ſit ejus vera & accurata definitio. 2. In quo ipſa eſſentialiter conſiſtat. Circa hanc difficultatem,

*Not.* 2. Euchariſtiam ſub triplici reſpectu ſpectari poſſe. 1. Quatenus eſt tantummodo Sacramentum, ſeu ſignum externum, & ſenſibile gratiæ internæ & inviſibilis, & ſic ſunt ſpecies viſibiles panis & vini, verum Corpus & Sanguinem continentes, ac ſignificantes, ſub ratione cibi & potus. 2. Quatenus eſt res Sacramenti tantum, eſtque gratia inviſibilis, ſeu refectio aut nutritio ſpiritualis, quam virtualiter in ſe continet & confert digne ſuſcipientibus. 3. Tandem, quatenus eſt res Sacramenti & ſimul Sacramentum, eſtque Corpus & Sanguis Chriſti ſub ſpeciebus contenta; cum ipſa ſimul ſint gratia, & ipſam ſignificent atque producant. His notatis,

Dico I. Euchariſtia recte definitur: *Sacramentum Corporis & Sanguinis Chriſti, ſub ſpeciebus panis, & vini ad ſpiritualem animæ refectionem ab ipſo Chriſto Domino inſtitutum.*

*Prob.* & explicatur definitio. Dicitur 1. *Sacramen-*

*mentum*, eſt enim ſignum ſenſibile, per ſpecies ſenſibiles panis & vini, gratiæ inviſibilis, ſpiritualis ſcilicet refectionis; quod adeo verum eſt, ut nullus, vel Hæreticus, id umquam negare uſus fuerit Dicitur 2. *Corporis & Sanguinis Chriſti*; non ſolum quod ea figurative ſignificet, ſed quod ipſa realiter contineat, ut ſuo loco probabitur. Dicitur 3. *Ad ſpiritualem animæ refectionem*, juxta illud Chriſti Domini: *Caro mea vere eſt cibus, & Sanguis meus vere eſt potus*; non quidem corporis; ergo animæ. Dicitur 4. *A Chriſto Domino inſtitutum* in ultima Cœna, ut omnes docent tum Hæretici, tum Catholici, ſive Græci ſive Romani.

Dico II. Sacramentum Euchariſtiæ eſſentialiter conſiſtit in Sanguine, & Corpore Chriſti, prout ſub ſpeciebus panis & vini continentur, vel in ſpeciebus panis, & vini, prout Corpus & Sanguinem Chriſti continent.

*Prob.* Concluſio aliarum ſententiarum rejectione.

1. Non conſiſtit in ſubſtantia panis, & vini, quia rei permanentis eſſentia debet eſſe permanens. Permanet autem Sacramentum, licet panis, & vini ſubſtantia pereat. Ergo.

2. Non conſiſtit in verbis conſecratoriis, propter eamdem rationem, quia nimirum phyſice permanet Sacramentum, verba autem nonniſi moraliter perſeverare poſſunt. Moralis autem perſeverantia non ſufficit utique ad aliquid phyſice conſtituendum.

3. Non conſiſtit in Conſecratione, ſeu actione quæ panem & vinum in Corpus & Sanguinem Chriſti convertit, quia repugnat rem a ſeipſa produci: eſſet enim ſimul, & non eſſet. Conſecratio autem producit Euchariſtiam. Ergo non eſt Euchariſtia.

4. Non conſiſtit in ipſamet ſumptione, ut inſaniunt Sectarii, quaſi vero jam cibus non eſſet in

ſuo eſſe conſtitutus, priuſquam ſumeretur, nec Chriſtus affirmative dixiſſet: *Hic eſt Corpus meum* priuſquam illud diſcumbentibus diſtribueret. Verum quidem eſt Euchariſtiam effectum ſuum non habere niſi ab ejus manducatione, ſed ab ipſa non habet, tamquam a cauſa vel formali, vel efficiente, ſed a conditione, ſine qua effectum ſuum minime produceret. ]

5. Non conſiſtit in ſolis ſpeciebus, cum de fide ſit ex Trid. ſeſſ. 13. c. 5. Latriæ cultum, qui vero debetur Deo, huic Sanctiſſimo Sacramento fuiſſe ſemper a Fidelibus exhibitum, & eſſe exhibendum. Cultus vero Latriæ ſolis ſpeciebus non convenit. Ergo ipſæ ſolæ Sacramentum non conſtituunt. Adde quod ipſæ ſolæ dici non poſſint, prout dicitur Euchariſtia, Panis de Cœlo, Cibus animæ, &c.

6. Non conſiſtit tandem in ſolo Corpore & ſanguine Chriſti; eſſentiale ſiquidem eſt omni Sacramento, ut ſit aliquid ſenſibile. Corpus autem & Sanguis Chriſti in ſe non ſunt ſenſibilia. Ergo non in eis ſolum conſiſtit Euchariſtiæ Sacramentum.

Reſtat igitur dicendum, cum D. Thom. 4. diſt. 8. q. 1. a. 1. ad 2. *Ex ſpeciebus, & Corpore Chriſti fieri unum Sacramentum*. Nam *ſicut Perſona Chriſti*, inquit D. Iren. lib. 4. contr. Hær. c. 34. *conſtat Deo & homine, ita dicimus Sacrificium Eccleſiæ duobus conſtare, viſibili elementorum ſpecie, & inviſibili D. N. J. C. Carne & Sanguine.* Ex dictis

*Reſol.* Materiam proximam Euchariſtiæ in facto eſſe, ſpecies eſſe euchariſticas, formam vero ipſummet Chriſti Corpus ſub ſpeciebus. Materia ſiquidem & forma Sacramenti permanentis debent eſſe permanentes, nec ulla aſſignari poteſt alia permanens materia, quam ſpecies, quæ de ſe ſunt indeterminatæ ad refectionem ſpiritualem ſignificandam: nec ulla alia forma quam ipſummet Corpus Chriſti, qui has ad eam refectionem ſignifi-

gnificandam & operandam determinat. Circ
quod

Quær. An Eucharistia, quæ ex duplici materi
duplicique forma constat, unum sit tantum, ve
duplex Sacramentum?

℟. Unum esse tantum Sacramentum; quod pro
batur ex Tridentini Catech. parte 2. cap. 4. *Li
cet*, inquit, *duo sint elementa, panis scilicet, &
vinum, ex quibus integrum Eucharistiæ Sacramen
tum conficitur, non sunt plura Sacramenta*. E
ratio est, quia Sacramentorum multiplicitas desu
mitur ex multiplicatione finium & significato
rum specie diversorum. Atqui Eucharistia, lice
duabus constans speciebus, unicum finem & s
gnificatum adæquatum habet, refectionem scilice
spiritualem, quæ ad instar refectionis corporali
per cibum ac potum fieri censetur. Ergo

Nec refert, quod species panis in Ciborio s
verum, & integrum Sacramentum, & hoc dive
sum a specie vini in Calice: nam species pan
est quidem integrum Sacramentum ratione r
contentæ, quia Corpus & Sanguinem Christi co
comitanter continent; sed non est integrum r
tione signi, quia non significat potum, nisi ind
recte & concomitanter.

## QUÆSTIO II.

### *Quænam sit materia, ex qua fit Eucharistia.*

CUM duplex sit Eucharistiæ materia, u
pro consecrando Corpore, altera pro con
crando Sanguine, de utraque distinctis agem
Articulis.

A R-

## ARTICULUS I.

### *De Materia in Corpus Christi convertenda.*

*Not.* CONstat apud omnes, panem esse materiam necessariam in Corpus Christi convertendam, cum ea sit materia, qua Christus usus est, cum primum Eucharistiam instituit. Atqui pane usus est, ut ex omnibus constat Evangelistis. Ergo. Sed hic attentius examinandæ sunt hujus panis natura & qualitates, tum essentiales, tum accidentales. De quibus

Dico I. Solus panis triticeus est materia Eucharistiæ necessaria.

*Prob.* Ex supra dicta ratione; quia nempe pane triticeo Christus Dominus usus est, cum Eucharistiam instituit, prout verba Evangelii denotant: *Accepit Jesus panem*; nam Evangelistæ secundum usum communem locuti sunt. Atqui dum dicitur simpliciter *Panis*, secundum usum communem solus triticeus intelligitur, cum solus sit verus panis, ceterique panes dicuntur analogice, quatenus ejus defectum supplent; ideoque non dicuntur panes sine additamento. *Panis hordeaceus*, *panis ex fabis*, *&c.*

*Confirm.* Ex Florentino in Decreto Unionis, ubi aperte dicitur Materiam Eucharistiæ esse *Panem triticeum*; eodem modo, quo dicitur aquam naturalem esse materiam Baptismi, proindeque non solum ex necessitate præcepti, sed & Sacramenti, alioquin nil certi ex hoc Concilio haberemus circa Sacramentorum materias. Huc accedit universæ Ecclesiæ praxis & auctoritas in Rubricis Missalis Romani expressa, ubi declaratur nihil effici cum pane non triticeo. Hinc

*Resol.* Invalidam esse Consecrationem, non solum in pane ex leguminibus aut fructibus arbo-

rum, aut radicibus confecto; ſed & ex ſpelta, hordeo & ſiligine, niſi forte ſigilo a tritico ſpecie non differat: & ſic intelligendi ſunt nonnulli SS. Patres aſſerentes ſiliginem ſufficere. Sed cum etiam in hac ſuppoſitione materia ſemper eſſet dubia, nec materia dubia uti liceat in conficiendis Sacramentis neceſſitate medii non neceſſariis: qui ſiligine in Conſecratione uteretur, peccati mortalis conſcius eſſet.

Dico II. Neceſſitate Sacramenti neceſſarium eſt, ut farina triticea aqua naturali ſit ſubacta, & igne cocta, quæ ſunt panis qualitates eſſentiales.

*Prob.* Quia idem panis adhibendus eſt, qualem Chriſtus adhibuit: certum eſt autem panem uſualem, aqua ſcilicet naturali ſubactum, & igne coctum, qui ſolus verus eſt panis, adhibuiſſe. Ergo. Hinc

*Reſol.* 1. Placenta & ſimilia ex farina quidem triticea, ſed cum melle, ſaccaro, lacte, butyro, aqua roſacea confecta, materiam hujus Sacramenti eſſe invalidam.

*Reſol.* 2. Ad Conſecrationem inſufficientem eſſe maſſam crudam, vel in ſartagine frixam, vel ſole torridam, &c. Indifferens eſt autem, quod vel in furno coquatur, vel ſub cinere, vel in ferro calido: quia quoquo modo igne coquatur, ſemper ſervat panis uſualis rationem.

Dico III. Ad Conſecrationis validitatem nihil refert, quod panis azymus ſit, vel fermentatus.

*Prob.* Ex Florentino, id expreſſe contra Græcos Schiſmaticos definiente. Ratio eſt: quia hæ ſunt qualitates accidentales, quæ panis uſualis ſubſtantiam non magis mutant, quam rubedo, aut albedo mutat ſubſtantiam vini. Atqui, ſecundum ipſoſmet Græcos ſchiſmaticos, valida eſt Calicis conſecratio, in quovis vino, ſive albo, ſive rubro peraga-

gatur, licet Chriſtus nonniſi in alterutro conſecraverit: ita valida eſt panis conſecratio, ſive in azymo, ſive in fermentato fiat, quovis modo ſupponatur Chriſtum conſecraſſe, vel in iſto, vel in illo.

Certum eſt tamen ex eodem Florentino, Latinos in azymo, & Græcos in fermentato, ſinguli juxta Eccleſiæ ſuæ Ritum, ſub gravi præcepto conſecrare teneri. A quo præcepto non diſpenſat præceptum Miſſam audiendi, nec in extremo morbo Viaticum ſuſcipiendi; quia Ritus in tanto Myſterio adhibiti, ſtrictiſſimi juris eſſe cenſentur. Diſpenſare tamen poſſet neceſſitas integrum Sacrificium perficiendi; ut ſi quis, conſecrata utraque ſpecie, adverteret ſpeciem panis eſſe corruptam, nec alius haberi poſſet panis azymus; quia integritas Sacrificii longe prævalere videtur huic circumſtantiæ accidentali.

Ratio potiſſima, cur Græci in fermentato, & Latini in azymo conſecrare teneantur, eſt, quia nulli privato licet laudabilem Eccleſiæ ſuæ Ritum pro libito immutare. Græcorum laudabilis eſt Ritus, quia ipſum uſurparunt in deteſtationem hæreſis Ebionitarum, qui Legalia Evangelio miſcebant, & panis fermentatus non obſcure repræſentet Verbum divinum carnis noſtræ fermento quaſi imbutum, ejuſque erga nos ferveſcentem charitatem. Sed laudabilior atque convenientior videtur Latinorum Ritus: tum quia repræſentat puritatem Chriſti, qui ſine ulla admixtione ſuſcepit carnem: tum quia azymus panis puriot eſt fermentato, eum fermentatum totam maſſam aliqualiter corrumpat: tum quia Fidelium ſinceritatem magis exprimit. Utrum autem hic Ritus convenientior ſit, quia Chriſtus in hujus Sacramenti inſtitutione panem azymum adhibuit, quæſtio eſt inter Græcos, & Latinos. Circa quam

Dico IV. Chriſtus Dominus in azymo conſecravit.

*Prob.* Ex Evangeliſtis narrantibus Chriſtum minum hoc Sacramentum inſtituiſſe prima azymorum, quo nihil fermenti domi haber dæis licebat. *Prima die azymorum*, inquit Mar *quando Paſcha immolabant, dicunt ei Diſcip Quo vis eamus, & paremus tibi, ut man Paſcha?* Idem docent omnes Patres Latini, i & Græci, inter quos Theoph. c. 22. expreſſ cit: *Diem azymorum nominari Feriam quin in cujus veſpera Paſcha immolaturi erant.*

## ARTICULUS II.

### *De materia Calicis.*

*Not.* IIſdem rationibus, & auctoritatibus, q mox probatum eſt panem triticeum lem materiam eſſe neceſſariam in Corpus C convertendam, probatur etiam cum propor ſolum vinum ex vite ipſumque uſuale, eſſe riam Calicis neceſſariam, nec eas repetere ſe eſt; cum earum commode fieri poſſit ap tio, & ex his quilibet facile concludere po 1. Liquorem expreſſum ex pomis, piris, &c. teriam non eſſe conſecrabilem. 2. Nec ſu in uvis incluſum, quia vinum uſuale non ſed botrus. 3. Nec omphalium, nec acet nec vinum aduſtum, nec vinum aromatibus charo, &c. conditum, propter eamdem ratio 4. Nec vinum toraliter congelatum; quia g non eſt vinum potabile, proindeque nec uſu 5. Nec vinum penitus in pane imbibitum, potius eſt oſſa, quam vinum. Multi autem, aceſcentis, aut vappæ conſecratio, licet val non eſt tamen licita, ob fæces adjunctas & rationem.

Hæc omnia manifeſta ſunt, ſed hic inqui 1. An vino conſecrando aqua modiciſſima ſit

miſcenda, & qua neceſſitate, an Sacramenti, an præcepti tantum Eccleſiaſtici. 2. An aqua vino permixta immediate convertatur in Sanguinem Chriſti, an tantum mediate; id eſt, utrum prius convertatur in Sanguinem. 3. An aliquando liceat ſub una ſpecie conſecrare. Pro quibus

Dico I. Aqua modiciſſima in vino conſecrando admiſcenda eſt, non neceſſitate Sacramenti, nec præcepti divini, ſed tantum Eccleſiaſtici.

*Prob.* 1. pars, Ex Traditione ab Apoſtolis ad nos uſque derivata, ut ex Pontificibus, Conciliis & Patribus, tum Græcis, tum Latinis fuſe probant Controverſiſtæ: inter quos, brevitatis gratia, unum textum ex ſingulis proferemus. Ex Pontificibus: Alexander I. Epiſt. ad omn. Orth. *Non debet, ut a Patribus accepimus, in Calice Domini, aut vinum ſolum, aut aqua ſola offerri, ſed utrumque permixtum.* Ex Conciliis: Trulian. ſtatuens Can. 32. *Presbyterum aquam vino non miſcentem, juxta traditum ab Apoſtolis ordinem, deponi.* Et SS. Patribus: Ambr. lib. 4. de Sacramentis, cap. 5. *Vinum cum aqua mixtum*, inquit, *fit Sanguis conſecratione verbi cæleſtis.* Rationes congruentiæ hujuſce antiquæ praxis ſunt, juxta Trident. ſeſſ. 22. cap. 7. *tum quod Chriſtum Dominum ita feciſſe credatur, tum etiam quia e latere ejus aqua ſimul cum Sanguine exierit, quod Sacramentum hac mixtione recolitur; & cum aquæ in Apocalypſi Joannis Populi dicuntur, ipſius Populi fidelis cum Chriſto unio repræſentatur.*

*Prob.* 2. pars, Ex continua praxi Eccleſiæ, juxta Florentini declarationem. Et ratio eſt, quia per notabilem exceſſum vini aptius ſignificatur ſuperioritas Dei hominis ſupra Populum ſibi unitum: Adde quod, ſi copioſior eſſet aqua, metus eſſet ne vinum ſubſtantialiter corrumperetur: ideo communiter requiritur & ſufficit octies plus vini. Hinc irridendus eſt eorum ſcrupulus, qui inquie-

te ſtudent minimam quam poſſunt ſtillam Calici infundere. Porro hanc aquam naturalem eſſe atque elementarem neceſſe eſt; & ipſam non ampulla aut dolio, ſed in ipſa Miſſæ celebratione in Calicem infundi; alias ad ſacra Myſteria ſupradicta repræſentanda apta non eſſet.

*Prob.* 3. pars, Ex Florentino dicente quidem paululum aquæ vino admiſcendum eſſe, non tamen pro materia Calicis vinum aqua mixtum aſſignante, ſicut pro materia Confirmationis aſſignat Chriſma ex Oleo & Balſamo confectum. Ideo Miſſale Romanum vetat, omiſſam aquæ mixtionem ſuppleri poſt Conſecrationem, quia non eſt de neceſſitate Sacramenti. Docet quidem Divus Cyprianus Epiſt. ad Cæcilium, eodem modo aquam requiri ad Conſecrationem ac vinum, ſed Sanctus Doctor intelligendus eſt de neceſſitate repræſentationis, non de neceſſitate Sacramenti, quia vinum ſine aqua unionem Chriſti cum Populo fideli non repræſentaret.

*Prob.* 4. pars, Ex Florentino & Tridentino, non Chriſti Domini, ſed Eccleſiæ præceptum adducentibus ad hanc obligationem inculcandam. Verum quidem eſt, Chriſtum Dominum hanc mixtionem adhibere exemplo ſuo nos docuiſſe; ſed non omnia quæ fecit, id nos facere juſſit. Alioquin, inquit D. Cyprianus citatus, ſacrificium poſt Cœnam celebrare teneremur, cum Chriſtus poſt Cœnam illud celebraverit. Ceterum, præceptum iſtud ſub peccati mortalis pœna obligare, omnino certum eſt, quia licet in ſe materia levis appareat, gravis tamen eſt, ob magnorum Myſteriorum mirabilem ſignificationem.

Dico II. Aqua cum vino mixta, immediate, & abſque ulla ſui converſione in vinum, in ſanguinem Chriſti convertitur.

*Prob.* 1. Ex SS. Patribus. *Vinum & aqua* inquit Damaſcenus, lib. 4. de Fide, *tranſmutatur*

*in*

*in Corpus & Sanguinem Chriſti*. D. Hieron. ait in cap. 14. Marci, *Chriſtum formare Sanguine ſuum in Calice, vino & aqua mixtis*. Immo D. Ambr. lib. 4. de Sacramentis, cap. 5. aſſerit, *Ante verba Chriſti, Calicem eſſe vini & aquæ plenum; & ubi verba Chriſti operata fuerint, ibi Sanguinem efficit*. Quæ verba præcludunt effugium Adverſariorum dicentium SS. Patres improprie locutos fuiſſe, eo ſenſu quo dicimus alimentum converti in ſubſtantiam aliti, licet prius convertatur in chylum & ſanguinem; cum Sanctus Doctor aſſerat ante verborum operationem aquam exiſtere, & per hanc ſolam operationem aquam in Sanguinem tranſmutari. Deinde temerarium videtur contendere, tot tantoſque Patres improprie locutos fuiſſe in tanti Myſterii expoſitione; & in Fidelium deceptionem aliud de ipſo expreſſiſſe, aliud cogitaſſe; cum nullus eorum verba percipiens de aquæ tranſmutatione in vinum aliquid valeat ſuſpicari.

*Confirm.* Si aqua dicitur a SS. Patribus converti in Sanguinem Chriſti, quia jam converſa eſt in vinum; pari ratione dicere potuiſſent triticum converti in Corpus, quia in panem converſum eſt. Atqui dici non poteſt triticum converti in Corpus Chriſti, quia in panem converſum eſt. Ergo nec aqua a SS. Patribus dici potuit in Sanguinem converti, quia in vinum eſt converſa; ſed ſic dicitur ab ipſis, quia immediate per ipſam verborum operationem in Sanguinem convertitur.

*Prob.* 2. Sententia contraria incertam reddit veritatem Fidei, qua docemur aquam in Sanguinem Chriſti converti. Ergo eſt rejicienda. Prob. ant. ea veritas eſt incerta, quæ ſupponit incertum: v. g. Incertum eſſet Chriſtum eſſe rationalem, ſi foret incertum hominem eſſe animal rationale. Atqui in ſententia Adverſariorum veritas, qua do-

cemur aquam in Sanguinem Christi converti, ſupponir incertum. Incertum ſiquidem eſt, aquam, vel modiciſſimam in vinum poſſe tranſubſtantiari; immo cenſent communiter Phyſici hoc naturaliter eſſe impoſſibile. Ergo ſententia contraria incertam reddit veritatem Fidei, qua docemur, &c.

*Prob.* 3. In ſententia Adverſariorum Myſteria ſignificata, juxta Tridentinum, per mixtionem aquæ cum vino, non exhibentur. Ergo eſt rejicienda. Ideo ſecundum Tridentinum aqua miſcetur cum vino. 1. Quia aqua & ſanguis e latere Chriſti exiit, quod Myſterium hac mixtione recolitur. Atqui hoc Myſterium non recoleretur, ſi in Calice ſolum vinum, non aqua, remaneret. Ergo. 2. Aqua cum vino miſcetur, juxta Tridentinum, ut unio Populi fidelis cum Chriſto exhibeatur. Atqui ſi aqua in vinum tranſubſtantiaretur, hæc unio non repræſentaretur, cum nulla cogitari poſſit unio, niſi inter duas ſubſtantias diverſas, non autem inter eas quæ ita confunduntur, ut unum ſimul efficiant. Ergo in ſententia Adverſariorum Myſteria ſignificata per mixtionem aquæ cum vino non exhibentur.

Quær. An utriuſque ſpeciei Conſecratio neceſſaria ſit, & qua neceſſitate?

R. 1. Non eſt neceſſaria neceſſitate Sacramenti, quia utrique ſpeciei conſecratæ vera ac proprie dicta Sacramenti ratio convenit, ut definivit Trid. ſeſſ. 21. cap. 3. Ideo Corpus Chriſti ſub ſpeciebus vini adoratur ante Calicis conſecrationem. 2. Neceſſaria eſt ex præcepto divino, quia poſtquam Chriſtus Dominus utramque ſpeciem conſecravit, idem Apoſtolos ſuos in ſuam commemorationem facere juſſit. Ex quo principio concludit, Eccleſiam diſpenſare non poſſe, ut unica ſpecies conſecretur; cum inferioris non ſit in Lege ſuperioris diſpenſare. Nec refert quod Ec-

cleſia

cleſia aliquid in Sacramentis mutare poſſit, ſalva eorum ſubſtantia; & quod ſalva maneat Euchariſtia, ſub unica ſpecie. Quia ſi ſalva maneat in ratione Sacramenti, non ſalva manet in ratione Sacrificii, cujus Integritatem mutare non poteſt, utpote eſſentialem Sacrificio.

## QUÆSTIO III.

### *Quænam ſit Euchariſtiæ forma.*

*Not.* QUatuor hic nobis examinanda occurrunt. 1. Utrum ſola voluntate, aut verbis aliquibus Chriſtus Dominus uſus fuerit ad conſecrandum. 2. Quænam ſint verba conſecrationis eſſentialia. 3. Quo ſenſu a Sacerdotibus proferantur. 4. Demum quid hæc ſignificent. De quibus

Dico I. Chriſtus Dominus verbis uſus eſt ad conſecrandum, & iiſdem quibus nos.

*Prob.* Ex SS. Patribus, maxime Tertull. lib. 5. contr. Marcion. & S. Damaſc. lib. 14. de Fide, cap. 15. aperte docentibus, Chriſtum Dominum panem, & vinum feciſſe ſuum Corpus & ſuum Sanguinem, dicendo: *Hoc eſt Corpus meum, Hic eſt Sanguis meus*. Ideo Concilium Florentinum in Decreto Unionis dicit, formam hujus Sacramenti eſſe verba Salvatoris, quibus hoc confecit Sacramentum, & Sacerdotem in Perſona Chriſti loquentem hoc conficere Sacramentum. Deinde, licet Chriſtus Dominus ſolo voluntatis actu conſecrare potuerit, congruens erat ut exemplo ſimul & verbo hanc ſacram cæremoniam Diſcipulos ſuos doceret.

Dico II. Forma eſſentialis conſecrationis Corporis eſt iſta: *Hoc eſt Corpus meum*. Forma Sanguinis: *Hic eſt Sanguis meus*, vel *Hic eſt Calix Sanguinis mei*. Cetera, licet ſint de neceſſitate præcepti, non ſunt de neceſſitate Sacramenti.

*Prob.* Ea ſola verba ſunt de neceſſitate Sacramenti, quibus tranſubſtantiatio clare exprimitur. Atqui per hæc ſupra relata, tranſubſtantiatio exprimitur. Ergo. Cetera autem verba præcedentia vel ſubſequentia, ad ſolam narrationem, vel ad majorem Myſterii expoſitionem inſerviunt. Unde D. Ambr. lib. 4. de Sacramentis, cap. 4. ait: *reliqua omnia quæ dicuntur, vel laus Deo defertur, vel oratio præmittitur. Ubi venitur, ut conficiatur venerabile Sacramentum, jam non ſuis ſermonibus Sacerdos, ſed utitur ſermonibus Chriſti.*; & de Calice ſermonem faciens, ait: *Inde verba ſunt Chriſti, Accipite ex eo omnes. Hic eſt enim Sanguis meus. Et ante verba Chriſti Calix eſt, vini & aquæ plenus, ubi verba Chriſti operata fuerint, ibi Sanguis efficitur.*

*Confirm.* Loco verborum ſubſequentium: *Quod pro vobis tradetur*, Chriſtus addere potuiſſet, *conceptum de Spiritu ſancto ex beata Virgine, &c.* quæ tamen non fuiſſent eſſentialia. Ergo nec illa, *Quod pro vobis tradetur, & qui pro vobis & pro multis effundetur*, eſſentialia ſunt. Adde quod verba *Myſterium Fidei*, nec a Chriſto prolata ſunt.

Dico III. Forma a Sacerdote nec hiſtorice nec aſſertive tantum; ſed hiſtorice & aſſertive ſimul profertur.

*Prob.* 1. pars. Quia teſtibus Florentino & SS. Patribus, Sacerdos loquitur in perſona Chriſti, ſeu Chriſti perſonam gerit. Sed qui factum alicujus ſimpliciter narrative refert, ejus perſonam nec gerit, nec repræſentat. Ergo. Patet ſecunda pars ex verbis formam præcedentibus, *Qui pridie quam pateretur*; quæ manifeſte narrationem indicant. Ergo reſtat, ut forma a Sacerdote proferatur hiſtorice, & aſſertive ſimul; eodem fere modo, quo lectiones Officii B. V. leguntur a Fidelibus, ubi narratur Angelum beatam Virginem ſalutaſſe, &

di-

dixiſſe: *Ave Maria gratia plena*, cum affectu, & intentione eam ſalutandi; vel eo modo, quo Principis Legatus facta ejus vel dicta profert, ſimulque vice ejus præceptum imponit.

Dico IV. Pronomina *Hoc & Hic*, Corpus & Sanguinem non diſtincte, ſed confuſe ſignificant, ſub ratione generica cibi, & potus.

*Prob.* Quia 1. Non ſignificant panem, & vinum, alias falſa eſſet forma; ſignificaret enim panem eſſe Corpus Chriſti, & vinum eſſe ejus Sanguinem. 2. Non ſignificant panis & vini accidentia, cum accidentia Corpus & Sanguis Chriſti non ſint. 3. Non ſignificant ipſum Corpus Chriſti, nec ejus Sanguinem, alias forma eſſet nugatoria; ſignificaret enim, Corpus meum eſſe Corpus meum. 4. Non ſignificant ens in genere, nec ſubſtantiam, quaſi quis diceret: Hæc ſubſtantia ſub his ſpeciebus contenta eſt Corpus meum, quia ens & ſubſtantia ſunt indeterminata. Pronomina autem *Hoc & Hic* determinata ſunt per verba præcedentia, *Comedite*, & *Bibite*, ad edulium & potum ſignificandum. Adde quod, ſi per pronomen *Hic* intelligendum eſſet ens vel ſubſtantia, potius dicendum fuiſſet *Hæc eſt*, aut, *Hoc eſt Sanguis meus*, quam Hic eſt Sanguis meus. Ergo. Hinc

*Reſolv.* 1. Si pronomen *Hic* ſumeretur adverbiative, loco *ibi*, nihil efficeretur, quia non ſignificaretur converſio vini in Sanguinem, ſed ejus in tali loco exiſtentia. Forma ſiquidem non eſt ſpeculativa, ita ut ſupponat ſubjectum, ſed practica, ita ut ipſam identitatem ſubjecti cum prædicato efficiat.

*Reſolv.* 2. Pronomina *Hoc & Hic* ſumi ſubſtantive, id eſt tamquam propoſitionis ſubjectum, de quo aliud prædicatur, cum demonſtretur, Corpus & Sanguinem Chriſti de hoc edulio, aut de hoc cibo prædicari.

*Reſolv.* 3. Nomen *Calicis* ſumi pro eo quod in

ipso continetur, quia nimirum Corpus Christi de se cibus est sicut panis absque ullo continente; sed Sanguis non dicitur potus, sicut nec vinum, nisi prout in Calice propinatur; & cum Ecclesia his utatur verbis; juxta Matthæum & Marcum., grave peccatum committeret Sacerdos, qui sic formam proferret, *Hic est Sanguis meus.*

## QUÆSTIO IV.

### *Quid in Sacramento Eucharistiæ contineatur,*

CONveniunt tum Hæretici, tum Catholici, Corpus & Sanguinem Christi in hoc Sacramento contineri, sed quæstiones sequentes hic sunt elucidandæ, sequentibus Articulis. 1. An vere ac realiter Corpus & Sanguis Christi in eo contineantur. 2. An vera fiat transubstantiatio, & per quam actionem fiat. 3. Quomodo Christus sit in Eucharistia.

### ARTICULUS I.

#### *De corporali præsentia Christi in Eucharistia.*

*Not.* SI Hæreticos omnes corporalem Christi præsentiam in Eucharistia negantes, hic referre opus esset, potius longa texenda foret historia, quam veritas catholica stabilienda. Unde ad Historiographos & Controversistas his narrationibus dimissis,

Dico: In Eucharistia vere, realiter ac substantialiter, Corpus & Sanguis Christi continentur.

*Prob.* Conclusio ex apertissimis sacræ Scripturæ testimoniis.

1. In veteri Testamento plurimæ aderant figu-

ræ Euchariſtiam repræſentantes, lignum ſcilicet vitæ in Paradiſo voluptatis, Manna in deſerto e Cœlo deſcendens, & omnem habens ſaporem, Agnus Paſchalis anniculus & immaculatus, &c. Hæ autem figuræ haud figurata Euchariſtia longe minus erant excellentiores, cum juxta Apoſtolorum expreſſionem, nonniſi *umbræ* ejus eſſent atque imagines. Sed ſi Euchariſtia realiter ac vere Corpus Chriſti non contineret, ſed tantummodo illud ſignificaret, ſupradictis figuris perfectior utique aut excellentior non eſſet, immo longe imperfectior eſſet, cum Manna e Cœlo deſcendens, & Agnus immaculatus longe perfectius repræſentet Chriſtum, quam panis in ferro coctus, aut vinum e vite confectum, Ergo &c.

2. Chriſtus Dominus expreſſe promiſſit, ſe nobis daturum Carnem ſuam ad manducandum, & Sanguinem ſuum ad bibendum; Joan. 6. *Panis quem ego dabo, Caro mea eſt. Niſi manducaveritis Carnem Filii hominis, & biberitis ejus Sanguinem: Caro mea vere eſt cibus, & Sanguis meus vere eſt potus.* Quod ſi vero poſt promiſſionem adeo expreſſam Chriſtus nobis non dediſſet niſi figuram Corporis aut Sanguinis ſui, potius nobis illuſiſſet, quam beneficium contuliſſet. Deinde ſi in hac magnifica promiſſione de ſola manducatione ſpirituali per fidem locutus fuiſſet, potum a cibo, carnem a ſanguine, & diverſos actus manducandi & bibendi, non diſtinxiſſet; cum per unum actum fidei ſumi potuiſſet. Demum ſi in hac promiſſione de ſua præſentia metaphorica, & figurali, aut de manducatione ſpirituali actum fuiſſet, hic ſermo audientibus minime durus viſus fuiſſet, & proculdubio Chriſtus Dominus ad tollendum inde ortum ſcandalum, mentem ſuam de præſentia metaphorica, & ſpirituali manducatione clare aperuiſſet. Sed tantum abeſt, ut verba ſua manducationem realem exprimentia correxerit;

xerit, quin potius juramento confirmaverit: *Amen, amen dico vobis*, &c. *Caro mea vere est cibus*, &c.

3. Verba quibus Christus Eucharistiam instituit, adeo sunt aperta, & ab Apostolis & Evangelistis omnibus tam conformiter relata, ut nullus sit ambigendi locus. *Comedite: Hoc est Corpus meum, quod pro vobis tradetur. Bibite ex hoc omnes: Hic est Sanguis meus, qui pro multis effundetur*; quæ verba ad litteram esse sumenda probatur.

1. Ex hac regula ab ipsimet Hæreticis recepta, nempe quod Scriptura sacra in sensu proprio sit intelligenda, nisi aliqua inde oriatur contradictio aut inconvenientia. 1. Quia nulla veritas est in Scripturis, verbis magis explicitis & claris expressa; ideo si hæ locutiones in proprio sensu non sumantur, nihil certi in Scriptura habere possemus. 3. Quia non decebat Christum verbis uti ambiguis ac obscuris in tanti Sacramenti institutione, & charissimos suos alloquentem Discipulos, quibus datum erat nosse mysterium Regni Dei, maxime eo tempore quo erat ab ipsis discessurus.

*Prob.* Ex Conciliis antiquioribus pro legitimis ab Hæreticis admissis. Nicæn. I. l. 3. de sacrament. *Intelligamus situm in illa sacra mensa Agnum illum Dei tollentem peccata mundi, immolatum, & pretiosum ejus Corpus & Sanguinem vere sumentes, credamus hæc esse nostræ redemptionis symbola.* Et Nicæn. II. Act. 6. *Liquido monstratum est, quod nusquam Dominus, vel Apostoli, aut Patres imaginem dixerunt, Sacrificium sine Sanguine, sed ipsum Corpus, ipsum Sanguinem.* Quid expressius Contra Calvinistas? Brevitatis gratia alia Concilia prætermittimus, Romanum contra Bereng. Lateranum sub Innoc. III. Vienn. Florent. &c.

*Prob.* Ex omnibus etiam primævæ Ecclesiæ Patribus. S. Andr. Apost. libro de ejus Passione a Disci-

Diſcipulis conſcripto: *Ego omnipotenti Deo quotidie immolo, non taurorum carnes, ſed immaculatum Agnum in Altari ... cujus carnes cum vere a Populo ſint manducatæ, integer perſeverat & vivit.* Cypr. de Cæn. Dom. *Panis iſte non effigie, ſed natura mutatus, omnipotentia Verbi factus eſt Caro.* Damasc. lib. 4. de Fid. c. 14. *Domino dicente: Hoc eſt Corpus meum, non figura corporis, ſed Corpus; & non figura ſanguinis, ſed Sanguis.* Theophil. in cap. 6. Matth. *Non enim dixit, hoc eſt figura, ſed Hoc eſt Corpus meum. Panis quidem apparet, ſed caro eſt.* Ceteri Patres videantur apud Controverſiſtas.

Ex corporali ac reali præſentia Chriſti in Euchariſtia, ſequitur 1. Cultum latriæ ipſi debitum eſſe, ut aperte declarant D. Ambr. lib. 3. de Spir. ſanct. c. 22, D. Ciryll. Hieros. Catech. 5. S. Chryſoſt. Hom. 3. *de incompr. natur. Dei*, &c. 2. Ipſam pie poſt Fidelium Communionem reſervari, ut teſtantur Iren. Epiſt. 2. ad Victor. Papam; Cypr. lib. de lapſis, Chryſoſt. Epiſt. 1. ad Innocent. Papam, &c.

## ARTICULUS II.

### *De Tranſubſtantiatione.*

*Not.* 1. LAtiſſimum eſſe diſcrimen inter impanationem, conſubſtantiationem, & tranſubſtantiationem. Impanatio eſt unio hypoſtatica Verbi Divini cum pane, eo fere modo quo ipſum Verbum per Incarnationem humanæ naturæ fuit unitum, ideoque veri impanatores non Corpus Chriſti, ſed tantummodo Verbum Divinum in Euchariſtia admittunt. Conſubſtantio eſt præſentia Corporis Chriſti cum ſubſtantia panis; ita ut ſimul ſint in Euchariſtia contenti. Tranſubſtantiatio vero eſt vera converſio totius ſubſtantiæ panis,

& vini, in ſubſtantiam Corporis & Sanguinis Chriſti, Circa quam,

*Not.* 1. Ad veram tranſubſtantiationem quatuor requiri. 1. Ut quod tranſubſtantiatur, nullatenus remaneat, alias ſubſtantiam mutatam eſſe dici minime poſſet. 2. Ut alia ſuccedat ſubſtantia, alias eſſet annihilatio, non tranſubſtantiatio. 3. Ut ſit connexio tranſitus ab una re, quæ deſinit eſſe, ad aliam rem, quæ ſuccedit, alias non eſſet una tranſubſtantiatio, ſed duæ actiones diverſæ, quarum una eſſet annihilatio, altera creatio. 4. Ut hic tranſitus fiat abſque ulla ſubjecti diſpoſitione, alias eſſet corruptio, aut generatio. His notatis,

Dico I. Euchariſtia non conficitur per impanationem, nec per conſubſtantiationem, ſed per veram panis & vini in Corpus & Sanguinem Chriſti tranſubſtantiationem.

*Prob.* 1. pars. Si Euchariſtia per impanationem fieret, panis eſſet Corpus aſſumptum a Verbo Divino. Sed Corpus Verbi Divini, de quo loquuntur Evangeliſtæ, ipſum eſt quod pro nobis traditum eſt ad crucifigendum, quod de Virgine natum eſt, &c. Ergo non eſt panis.

*Prob.* 2. pars. Si panis in Euchariſtia maneret, falſa eſſet forma Conſecrationis. Si quidem pronomen *Hoc* demonſtraret ſubſtantiam panis, cum demonſtrare deberet ſubſtantiam Corporis Chriſti. Nec valet dicere, quod Corpus Chriſti prædicaretur de pane, quatenus contineret ipſumet Corpus Chriſti, ſicut de lagena vino plena dicitur, hoc eſt vinum. Ratio diſparitatis eſt, quod unus invaluit dicendi de lagena vino plena, hoc eſſe vinum, cum ad hoc facta ſit ut vinum contineat; ſed non magis apte dici poſſet de pane, qui Corpus Chriſti contineret, *Hoc eſt corpus humanum*, quam de dolio, in quo homo eſſet abſconditus, *hic eſt homo*.

*Prob.*

*Prob.* 3. pars. 1. Ex verbis Chriſti, non enim dixit: In hoc latet Corpus meum, nec in hoc vino eſt Sanguis meus, ſed dixit: *Hoc eſt Corpus meum, hic eſt Sanguis meus.* 2. Ex Patribus uno ore affirmantibus panem & vinum in Corpus & Sanguinem tranſmutari. *Divina virtute*, inquit Greg. Nyſſ. Catech. 37. *ſanctificatus panis in Dei Verbi Corpus tranſmutatus ſeu tranſelementatus. Tametſi*, inquit Cyril. Hieros. Catech. Myſtag. 4. *ſenſui guſtus vinum videatur, non tamen vinum, ſed Sanguis eſt Chriſti, dominico ſcilicet verbo ea quæ apparent, in aliud aliquid majus, & intelligibile transferente. Influit Deus oblatis vim vitæ*, inquit Cyrillus Alex. Epiſt. ad Colis. *convertens ea in veritatem propriæ carnis. Mirabili modo*, inquit Damaſc. lib. 4. de Fide, cap. 14. *panis & vinum in Chriſti Corpus & Sanguinem convertuntur.* 3. Ex Conciliis tum duobus Rom. in quibus Berengarius errorem ſuum retractavit, tum Conſtant. in damn. Vviclef. tum Florent. conſentiente utraque Eccleſia, Græca & Latina, tum Trid. definiente non remanere ſubſtantiam panis, ſeſſ. 13. can. 2. & c. 4.

Confirmata veritate Catholica, nobis diſcutienda incumbit non ignobilis inter ipſoſmet Catholicos controverſia, per quam nimirum actionem tranſubſtantiatio fiſit: an per adductionem Corporis Chriſti e Cœlo ad novam localem præſentiam ſub ſpeciebus panis & vini: an per ipſius reproductionem. Circa quod

Dico II. Tranſubſtantiatio non eſt Corporis & Sanguinis Chriſti ſimplex adductio, ſed vera eorumdem reproductio.

*Prob.* 1. pars. 1. Simplex adductio nihil aliud eſt, quam translatio de loco in locum; ſed translatio de loco in locum dici non poteſt tranſubſtantiatio, aut converſio unius ſubſtantiæ in aliam. Si enim Deus vicinum montem in locum alterius,

rius, etiam ipso destructo, transferret, non ide
diceretur unum in alium transubstantiasse, cum
nulla excogitari possit transubstantiatio sine muta
tione unius substantiæ in aliam substantiam, ne
mutatio unius substantiæ in aliam, sine productio
ne rei, in quam res præcedens fuit mutata.

2. Si Corpus Christi in Eucharistiam adduci
tur, vel in Cœlo remanet, vel non. Si rema
neat in Cœlo, ergo locum non mutat, nec ali
transfertur, si non remaneat, ergo non sedet a
dextram Patris; quod est hæreticum.

3. Si per translationem de loco in locum fi
ret transubstantiatio, toties ipsa fieret, quoties Co
pus Christi in Eucharistia loco mutaretur. Se
quoties fit transubstantiatio, fit Consecratio. Erg
quoties Corpus Christi in Eucharistia loco mov
retur, toties Missa celebraretur absque forma, M
nistro, & intentione, quod absurdum est.

*Prob.* 2. pars. Ex SS. Patribus unanimiter d
centibus. Corpus Christi per Consecrationem
Eucharistia fieri & confici. *Ubi accesserit Con
cratio*, inquit D. Ambrosius, lib. 4. de Sac
mentis, cap. 4. *de pane fit Caro Christi. Sacer
tes*, inquit Hieron. Ep. 1. ad Heliod. *Christi C
pus sacro ore conficiunt*, &c. quæ intelligi non p
sunt, nisi de reproductione.

## ARTICULUS III.

### *De modo quo Christus est in Eucharistia.*

*Not.* CUm multa circa modum, quo Chri
est in Eucharistia, exponenda occ
rant, brevitatis gratia, distinctis quæstiuncul
omnia enucleatim discutiemus.

Quær. 1. Quænam in Eucharistia ponantur
verborum, id est præcise per id quod verbis c
secrationis exprimitur, & quænam in ipsa por
tur per concomitantiam, id est propter conne

nem

nem, quam habent cum eo, quod iiſdem verbis exprimitur?

℟. 1. Vi verborum ſolum Chriſti Corpus ponitur ſub ſpecie panis, & ſolus Sanguis ſub ſpecie vini. Ratio eſt, quia formæ Sacramentorum præciſe non faciunt, niſi quod ſignificant. Sed forma Conſecrationis panis ſignificat tantum Corpus, & forma Conſecrationis Calicis ſignificat tantum Sanguinem, Ergo, &c. Corpus autem quod verbis formæ ſignificat, eſt corpus humanum, organicum, conſtans materia & forma corporeitatis, & omnibus partialibus formis, quæ ita organizationem conſtituant, ut ad recipiendam animam proxime ſit diſpoſitum. Sanguis vero, qui ſpecie vini vi verborum ponitur, ea eſt maſſa ex quatuor humoribus conſtans, in venis & arteriis fluens, qualis ex venis Chriſti Domini pro nobis effuſus eſt.

℟. 2. Per concomitantiam ſub ſpecie vini ponitur Corpus, & ſub ſpecie panis ponitur Sanguis, & ſub utraque ſpecie ponitur anima ſimul & Verbi perſonalitas; ratione cujus ponitur & Divinitas, proindeque ipſiuſmet Patris & Spiritus ſancti perſonalitates, propter eorum identificationem cum Divinitate. Non enim unum identificatorum poni poteſt, quin concomitanter ponatur alterum, Catech. Rom. par. 2. c. 4. qu. 28. Unde D. Thom. docet Opuſc. 63. cap. 2. p. 3. *Quoties illud Sacrificium oblatum eſt, toties Deum Patrem cum Filio & Spiritu ſancto, ſe totum ſingulis animabus ad fruendum exhibere.* Hinc.

*Reſ.* Quod ſi in triduo mortis Chriſti conſecraſſent Apoſtoli, vi verborum ſub ſpecie panis poſitum fuiſſet Corpus, & ſub ſpeciebus vini poſitus fuiſſet Sanguis reſiduus; ſed utrumque ſine anima, quæ nequidem per concomitantiam adfuiſſet; adfuiſſet tamen Divinitas animæ, & corpori, & ſanguini hypoſtatice unita.

Quær. 2. An Corpus Chriſti in Euchariſtia quantitatem ſuam habeat?

℟. Af-

R. Affirmative, eo ſenſu ſcilicet, quod extenſionem habeat in ordine ad ſe, non in ordine ad locum. In ordine, inquam, ad ſe, quia partes ejus ſunt extra invicem, alias nulla foret membrorum diſtinctio, nec caput, nec pedes, nec brachia remanerent; ideoque Corpus Chriſti vi verborum non eſſet corpus humanum in Euchariſtia. Non autem in ordine ad locum, ita ut nullum occupet locum, quia per quantitatem ſuam non efficitur actu impenetrabile.

Quær. 3. An Chriſtus ſit in Euchariſtia modo ſpirituali?

R. Etiam; quia totus eſt ſub qualibet, vel minima parte ſpecierum, non ſolum poſt diviſionem, ſed etiam ante. Primam partem definivit Conc. Trid. ſeſſ. 13. c. 3. docuit ipſemet Chriſtus, qui ſpecies panis & vini diſtribuit Apoſtolis, & ſingulis totum Corpus ſuum dedit: & confirmat praxis Eccleſiæ, quæ ſpecies conſecratas, diviſas, aut dividendas, ſemper porrexit Fidelibus. Secunda pars ex prima ſequitur, quia per fractionem nulla actio in Corpus Chriſti exercetur: unde ſi Chriſtus toties non eſſet in qualibet parte ſpeciei ante fractionem, non eſſet poſt ipſam, quod eſt hæreticum. Nec obſtat quod Corpus Chriſti infinities eſſet in Euchariſtia, cum ibi ſit modo ſpirituali ſicut anima in corpore, quæ ſemel eſt in ipſo, licet adſit tota in qualibet parte corporis.

Quær. 4. Utrum Corpus Chriſti ſit in Euchariſtia definitive, aut circumſcriptive.

R. Neutro modo eſſe. Non quidem definitive, ut anima in corpore, ita ut alibi non ſit, cum ſit in Cœlo & in aliis Hoſtiis conſecratis: non etiam circumſcriptive more corporum naturalium, ita ut variis ſpatii partibus correſpondeat; cum non habeat extenſionem impenetrabilem, ut mox dictum eſt. Reſtat igitur, ut adſit miraculoſe & incomprehenſibili modo, cujus exemplum in re-

bus

bus creatis nullum eſt, & quem Theologi vocant *Sacramentalem*. His tamen non obſtantibus dici poteſt, Corpus Chriſti eſſe in loco & circumſcriptive, non quidem immediate, & ratione ſui; ſed mediate, & ratione ſpecierum, quas intime penetrat, ſicut ante conſecrationem a ſubſtantia panis penetrabantur; quæ ſpecies proculdubio in loco ponuntur, quatenus alicujus corporis, puta aeris, ſuperficie ambiuntur.

Quær. 5. Quid de ſpeciebus Euchariſticis ſit dicendum.

R. Multa hic multi congerunt, ad Philoſophiam potius quam ad Theologiam ſpectantia. Prætermiſſis igitur hiſce curioſis quæſtionibus, firmiter tamquam de fide tenendum eſt, juxta Concil. Conſt. ſeſſ. 8. Later. c. 1. Florent. in Decret. Trident. ſeſſ. 13. can. 2. omnem omnino panis, & vini ſubſtantiam in Chriſti Corpus & Sanguinem converti, *Manentibus* DUMTAXAT *ſpeciebus panis & vini*. Immo tenendum eſt, tamquam certum, & indubitatum, cujus contrarium in fide periculoſum eſt atque temerarium, ne dicam erroneum; has remanentes ſpecies, quantitatem nimirum, colorem, ſaporem, odorem, duritiem, &c. quovis ſenſu accipiantur, & quoquo modo explicentur, veras eſſe, reales, ac panis proprie dictas ſpecies, a ſubſtantia panis abſolute independentes in ſuo eſſe & conſervari. Dixi, *veras ac reales*, non imaginarias aut phantaſticas, cum æque vere ac realiter ſenſus externos afficiant, ac ſi in ipſo pane ſubjectarentur. Dixi *panis proprie dictas*, non alterius cujuslibet corporis; cum definierint Concilia ſpecies ipſiuſmet panis remanere. Dixi, *a ſubſtantia panis abſolute independentes in ſuo eſſe & conſervari*; cum nihil ad ejus ſubſtantiam pertinens, nihilque quod ipſi ſubſtantiale ſit, ex iiſdem Conciliis de fide ſit reſiduum eſſe. His poſitis, dehinc his qui ar-

gu-

gutiis inanibus delectantur, liberum erit ergotizare.

## QUÆSTIO V.

### *Quis ſit Miniſter Euchariſtiæ.*

*Not.* CUm Euchariſtia ſub duplici reſpectu conſiderari poſſit, ratione ſcilicet confectionis, & ratione adminiſtrationis; duplicem ipſius Miniſtrum diſtinguere neceſſe eſt: de primo

Dico I. Solus Sacerdos valide Euchariſtiam conficere poteſt.

*Prob.* 1. Ex multis Conciliis, Nicæn. I. canon. 18. expreſſe declarantis, Diaconos hanc poteſtatem non habere; indeque concludentis Euchariſtiam Presbyteris non debere diſpenſare. Later. IV. ſub Innoc. III. can. 2. *Hoc utique Sacramentum nemo poteſt conficere, niſi Sacerdos rite ordinatus.* Florent. in Inſtruct. Armen. Trident. ſeſſ. 21. can. 1. 2. Ex Sanctis Patribus Hier. Dialog. cont. Lucif. Auguſtin. Hæreſ. 27. Epiph. Hær. 49. & cap. 3. Ex praxi Eccleſiæ perpetua, quæ numquam, etiam in extrema neceſſitate, alium ad Euchariſtiæ confectionem adhibuit, quam Sacerdotem, licet in primævis ſæculis pauci eſſent Sacerdotes. Ratio eſt, quia hi ſolum poteſtatem habent Euchariſtiam conficiendi, quibus a Chriſto Domino hæc poteſtas conceſſa eſt. Sed ſolis Sacerdotibus hanc poteſtatem conceſſit, cum ſolis ipſis dixerit: *Hoc facite in meam commemorationem.* Ergo.

Dico II. Soli Sacerdotes ſunt ordinarii Miniſtri diſpenſandæ Euchariſtiæ.

*Prob.* 1. Ex Apoſt. qui 1. Cor. 4. ſolos Sacerdotes dicit *Miniſtros Chriſti & diſpenſatores Myſteriorum Dei.* 2. Ex Trident. docente ſeſſ. 13. c. 8. ſemper fuiſſe in Eccleſia conſuetudinem, ex

Apo-

Apoſtolica traditione derivatam, ut laici a Sacerdotibus Communionem reciperent. 3. Ratione, tum quia ſolis convenit auctoritative Euchariſtiam diſtribuere, quibus ſolis competit eam conficere, tum quia Sacerdotes conſtituuntur medii inter Deum & homines; tum quia tandem reverentia huic Sacramento debita exigit, ut niſi in extrema neceſſitate, ſi nempe timenda eſſet magna profanatio, a manu non conſecrata attingatur.

Dixi *ordinarii*: nam Diaconi Euchariſtiam in neceſſitate diſpenſare poſſunt ex commiſſione Sacerdotis, juxta can. 37. Concil. Carthagin. IV. *Diaconus præſente Presbytero Euchariſtiam Chriſti populo, ſi neceſſitas cogat, juſſus eroget.* Immo docent communiter Doctores, Diaconos, etiam ſine commiſſione, in articulo mortis Viaticum miniſtrare poſſe, ex præſumpta Sacerdotis voluntate; aut ſi irrationabiliter Sacerdos nollet adminiſtrare, ex præſumpta vel Epiſcopi, vel Papæ facultate. Circa hanc materiam multa quæruntur breviter elucidanda.

Quær. 1. Utrum Neomiſtæ, ſeu novelli Sacerdotes cum Epiſcopo conſecrent.

R. Si integram formam prius, vel antequam abſolverit Epiſcopus, abſolvant, nihil efficiunt. Si ſimul cum ipſo eam abſolvant, vere cum ipſo conſecrant. Prob. 1. pars; quia ſi prius formam abſolverint, conſecrandi intentionem non habent, cum ſimul cum Epiſcopo conſecrare intendant; ſi poſt Epiſcopum formam abſolvant, non etiam conſecrant, cum per formam ab Epiſcopo prolatam jam confectum ſit Sacramentum. Probatur 2. pars auctoritate Ritual. Roman. jubentis Epiſcopum alta voce verba proferre conſecratoria, ut Ordinati ſimul cum ipſo formam abſolventes, ei concelebrent. Non celebrarent autem cum Epiſcopo, niſi cum ipſo conſecrarent, ac Corpus Chriſti conficerent.

Quær.

Quær. 2. Utrum Clerici Diacono inferiore immo & Laici abſente Sacerdote, & Diacon Euchariſtiam in mortis periculo adminiſtra poſſint?

℟. Negative. Cum D. Thom. qui 4. diſtin 13. quæſt. 1. art. 3. diſtinguit inter tactum na ralem, & tactum Sacramenti diſpenſativum. S cundum ipſum ipſiſmet Laicis, etiam peccato bus, licet Corpus Chriſti attingere, in caſu n ceſſitatis, ut extrahatur e loco immundo, aut gravi profanatione liberetur. *Sed non eſt ſimi* inquit Sanctus Doctor, *de diſpenſatione Sacram ti, quia receptio hujus Sacramenti non eſt neceſſi tis. Unde ei, qui non poteſt Sacramentaliter m ducare, dicendum eſt: Crede, & manducaſti.* R tio eſt; quia præceptum recipiendi Viatici ur re non cenſetur, niſi dum abſque irreverentia p teſt accipi. Ideo ſicut Sacerdoti non jejuno, veſtibus ſacris non induto, conſecrare illicit eſt ut infirmo Viaticum miniſtret; ita nec lic propter eamdem rationem Subdiacono, aut Lai Euchariſtiam adminiſtrare.

Quær. 3. Utrum Sacerdos & Diaconus ſibim laicam Communionem poſſit impertiri?

℟. Id in neceſſitate licitum eſſe Diacon abſente Presbytero: ut patet ex Concil. Nica I. can. 18. quanto magis ipſimet Presbytero? I xi *in neceſſitate*, non autem ex devotione, cu id praxi Eccleſiæ omnino ſit contrarium. Hinc

Adverte, omnes Clericos Diacono inferiore immo & Laicos, ſibi ipſis & aliis cum Pontifi diſpenſatione Euchariſtiam adminiſtrare poſſe; q Laicis & Subdiaconis Euchariſtiam attingere, r jure divino, ſed tantum Eccleſiaſtico prohibiti eſt, de quo jure olim diſpenſabat Eccleſia; fertur Pium V. diſpenſaſſe Mariam Stuartam S torum Reginam, quæ ſe ipſam ſacra munivit E chariſtia, priuſquam capite plecteretur.

Quær.

Quær. 3. Utrum cuilibet Sacerdoti liceat Euchariſtiam adminiſtrare?

℟. Jure communi non licet, niſi his qui juriſdictione gaudent, vel ordinaria, vel delegata. Ratio eſt, quia Paſtoris eſt gregem ſuum paſcere, cujus præcipuum munus eſt panem cœleſtem ovibus ſuis adminiſtrare. Hinc mortaliter peccat, qui ſibi non ſubditis Euchariſtiam adminiſtrat, niſi ex licentia ſaltem præſumpta Paſtoris proprii, quia jus alienum in materia gravi uſurpat. Imo Religioſus ſæcularibus, Clericis, aut Laicis, abſque hac facultate Euchariſtiam miniſtrare præſumens, excommunicationem Papæ reſervatam incurrit, ut patet ex Bulla Clementina I. quæ incipit *Religioſi*. Ubi tamen obſervandum eſt, Religioſos Mendicantes poſſe ex privilegio Sedis Apoſtolicæ in ſuis Eccleſiis ſæcularibus Euchariſtiam quovis anni tempore miniſtrare, excepto mortis articulo niſi forſan urgeret neceſſitas; & excepto die Paſchatis, id eſt Paſchali communione; quod privilegium extenditur ad Sacerdotes ſæculares in Eccleſiis Mendicantium de Sacriſtæ licentia celebrantes. Utrum autem id poſſint Mendicantes in alienis Eccleſiis, dubia eſt etiam inter ipſos quæſtio; quæ parum ad praxim confert; quia dum concedit Paſtor alicui Presbytero ut in Eccleſia ſua celebret, cenſetur, niſi contradicat, Euchariſtiæ diſpenſationem ſaltem extra Paſchalem concedere.

Quær. 5. Quoties Parochus ſubditis ſuis Euchariſtiam teneatur adminiſtrare?

℟. Ad id teneri ſub mortali per ſe vel per alium, non ſolum in gravi neceſſitate, ſed etiam quoties illam rationabiliter poſtulant; quia ex officio, proindeque ex juſtitia, tenetur ovibus ſuis impertiri: non ſolum paſcua abſolute neceſſaria, ſed ad ſalutem utilia, & opportuna. Unde Paſtor mortaliter peccaret, qui ex negligentia Parochiano ſuo Communionem, ex devotione petenti de-

negaret, quia gravis esset materia ob grandem S
cramenti utilitatem. Aliud dicendum est de S
cerdotibus simplicibus, qui solum tenentur si
mortali ex charitatis præcepto in necessitate E
chariſtiam postulantibus administrare.

Quær. 6. Quo ritu servanda sit atque admi
stranda Eucharistia?

℟. Sequentia breviter hic sunt notanda. 1. A
servari non debet sub mortali in Sacristia aut
Choro ab Ecclesia distincto, aut in Nobilium S
cellis; sed in sola Ecclesia absque dispensatio
legitima. 2. In argenteo Ciborio, & Tabernac
lo nitido. 3. Ante SS. Sacramentum jugiter l
men ardere debet; ita ut communiter censea
Theologi graviter peccari, si integro die, a
duabus integris noctibus ex culpabili negligentia
longe gravius si ex sordida avaritia, lumen cora
Sanctissimo deficiat. 4. Non potest Sacerdos ab
que peccato saltem veniali partem Hostiæ suæ po
rigere communicare volenti, extra casum neces
tatis, præcepti scilicet communicandi, & pericu
mortis; quia nullus Sacerdos potest pro libitu si
a ritu ab Ecclesia communiter observato, rec
dere. 5. Eucharistiam sanis administrare non l
cet, & quidem sub mortali, nisi in Templo, a
Sacello: quia gravis videtur tanto Sacramento i
lata irreverentia, contra præceptum Ecclesiæ, ab
que necessitate in locum profanum illud asport
re. 6. Ubilibet licitum est infirmis Eucharistia
administrare, sed gravissima est irreverentia, gr
veque peccatum, citra casum urgentis necessit
tis illam secreto absque solemnitate infirmis a
portare.

QUÆ-

## QUÆSTIO VI.

### *Quodnam ſit ſubjectum capax Euchariſtiæ ſuſcipiendæ.*

*Not.* 1. QUadruplici modo Euchariſtiam ſuſcipi poſſe. 1. Materialiter tantum, qualis eſſet ſumptio Euchariſtiæ a bellua vel homine neſciente, aut non cogitante ipſam eſſe Sacramentum. 2. Sacramentaliter tantum, prout eam ſumunt, qui in peccato mortali verſantur, quique Sacramentum quidem, non vero rem ſeu effectum Sacramenti ſuſcipiunt. 3. Spiritualiter tantum, & ſic eam ſuſcipiunt, qui fide viva, quæ per dilectionem operatur, eam realiter ſuſcipere deſiderantes, fructum ejus aliqualiter percipiunt. 4. Tandem ſacramentaliter, & ſpiritualiter ſimul, eſtque realis Corporis, & Sanguinis participatio in ſtatu gratiæ, per quam Sacramentum ſimul, & rem Sacramenti juſti percipiunt.

*Not.* 2. Hic inquiritur quibus adminiſtranda ſit Euchariſtia, & quænam ſint diſpoſitiones requiſitæ, tum ex parte animæ, tum ex parte corporis ad eam ſacramentaliter ſimul & ſpiritualiter ſuſcipiendam.

Dico I. Soli homini baptizato & rationis compoti Euchariſtia eſt adminiſtranda.

*Prob.* Euchariſtia non eſt adminiſtranda, niſi his qui ſacramentaliter, aut ſpiritualiter ſimul eam ſuſcipere poſſunt. Atqui ſoli baptizati & rationis compotes eam ſic ſuſcipere poſſunt. Ergo &c. Prob. major, quia Euchariſtia non eſt adminiſtranda, niſi propter finem propter quem primario inſtituta eſt: non eſt autem ſic inſtituta, niſi ut gratiæ augmentum conferat, in quo conſiſtit ſpiritualis receptio. Minor patet, cum gratia augeri non poſſit in eo, qui primam non habet per

Baptiſmum, aut cujus voluntas ad hoc augmen tum concurrere minime poteſt. Hinc

*Reſolv.* 1. Euchariſtiam non eſſe adminiſtran dam pueris rationis uſu carentibus, nec perpetu totaliter amentibus, quia in illis nec adeſt, ne unquam fuit fides ac devotio actualis, quibu poſſint augmentum gratiæ percipere. Nec obſta quorumdam Populorum conſuetudo, quam Tric ſeſſ. 21. cap. 4. rationabilem dicit, qui pueris a perpetuo amentibus Euchariſtiam adminiſtrabant Nam Concilium non ideo dicit hanc conſuetud nem rationabilem, quia gratiæ augmentum hin pueri & amentes ſuſcipiebant, ſed quia hi popu li pueros & amentes quodammodo hac etiam ma teriali Communione ſanctificari ac conſecrari po ſe, pie ac rationabiliter credebant. Sed cum i minime ſit neceſſarium, juſtiſſimas ob cauſas pro hibuit Eccleſia.

*Reſolv.* 3. Denegandam non eſſe Communionem ſemifatuis, qui aliquem, licet levem, rationi uſum habent; longe minus his, qui lucida habet intervalla, cum ſufficientem erga Corpus Domi devotionem concipere poſſint. Immo Conc. Car thag. IV. c. 76. ſtatuit, ut Euchariſtia admin ſtretur in mortis periculo etiam his, qui tunc ca rent uſu rationis; modo tamen dum ſui erant com potes, in his apparuerit hujus Sacramenti ſuſci piendi deſiderium, qui virtualiter perſeverare cen ſeatur, nec ullum vel vomitus, vel alterius inde centiæ adſit periculum. Sed cum vix ipſum ab eſſe non poſſit, ideo ordinarie his ac ſimilibu hoc Sacramentum conferri non expedit.

Dico II. Duæ requiruntur corporis diſpoſitio nes ad Euchariſtiam digne ſuſcipiendam. 1. Na turale jejunium. 2. Puritas ſeu immunitas a po lutione, etiam inculpabili, aut retractata. Pric ex præcepto neceſſaria eſt: poſterior vero ſolum modo ex decentia.

*Prob.*

*Prob.* 1. pars ex continua Eccleſiæ praxi & traditione quam teſtatur Aug. Ep. 118. ad Januar. *Placuit*, inquit, *Spiritui Sancto in honorem tanti Myſterii ut in os Chriſtiani prius Dominicum corpus intraret, quam ceteri cibi. Nam ideo per univerſum orbem mos iſte ſervatur.* Confirmatur ex diverſis Conc. decretis, teſtante Conc. Conſt. ſeſſ. 13. *Sacrorum Canonum auctoritas*, inquit, *& approbata Eccleſiæ conſuetudo ſervavit & ſervat, quod hujuſmodi Sacramentum, nec poſt Cœnam conficiatur, nec ſumatur a non jejunis.*

Quær. 4. In quo conſiſtat jejunium ad Communionem Eccleſiæ præcepto prærequiſitum?

℟. Conſiſtit in hoc, quod a media nocte, nempe a pulſato primo ictu duodecimæ nocturnæ, nihil omnino, quantumvis parvum, trajectum ſit in ſtomachum per modum cibi & potus, ſive nutritivus ſit, ſive medicinalis, idque ſub gravi peccato. Quod probatur ex univerſali uſu Eccleſiæ & Fidelium communi conſenſu, & confirmatur ex Conc. Tolet. VII. & Innoc. III. C. ex part. de Celebr. Miſſ. ubi prohibetur Sacerdoti ne tres Miſſas in die Natalis Domini celebret, ſi in prima vel ſecunda ablutionem ſumpſerit. Gravitas autem peccati hujus non deſumitur ex materia, ſicut in plurimis aliis peccatis, cum vel leviſſima ad peccatum mortale ſufficiat; ſed ex gravitate inhibitionis Eccleſiæ, quæ, propter reverentiam tanto Sacramento debitam, id ſemper graviter inhibuit. Hinc

*Reſolv.* 1. Qui ſaccarum, glycyrriſam, aut quid ſimile ſenſim in ore liquefiens deglutit, jejunium frangit. Idem dicendum videtur de eo, qui tabacum maſticat; quia ſuccus tabaci, quem ſimul cum ſaliva ſæpius deglutire neceſſe eſt, perinde ſe habet ac ſuccus glycyrriſæ, aut ſaccari, cujus deglutitio indubie naturale jejunium frangit.

*Reſolv.* 2. Qui os lavando, ſtillam aquæ aut

ciborum reliquias in ore remanentes præter intentionem deglutit, jejunium naturale non ſolvit. Item nec qui tantiſper juſculi guſtat, & ſtatim expuit, licet forſan aliquid ſalivæ permixtum, præter intentionem, defluat. Item nec qui reſpirando beſtiolam eaſu hauriret; item nec qui aliquid ſanguinis, aut alterius humoris e capite vel gengiva defluentis ſimul cum ſaliva deglutiret (ſecus vero ſi ex vulnere digiti ſanguinem ſugeret.) Ratio omnium horum eſt, quia hæc non tranſglutiuntur per modum cibi & potus, ſed per modum ſalivæ aut reſpirationis.

*Reſolv.* 3. Qui lignum, terram, papyrum, argentum & aurum, aut alia metalla deglutiret, jejunium Euchariſticum non ſolveret, quia hæc per modum cibi & potus non ſumuntur, nec ſunt naturaliter per ſtomachum digeſtibilia.

Quær. 2. An, & quando liceat non jejunis communicari?

R. Sex recenſentur caſus, ubi non jejunus, nedum poteſt, ſed & communicari debet. 1. Moribundus ægrotus, aut quilibet alius qui in proximo verſatur mortis periculo. 2. Si adſit periculum ne Hoſtia pereat, comburatur, aut indigne tractetur ab Infidelibus. 3. Si poſt conſecrationem advertat Sacerdos ſe non eſſe jejunum. 4. Si poſt conſecrationem unius ſpeciei, Sacerdos tunc celebrans impotens evadat ulterius proſequendi, tunc non jejunus Sacerdos, jejunio deficiente, debet abſolvere Sacrificium. 5. Si Sacerdos poſt ſumptionem Corporis, ſumpſerit aquam, quæ Calici vini loco ante conſecrationem fuerat immiſſa, quia tunc tenetur Sacrificium perficere eo modo quo præſcribunt Rubricæ. 6. Si poſt ſumptam ablutionem reperiat Hoſtiæ a ſe conſecratæ particulas, poteſt & debet eas ſumere, quia ad ejusdem Sacrificii complementum ſpectat, niſi forte ab Altari receſſerit, tunc enim jam completa eſt actio Sacrificii.

His

His ſex caſibus nonnulli ſeptimum adjiciunt, neceſſitas videlicet Viaticum moribundo adminiſtrandi; ſed perperam illum adjiciunt, contra torrentem Doctorum communem, atque perpetuam Eccleſiæ praxim. Ratio eſt, quia Eccleſia numquam in hoc caſu id facere permiſit, licet alios caſus ſtudioſe expreſſerit. Ideo concludendum eſt, nec ægrotum tunc Euchariſtiam ſumere, nec Sacerdotem illam adminiſtrare teneri, & præceptum divinum tunc ceſſare juxta Chriſti Domini intentionem nobis ab Eccleſia, a Spiritu Sancto edocta, propoſitam ac manifeſtatam.

*Prob.* 2. pars, nempe quod ex decentia ſolummodo puritas corporis requiratur ad Euchariſtiam ſuſcipiendam. Indecentia patet, tum propter huhujus actus naturalem fæditatem, tum propter tepiditatem & diſtractionem ipſi ſæpius annexam. Ideo congruum eſt, ut a Sacramento abſtineant, qui nocte præcedenti actui conjugali dederunt operam, aut illuſionem nocturnam paſſi ſunt; niſi forte alia obſit ratio, infamiæ periculum, Feſti ſolemnis celebratio, Jubilæi, Indulgentiæ conſecutio, Miſſam celebrandi ex juſtitia aut obedientia obligatio.

Quod autem hæc diſpoſitio abſolute non ſit neceſſaria, patet ex communi Doctorum ſententia, & Fidelium, etiam timoratorum, ſenſu, & ratio eſt, quia, non obſtantibus his infirmitatibus, poteſt Fidelis devote ac reverenter ad Sacramentum accedere, dum nempe per ſufficientem pœnitentiam culpas ſuas diluit, & mentis evagationem carnaleſque pruritus præviis operibus & orationibus cohibere ſtudet. Nec obſtant concluſioni nonnulli Patres dicentes pollutionem fructu Euchariſtiæ privare, & poſt ipſam communicare non licere. Loquuntur ſiquidem de fructu uberiori, non de omni fructu, nec dicunt eſſe illicitum tunc com-

municare ex neceſſitate præcepti, ſed ex ſola indecentia. Hinc

*Reſolv.* Non lepram, nec fluxum ſanguinis, nec menſtrua aut ſimilia a ſacro convivio, etiam ex indecentia, retardare debere, quia hæc vere corpus non polluunt, nec tepiditatem aut diſtractionem ingerunt.

Dico III. Conſcius peccati mortalis tenetur, ex gravi præcepto Divino & Eccleſiaſtico, Confeſſionem Sacramentalem præmittere, priuſquam ad ſacram menſam accedat. Et ſi urgente neceſſitate Sacerdos abſque prævia Confeſſione ob Confeſſarii inopiam celebraverit, tenetur ex gravi præcepto Eccleſiaſtico quamprimum confiteri, etiamſi amplius non eſſet celebraturus.

*Prob.* 1. pars ex Apoſt. 1. Cor. 11. *Probet autem ſeipſum homo, & ſic de pane illo edat, & de calice bibat*, &c. Et *eam probationem*, inquit Trid. ſeſſ. 13. cap. 7. *Eccleſiaſtica conſuetudo declarat neceſſariam eſſe, ut nullus ſibi conſcius peccati mortalis, quantumvis ſibi contritus videatur, abſque præmiſſa Sacramentali confeſſione ad S. Euchariſtiam accedere debeat.* Ratio eſt, quia ex præcepto Domini, quod Apoſtolus *accepit a Domino & tradidit nobis*, unuſquiſque eam probationem adhibere tenetur, quantum moraliter poteſt, propter reverentiam tanto Sacramento debitam, & judicium terribile, quod manducaret & biberet, ſi indigne ad ipſum accederet: Sed qui Sacramentalem confeſſionem cum moraliter poſſit, prætermitteret, eam probationem, quantum moraliter poteſt, non adhiberet. Ergo ex Apoſtolo eam tenetur adhibere.

*Prob.* 2. pars ex eodem Trid. citat. *Si urgente*, inquit, *neceſſitate Sacerdos abſque prævia Confeſſione celebraverit, quamprimum confiteatur.* Et confirmatur ex Decreto Alex. VII. qui ſequentes

dam-

damnavit propoſitiones: *Mandatum Tridentini factum Sacerdoti ſacrificanti ex neceſſitate cum peccato mortali, confitendi quamprimum, eſt conſilium; non præceptum. Illa particula* quamprimum *intelligitur, cum Sacerdos ſuo tempore confitebitur.* Ubi obiter obſervandum eſt, hoc præceptum attingere tantummodo Sacerdotes, non alios in peccato mortali communicantes, cum de his ſolis loquatur Concilium, nec leges obligent niſi in quantum ſonant.

Quær. 1. Quæ neceſſitas excuſare poſſit a Confeſſione ſacramentali præmittenda?

R. Eam gravem & urgentem eſſe debere. Hæc cenſetur 1. Si quis in mortis periculo copiam Confeſſarii non habeat; is præmiſſa contritione, abſque confeſſione, communicare poterit. 2. Si Sacerdos in ſupradicto caſu teneatur celebrare, vel ut moribuudo Viaticum adminiſtret, vel ut populus ſibi ſubditus die Feſto aut Dominica Miſſam audiat, vel ut exequias corpore jam præſente faciat, vel ut Matrimonium jam adventantibus nubentibus benedicat. 3. Si quis communionem aut celebrationem prætermittere non poſſet abſque gravi ſcandalo vero ac proprie dicto: ut ſi communicaturus ex hac omiſſione videret ſibi, vel Confeſſario, vel alteri grave damnum animæ, vitæ, vel famæ imminere: ut docet D. Th. 4. diſt. 18. q. 3.

Dixi 1. *Scandalo gravi, vero, ac proprie dicto*, non admiratione ſimplici, quæ cum non ſit culpabilis, non eſt verum ac proprie dictum ſcandalum. Dixi 2. *grave damnum famæ*; quia non ſufficit quædam mala ſuſpicio, aut levis infamia, ſed gravis omnino neceſſaria eſt. Nam *peccator debet potius eligere*, inquit Innoc. III. lib. 4. de Myſt. Miſſ. c. 13. *ut abſtinendo reddatur ſuſpectus quam communicando manducet indignus*. Et *peju, eſt*, inquit D. Thom. 3. p. qu. 80. ar. 6. *peccatori*

*tori occulto peccare mortaliter, ſumendo Corpus Chriſti, quam infamari: & peccator occultus potius debet eligere infamari, quam indigne ad menſam Domini accedere*: intellige leviter, alias S. D. ſibimet contradiceret. Hinc

*Reſolv.* 2. A ſacrilegio non excuſari Clericos, Monachos, aut Moniales, qui abſque prævia Confeſſione communicant iis diebus, quibus ſecundum ſtatuta Ordinis, aut Seminarii indicta eſt Communio, ſub prætextu admirationis ingerendæ, aut propter periculum malæ ſuſpicionis, aut alicujus infamiæ, cum hæc gravis eſſe non poſſit, nec deſint media ad aliam prætextandam indiſpoſitionem.

*Reſolv.* 2. Quod ſi ſupraddicti aut alii aliqua detineantur prava conſuetudine propter quam abſolutionis ſint incapaces, gravis etiam infamia a ſacrilegio eos non excuſat, ſi ad ſacram menſam non abſoluti accedere præſumant, quia penes ipſos eſt, opitulante gratia, ut hanc emendent conſuetudinem.

*Reſolv.* 3. Si deſit Laico copia Confeſſarii ultima die quindenæ Paſchalis, potius ſibi a ſacra Communione abſtinendum eſt, quam ad eam accedere abſque confeſſione lethalis peccati, quia ab obſervatione Eccleſiaſtici præcepti excuſat impotentia, quæ cenſetur eſſe, dum aliunde urget divinum præceptum abſque confeſſione non communicandi.

Quær. 2. Quandonam cenſeatur non adeſſe copia Confeſſarii?

R. Quando vel nullus omnino adeſt, qui Pœnitentem abſolvendi juriſdictionem habeat, vel quando adiri non poteſt abſque gravi incommodo, ſpecialis perſonæ, temporis, itineris, periculi infamiæ, ſcandali, &c. circumſtantiis. Hinc

*Reſolv.* Confeſſarium abeſſe non cenſeri, quia abeſt ordinarius, vel alius, cui cum majori devotione Pœnitens confiteretur, vel quia Pœnitens

in

in præſentem fiduciam non habet, aut ipſum puderet ſcelera ſua ei revelare.

Quær. 3. An ſolus ſtatus gratiæ ſufficiat ad debite ac fructuoſe Euchariſtiam ſuſcipiendam?

℞. in hoc variant SS. Patres. D. Baſil. lib. 1. de Bapt. cap. 3. vehementer inſurgit contra eos, *qui in carnis & ſpiritus inquinamento ad ſancta accedunt indigne*: ſed & in eos, qui memoriam ejus, qui pro nobis mortuus & exercitatus eſt, non debite recolentes, *otioſe & inutiliter edunt ac bibunt*. D. Bonav. in 4. diſt. 12. par. 2. artic. 1. quæſt. 1. dicit, quod ſi quis, *ex quodam torpore vel ex diſtractione, non ſe debito præparet, aut nullam aut modicam reportat* e communione *efficaciam, quamvis non incurrat mortalem offenſam*. Et D. Th. in 4. diſtinctione 12. quæſt. 2. art. 1. quæſtiunc. 3. ait: *Ad hoc ut* Euchariſtia *effectum ſuum plene habeat in ſuſcipiente, oportet quod ſit actualis devotio, & quia abſque mortali peccato interdum actualis devotio impediri poteſt, cum diſtractiones variæ ipſam impediant, & peccata venialia virtutum actum tollant, abſque peccato mortali poteſt effectus hujus Sacramenti impediri, ita quod aliquis augmentum gratiæ non conſequatur, nec reatum peccati mortalis incurrat; ſed forte venialis peccati, ex eo quod imparatus accedit*. Sed cum de Fide ſit, teporem, indevotionem, & quodlibet veniale peccatum cum habitu charitatis non pugnare, & aliunde Trid. definierit ſeſſ. 13. c. 7. & 8. eum qui nullius ſibi conſcius eſt peccati mortalis, paratum eſſe, quantum neceſſe eſt, ut S. Euchariſtiam digne percipiat, illoſque ſacramentaliter ſimul & ſpiritualiter ipſam ſumere, qui ita ſe prius probant & inſtruunt, ut veſtem nuptialem induti, id eſt gratia habituali prædiți, ad divinam hanc menſam accedant; unde

Dicendum eſt 1. cum D. Thom. ſe ſe ipſum exponente 3. parte quæſt. 79. articulo 8. quod, qui

absque præparatione & devotione, & *cum actu venialis peccati accedit ad hoc Sacramentum, habitualiter quidem manducat spiritualiter, sed non actualiter, & ideo habitualem effectum hujus Sacramenti percipit*, id est augmentum gratiæ habitualis, *non autem actualem*, id est, *actualem refectionem spiritualis dulcedinis*. 2. Augmentum istud gratiæ habitualis ita esse tenue, ut nullum aut quasi nullum dici possit, & sic exponuntur SS. Patres dicentes actualem devotionem omnino necessariam esse, ut quis fructuose Eucharistiam suscipiat. 3. Communionem absque legitima præparatione & actuali devotione factam periculosam esse, cum metus sit ne tepidus ex ore Christi evomatur, & qui non adhibita sufficienti probatione & præparatione a peccato mortali immunem se esse præsumit, secreto ipsius vere conscius sit. Hinc

*Resolv.* 1. Quam merito damnatæ sint sequentes propositiones ab Alexand. VIII. *Sacrilegi sunt judicandi, qui jus ad Communionem prætendunt, antequam condignam de delictis suis pœnitentiam egerint. Arcendi sunt a S. Communione, quibus nondum ineſt amor Dei purissimus, & omnis mixtionis expers*. Sed

*Resolv.* 2. Congruenter ac laudabiliter, secundum quid necessario sacra differtur Communio, 1. His, qui in pravis consuetudinibus sunt implicati. 2. His, qui licet ex consuetudine non peccaverint, in enormia, maxime carnis, nuperrime prolapsi sunt. 3. Etiam & quandoque tepidis, qui sæpius ad sacram Synaxim accedentes de peccatis venialibus habitualibus sese emendare non satagunt, donec pietatis operibus dignum Christo habitaculum sufficienter paraverint; modo tamen aliunde non urgeat communicandi præceptum aut necessitas.

QUÆ-

## QUÆSTIO VII.

*Quid de uſu Euchariſtiæ ſit dicendum.*

*Not.* AD hanc quæſtionem ſpectant, 1. An uſus Euchariſtiæ neceſſarius ſit neceſſitate medii, vel præcepti, quos & quando hoc præceptum obliget. 2. An præcepta ſit Communio ſub utraque ſpecie. 3. An frequens debeat eſſe Communio, ad quæ breviter elucidanda,

Dico I. Sumptio Euchariſtiæ neceſſaria quidem non eſt neceſſitate medii, ſed præcepti divini, omnes omnino homines, etiam Infideles obligantis, 1. Dum plenum atque perfectum rationis uſum ſunt adepti. 2. In mortis articulo. 3. Aliquoties in vita.

*Prob.* 1. pars. Illud non eſt neceſſarium neceſſitate medii, ſine quo ſalus obtineri poteſt. Atqui pueri & adulti abſque ſumptione Euchariſtiæ ſalutem obtinere poſſunt. Ergo. Primum probatur ex Eccleſiæ perpetua traditione, quovis ſæculo credentis Infantes poſt Baptiſmum, abſque Euchariſtia decedentes, ſalutem indubie conſequi, quod Trid. confirmat ſeſſ. 21. can. 4. Probatur item ex eadem traditione adultos ſalutem poſſe obtinere abſque Euchariſtia, ſi paulo ante finem vitæ baptizentur, vel confiteantur.

*Prob.* 2. pars. Ex ſæpius cit. loco Jo: 6. *Niſi manducaveritis carnem Filii hominis, & biberitis ejus ſanguinem, non habebitis vitam in vobis.* Qui præceptum ſaltem Divinum exprimit. Item ex iſto Luc. 22. *Hoc facite in meam commemorationem.* Qui enim præcepit ut Euchariſtia diſtribueretur, eo ipſo præcepit ut ſumeretur. Unde *manifeſtum eſt*, inquit D. Th. q. 80. art. 11. *quod homo tenetur hoc Sacramentum ſumere, non ſolum ex ſtatuto Eccleſiæ, ſed ex mandato Domini dicentis: Hoc facite in meam commemorationem.*

Prob.

*Prob.* 3. pars. Quia Chriſtus Dominus omnibus univerſaliter, etiam Capharnaitis infidelibus, hoc præceptum impoſuit, cum hujus omnes ſint capaces, ſi non immediate & per ſe, ſaltem mediate per Baptiſmum, quem omnes ſuſcipere poſſunt ac debent. Dixi in concluſione, *Dum plenum atque perfectum rationis uſum ſunt adepti*: tunc enim ſolummodo devote, ac fructuoſe hoc Sacramentum ſuſcipere poſſunt, nec enim convenit ipſum puerilibus ludis exponere.

*Prob.* 4. pars. Quia in mortis periculo, etiam jure divino, quilibet de omnibus mediis ad pugnandum contra hoſtium ſpiritualium tentationes atque inſidias neceſſariis ſibi providere tenetur.

*Prob.* 5. pars. Quia minime veriſimile videtur Chriſtum Dominum ſolummodo præcepiſſe, ut Sacramentum adeo ad vitam ſpiritualem ſuſtentandam neceſſarium, ſemel aut iterum in totius vitæ decurſu ſuſcipiatur. Huc accedit, quod juxta omnes Theologos, tamquam indubitatum conſtet, præcepta affirmativa, prout ſunt præcepta Fidei, Spei, & Charitatis, indefinitive lata, ſæpius in vita obligare.

Dico II. Eccleſiaſticum extat præceptum omnibus Fidelibus adultis, perfecto rationis uſu gaudentibus, ad ſacram Synaxim accedendi, ſemel in anno tempore Paſchatis, idque in propria Parochia, cui præcepto, ſicut nec divino, non ſatisfit per Communionem ſacrilegam.

*Prob.* Ex Decreto Conc. Later. ſub Innoc. III. ubi hoc præceptum indicitur, ſub pœna privationis ingreſſus Eccleſiæ pro vivis, & ſepultura eccleſiaſtica pro defunctis, quæ tamen lata non eſt, ſed ferendæ tantummodo ſententiæ. *Niſi forte quis*, inquit Concil. *de proprii Sacerdotis aut Confeſſarii legitimi*, qui proprii Sacerdotis in Confeſſione vices gerit, *conſilio ob rationabilem cauſam, ad tempus ab ejus perceptione duxerit abſtinen-*

*nendum*. Hoc autem Decretum adducit, & confirmat Concil. Trid. ſeſſ. 13. can. 9.

Dixi 1. *Adultis, perfecto rationis uſu gaudentibus*; ob rationem ſuperius allatam, juxta praxim Eccleſiæ, quæ pueros ad ſacram non admittit Communionem, ante octavum aut nonum circiter annum. In quo tamen tum ipſimet pueri, tum eorum parentes aut Parochi mortaliter peccare poſſent, de anno in annum primam Communionem puerorum, qui jam dudum uſum rationis perfectum adepti ſunt, ex negligentia differentes: Item & qui iiſdem pueris Euchariſtiam in articulo mortis non procurant, ſub prætextu quod primam Communionem nondum fecerint.

Dixi 2. *Semel in anno tempore Paſchatis*. Quæ verba duplex præceptum exprimunt, adeo ut qui per totius anni curriculum non communicaret, duplex peccatum committeret, & qui paulo ante tempus Paſchale communicaret, unum peccatum committeret: licet utrique præcepto ſatisfaceret, qui ſemel in anno, & tempore Paſchatis communicaret, quia duo ſimul per modum unius ſunt præcepta, nempe quod Communio ultra annum non differatur, & fiat in Paſchate. Hinc

*Reſolv.* 1. Qui per totum anni ſpatium non communicavit, tenetur quamprimum poſt communicare, & quoties advertenter & voluntarie differt, toties peccatum mortale committitit, quia terminus anni non præfigitur ut finiat, ſed ut ſollicitet Communionis obligationem.

*Reſolv.* 2. Qui jam per anni ſpatium, Communione ſuſcepta, tempore Paſchali communicare prætermiſit, non tenetur quamprimum communicare, quia Paſchalis Communio tempori affixa eſt, ſicut præceptum Miſſam audiendi.

*Reſolv.* 3. Qui prævidet impedimentum communicandi per reſiduum anni ſpatium, Communionem prævenire tenetur, non autem, qui

jam

jam in anno facta Communione, prævideret impedimentum Paſchalis Communionis, ob ſupradictas rationes. Attamen qui initio temporis Paſchalis Communionis prævideret impedimentum, teneretur illam prævenire non abſimili modo, ac qui prævidens impedimentum Miſſam audiendi hora undecima, teneretur eam audire hora ſexta.

*Reſolv.* 4. Qui ad communicandum ſemel in anno prævenit tempus Paſchale, propter prævisum impedimentum, ſi adveniente tempore Paſchali ceſſet impedimentum, tenetur tunc iterum communicare; quia, ut dictum eſt, duplex extat præceptum.

Dixi 3. *In propria Parochia.* Quia adminiſtratio Communionis, maxime Paſchalis, eſt actus juriſdictionis; qui proinde fieri non debet niſi a Paſtore proprio, & in caula ejus, ſine ejus facultate aut licentia. Excipiuntur tamen ab hac lege Sacerdotes ſæculares, qui ubicumque celebraverint, huic præcepto ſatisfaciunt: necnon Religioſi, ſive Clerici, ſive Laici; immo & eorum famuli & eorum convictores, in eorum Monaſteriis habitualiter commorantes; idque ex ſummorum Pontificum privilegiis, quibus pacifice ac nullo reluctante gaudent.

Dixi 4. *Cui præcepto non ſatisfit per Communionem ſacrilegam.* Juxta Innoc. XI. definitionem in damnatione hujus propoſitionis: *Præcepto Communionis annuæ ſatisfit per ſacrilegam Dominæ manducationem.* Et ratio eſt, quod Chriſtus Dominus & Eccleſia præceperint ſumptionem Euchariſtiæ tamquam cibum animæ: qui autem eam ſacrilege ſuſcepit, ipſa non ſibi poteſt eſſe cibus animæ, ſed potius venenum inſanabile. Adde quod uterque devotam, non qualemcumque, Communionem præceperit.

Dico III. Jure divino non eſt præcepta Communio

munio ſub utraque ſpecie ; & Eccleſia juſtis de cauſis a Laicis & Clericis, actu non conficientibus Sacramentum, uſum Calicis abſtulit, ac ſubtrahere potuit.

*Prob.* 1. pars. 1. Auctoritate Conciliorum hanc veritatem tamquam de fide definientium. Conſtant. contra Joann. Hus, Baſil. contra Bohemos, Trid. contra Luther. & Calviniſtas.

*Prob.* 2. Ex Scriptura Joan. 6. ubi manducantibus carnem Chriſti ſub ſpecie panis vita æterna promittitur : *Si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in æternum : & Panis quem ego dabo, caro mea eſt pro mundi vita : & qui manducat hunc panem, vivet in æternum.* Confirmatur ex Apoſt. 1. Cor. 11. *Quicumque*, inquit, *manducaverit vel biberit Calicem Domini indigne, reus erit Corporis, & Sanguinis Domini.* Ex quo patet alterutrum ſeparatim digne ſicut indigne, ſumi poſſe, cum propoſitio *vel* ſit disjunctiva.

*Prob.* 1. Priorum ſæculorum traditione, qua convincitur primo Fideles non ſemper ſub utraque ſpecie communicaſſe. Id conſtat 1. Act. 11. ubi legitur : *Fideles perſeverare in doctrina Apoſtolorum & communione fractionis panis, & orationibus.* 2. Ex conſuetudine in prioribus ſæculis obſervata aſſervandi Euchariſtiam, eamque infirmis deferendi ſub ſola panis ſpecie, ut teſtatur Euſeb. lib. 6. Hiſt. 3. Ex facultate Fidelibus tempore perſecutionis conceſſa, ſub unica ſpecie panis Euchariſtiam domum deferendi, ut teſtantur Tertull. lib. 2. ad uxor. & Cypr. lib. de lapſis. 4. Ex Decretis Leonis Magni & Gelaſii præcipientium utramque ſpeciem ſumi, ut Manichæi vinum, tamquam a principio malo creatum, deteſtantes, detegerentur : ex quibus Decretis patet prius Fidelibus liberum fuiſſe ſub una tantum ſpecie communicare.

*Prob.* 2. pars. Ex indubitato principio a Patribus

bus universis, & Trid. Conc. tradito sess. 21. c. 11. *Potestatem in Ecclesia perpetuo fuisse, ut in Sacramentorum dispensatione, salva illorum substantia, ea statueret vel mutaret, quæ suscipientium utilitati, seu ipsorum Sacramentorum veneration, pro rerum, temporum & locorum varietate, magis expedire judicaret.* Hanc potestatem in Ecclesia agnoscere tenentur Calviniſtæ; qui in suis Synodis abſtemiis facultatem faciunt, ut ſummis tantum labris Calicem attingant. Ex quo velint nolint tenentur fateri, Calicis ſumptionem ad Sacramenti ſubſtantiam non ſpectare.

Rationes autem, quibus Eccleſia adducta eſt ut Calicis uſum Fidelibus ſubtraheret, prima eſt irreverentiæ periculum, ne in magna populi multitudine Sanguis Chriſti Domini effuſioni exponeretur. 2. Ut facilius Sacramentum pro infirmis aſſervaretur, ſpecies ſiquidem vini aſſervata brevi tempore poſſet acesſcere. 3. Ut etiam abſtemii facile communicare poſſint. 4. Ut neceſſitati regionum ubi vini ſumma penuria eſt, provideretur. 5. Ut damnaretur hæreſis docentium totum Chriſtum non eſſe ſub utraque ſpecie.

Dico IV. Licet de ſe longe melius ſit frequentius communicare, quam rarius; regulæ tamen nonnullæ ſunt ſtatuendæ, juxta cujuslibet diſpoſitionem, ut frequens Communio digna ſit & fructuoſa.

*Prob.* 1. pars, Ex infinitis propemodum SS. Patrum teſtimoniis, frequentem, immo & quotidianam Communionem extollentium, & docentium, cum S. Baſilio Epiſt. ad Cæſar. Patric. *Singulis certe diebus communicare bonum eſſe ac fructuoſum.* Ideo *Optaret Synodus* (Trid. ſeſſ. 22. cap. 6.) *ut ſingulis Miſſis Fideles adſtantes non ſolum ſpirituali affectu, ſed ſacramentali etiam Euchariſtiæ perceptione, communicarent: quo ad eos ſanctiſſimi hujus Sacrificii fructus uberior perveniret.*

*Prob.*

*Prob.* 2. pars. Ex D. Thom. 3. p. q. 8. art. 10. *Circa uſum hujus Sacramenti, duo poſſunt conſiderari. Unum quidem ex parte ipſius Sacramenti, cujus virtus eſt hominibus ſalutaris, & ideo utile eſt quotidie ipſum ſumere . . . . Alio modo poteſt conſiderari ex parte ſumentis, in quo requiritur ut magna cum devotione & reverentia ad hoc Sacramentum accedat: & ideo ſi aliquis ſe quotidie ad hoc paratum inveniat, laudabile eſt quotidie ſumat . . . Sed quia multoties in pluribus hominum multa impedimenta hujus devotionis occurrunt, propter indiſpoſitionem vel animæ, vel corporis, non eſt utile omnibus quotidie ad hoc Sacramentum accedere; ſed quotieſcumque ſe ad illud homo invenerit paratum.*

Accedit auctoritas Catechiſmi Rom. p. 1. c. 4. *Neque tamen*, inquit, *Fideles ſatis habeant ſemel tantummodo Corpus Domini quotannis accipere: verum ſæpius iterandam Euchariſtiæ communionem exiſtiment. Utrum ſingulis menſibus, vel hebdomadis, vel diebus id magis expediat, certa omnibus regula præſcribi non poteſt.* Verum, ut Theologiæ candidati in incerto omnino non hæreant, nonnullas regulas ad praxim perutiles ipſis breviter indigitare neceſſarium duximus.

Prima & univerſalis regula a D. Bonaventura excerpta eſt 4. diſt. 12. q. 2. *Si quæritur*, inquit, *utrum expediat frequentare Euchariſtiam alicui? Dicendum quod ſi viderit ſe eſſe in ſtatu Eccleſiæ primitivæ*, in quo Fideles quotidie communicabant, *laudandum eſt quotidie communicare. Si autem in ſtatu Eccleſiæ finalis, utpote frigidum, & tardum, laudandum eſt quod raro: ſi autem in medio modo, medio modo debet ſe habere: & aliquando debet ceſſare, ut addiſcat revereri; aliquando accedere, ut inflammetur amore.*

Secunda & univerſalis regula ex D. Thom. deſum-

ſumpta eſt 4. d. 12. q. 2. art. 2. quæſtiunc. 3. *Si autem hæc duo ad invicem comparemus, adhuc invenitur prævalere ſumptio Sacramenti, abſtinentiæ a Sacramento; tum ratione effectus, tum ratione præparationis, quantulacumque ſit, tum etiam ratione virtutis elicientis actum, quia ſumere videtur eſſe charitatis, in qua radix meriti conſiſtit; abſtinere autem timoris, amor autem timori prævalet.* Et ad 2. *In hoc*, inquit, *maxima eſt gloria Dei & bonitas, quod ſe creaturis pro earum captu communicat: unde magis videtur ad Dei gloriam pertinere, quod aliquis ad Communionem accedat, quam quod abſtineat.* Ex qua regula patet in dubio de ſufficienti diſpoſitione, potius ad frequentem, quam ad raram propendendum eſſe Communionem. His poſitis generalibus regulis, particulares ſubſequentur.

1. Rara cenſetur Communio, nedum ea quæ quotannis, ſed & ea quæ ter aut quater in anno tantummodo exercetur: non frequens, quæ quinquies ſolummodo, aut ſexies ſit in anno: frequens vero, quæ ſingulis menſibus, frequentior quæ ſingulis hebdomadis, frequentiſſima quæ ſingulis diebus. Id non obſcure colligitur ex ſupra citato Catechiſmo Romano.

2. Omnis Fidelis, licet non raro labatur in mortale, aptus eſt qui quinquies aut ſexies ad S. Communionem accedat, modo vere ſit attritus & confeſſus, & a peccati conſuetudine & occaſione expeditus. Hæc regula probatur uſu & praxi omnium Directorum, qui S. Communionem injungunt in remedium peccati: & confirmatur auctoritate S. Iſid. lib. de Eccleſ. Offic. c. 8. *Ceterum*, inquit, *ſi talia ſunt peccata, quæ quaſi mortuum removeant ab Altari, prius agenda pœnitentia eſt, ac ſic deinde hoc ſalutiferum medicamentum ſuſcipiendum. Qui enim manducat, & bibit indigne*,

*gne, judicium sibi manducat, & bibit. Manifestum est enim vivere eos, qui Corpus ejus attingunt: unde timendum est, ne dum diu quisque separatur a Christi Corpore, alienus permaneat a salute, ipso dicente: Nisi manducaveritis carnem Filii hominis, & biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis. Qui enim peccare jam quievit, communicare non desinat.*

3. Qui frequenter in mortalia labitur, licet de illis pœniteat, &c. non aptus est, qui singulis mensibus ad S. Eucharistiam accedat. Probatur ex eodem S. Isidoro lib. 1. Sent. c. 24. *Qui scelerate vivunt in Ecclesia*, inquit, *& communicare non desinunt, putantes lethali Communione mundari discant nihil ad emundationem sibi proficere, dicente Domino: Numquid carnes sanctæ auferent a te malitias tuas?* Qui autem perraro in peccata labuntur mortalia, licet aliquo affectu ad veniale detineantur, possunt singulis mensibus communicare; cum tales in Ecclesia Dei *scelerate* vivere dici non possint: quod ex S. Carolo probatur, qui in Instruct. de Sacram. Euchar. jubet Parochos excitare passim Fideles omnes, inter quos pauciſſimi sunt, qui aliquo ad veniale affectu non detineantur: *Ut præter Paschatis Communionem, saltem in præcipuis solemnitatibus, veluti die Natalis Domini, Epiphania, Pentecostes, in diebus item Festis majoribus B. M. V. communicent.* Immo & *ut in Quadragesima, saltem Dominicis diebus, Corpus Domini sumant, ac præterea idem in Adventu præstent.*

4. His solummodo, qui ab omni affectu peccati, etiam venialis, sunt liberi; qui pietatis operibus sunt dediti, & terrenis sollicitudinibus expediti septimana communio concedenda est, quod probatur ex D. Bon. lib. de Profect. Relig. c. 70. *Vix aliquis ita religiosus videtur & sanctus, exceptis Sacerdotibus*, quibus ex officio incumbit in-

ter-

terpellare pro populo, & ex quorum Sacrificii num notabile Ecclesiæ ejusque membris adve *Quin semel in hebdomada sufficiat ei ex consue ne communicare, nisi specialis causa quando vel ratio plus suadeat; infirmitas superveniens singulariter festivitas solemnis.* Adstipulatur Franc. Sales. in sua Philothea c. 20.

4. Quotidiana concedenda non est commu nisi his qui extraordinario devotionis fervor dent, & vehementi Christo se se uniendi siti stuant; uno verbo nisi his, *quos in statu pri væ Ecclesiæ* existere compertum.

Demum pro harum Regularum prudenti a catione, attendenda est personarum conditio ut plus concedatur virginibus, quam non vi bus, cœlibatum observantibus quam conjug Religiosis quam sæcularibus, clericis quam la &c. Item attendenda est conscientiæ puritas, ctuum abundantia, fervor aut devotio major minor, desiderium hujus Sacramenti magis minus ardens, &c.

## QUÆSTIO VIII.

### *Quinam sint Eucharistiæ effectus.*

**Not.** Effectus Eucharistiæ duplicis sunt ris: præcipui animam respiciunt nonnulli ipsummet corpus.

Dico I. Quatuor sunt Eucharistiæ in ani effectus præcipui.

*Prob.* Simul, & per partes exponitur Concl

1. Effectus est gratiæ sanctificantis jam pr bitæ augmentum; prout docent Florent. in I pro Armenis edito. *Per hoc Sacramentum*, in *in sumentibus digne, gratia augetur, omnemqu fectum, quem materialis cibus, & potus quoa tam agunt temporalem, hoc idem quoad vitam*

*vitæ*

*ritualem per hoc Sacramentum operatur*. Et Catech. Rom. *Quemadmodum*, inquit, *corpus cibo naturali non conſervatur modo, ſed etiam augetur . . . Ita etiam ſacræ Euchariſtiæ cibus.*

2. Effectus eſt actualis refectio ſpiritualis dulcedinis; modo tamen cum actuali devotione, ſine affectu ad venialia, Sacramentum ſuſcipiatur. Unde D. Th. ait 3. p. q. 79. *Per hoc Sacramentum, quantum eſt ex ſua virtute, non ſolum habitus gratiæ & virtutis confertur, ſed etiam excitatur in actum . . . Et inde eſt, quod ex ejus virtute anima ſpiritualiter reficitur, per hoc quod anima ſpiritualiter delectatur*. Sicut alimentum corporale, inquit ſupra citatus Catechiſmus, corpus reficiendo delectat.

3. Effectus eſt teſte Trid. ſeſſ. 13. cap. 2. *quod ſit antidotum, quo liberamur a culpis quotidianis, & a peccatis mortalibus præſervemur*. Et hoc nedum ex opere operantis, actus pœnitentiæ, & charitatis elicientis, ſed etiam ex opere operato, quatenus ardorem charitatis, a venialibus remiſſum, reſtituit, animamque roborat adverſus peccati principia.

4. Effectus eſt ineffabilis cum Chriſto unio, per quam, inquit S. Cyrill. *Concorporales Chriſti efficimur*. Quintus adjici poteſt effectus, nempe quod *per accidens* operetur remiſſionem peccati, etiam mortalis, ut alibi expoſuimus.

Dico II. Euchariſtia nonnullos in ipſum corpus parit effectus.

*Prob.* Quia 1. ipſum contactu ſuo conſecrat & ſanctificat. 2. Quia fomitem carnalis concupiſcentiæ remittit: *Chriſtus enim exiſtens in nobis*, inquit Cyrill. Alex. lib. 4. in Joann. *ſopit ſævientem in noſtris membris carnis legem*. 3. Quia velut ſemen eſt ejus glorioſæ reſurrectionis, quatenus Deus movetur ad illud vivificandum propter conjunctionem, quam habuit cum vivificantis carne

ne Chriſti: juxta illud Jo: 6. *Qui manducat meam carnem, reſuſcitabo eum in noviſſimo die.*

Quær. 1. Utrum majorem gratiam conſequatur qui ſub utraque, quam qui ſub una tantum ſpecie Euchariſtiam ſuſcipit?

℟. Negative, niſi forſan ex parte operantis, quatenus ex uſu utriuſque ſpeciei major excitatur charitatis affectus. Ratio eſt, quia ſola res quæ ſumitur, gratiam confert, non vero modus ſumendi. Atqui ſub quavis ſpecie Euchariſtia ſumatur, ſemper, ut dictum eſt, totus & integer Chriſtus ſumitur. Ergo. Unde declarat Trid. ſeſſ. 21. c. 3. *Nulla gratia ad ſalutem neceſſaria defraudari, qui unam ſolam ſpeciem accipiunt.* Id eſt, gratia ſecundum quid neceſſaria qualis eſt gratiæ augmentum, de qua ſola loqui poteſt Concilium, cum Euchariſtia primam ex ſe non conferre, de fide ſit.

Quær. 2. Quandonam Euchariſtia in ſuſcipiente effectum ſuum producit?

℟. Non quando in os immittitur, aut quando deglutitur, ſed dum intrat in ſtomachum. Ratio eſt, quia juxta Florentinum Euchariſtia eumdem effectum habet in anima, quem materialis cibus in corpore. Atqui cibus corporalis materialiter non nutrit, niſi dum ad ſtomachum pervenit. Ergo nec Euchariſtia. Hinc colligere eſt, quod ſi ſpecies in ore corrumperentur, Euchariſtia nullum, ſaltem ex opere operato, produceret effectum; bene quidem ſi poſt completam deglutionem e ſtomacho ejiceretur, etiam nondum ſpeciebus corruptis.

Quær. 3. Quanto tempore durent in ſtomacho ſpecies ſacramentales incorruptæ?

℟. Variæ ſunt Phyſicorum opiniones, ſed cómmunius cenſent per quadrantem horæ perdurare. Ideo gravis eſſet indecentia ante finitum quadrantem panem profanum manducare.

Quær. Tandem utrum Euchariſtia prodeſſe poſſit non eam ſumentibus?

℟. Aliis

R. Aliis minime prodeſſe ex opere operato. *Quia*, inquit D. Th. 3. p. q. 79. a. 7. *hoc Sacramentum eſt unius generis cum aliis Sacramentis. Sed alia Sacramenta non proſunt niſi ſuſcipientibus, ſicut effectum Baptiſmi non ſuſcipit niſi baptizatus. Ergo nec hoc Sacramentum prodeſt, niſi ſumenti.* Cujus particularis ratio eſt, quia Euchariſtia per modum cibi fuit inſtituta. At cibus non prodeſt niſi ſumenti. Ergo. Dixi *ex opere operato*: nam ex opere operantis aliis prodeſſe poteſt, cum hujus Sacramenti virtute gratia & charitas augeatur, proindeque preces poſt Communionem factæ præcipuam quamdam vim ex ipſa habeant divina beneficia impetrandi, tum pro ipſo communicante, tum pro aliis, ſive vivis, ſive defunctis.

## CAPUT II.

### *De Euchariſtia prout Sacrificium.*

QUatuor in hoc Capite nobis occurrunt exponenda. 1. An ſit, & quid ſit Miſſæ Sacrificium. 2. Quis fructus & valor ejus. 3. A quibus & pro quibus offerri poſſit ac debeat. 4. Quænam ſint circumſtantiæ ad celebrationem requiſitæ.

## QUÆSTIO I.

### *An, & quid ſit Miſſæ Sacrificium.*

*Not.* EUchariſtiam, prout eſt Sacrificium, aptiſſime a multis ſæculis *Miſſam* nuncupari; ſiquidem ea vox ab Hebraica MISSACH probabiliter derivatur, quæ ſpontaneam oblationem ſignificat: aut probabilius a verbo MITTO, *quaſi tranſmitto*, inquit Grey. lib. 4. Dial. c. 38. eo quod populus fidelis per miniſterium Sacerdotis, qui fungitur vice Mediatoris inter Deum

& homines, preces & ſupplicationes, & vota tranſmittat Altiſſimo: vel dicitur Miſſa, eo quod per conſecrationem veluti nobis mittitur Chriſtus a Deo, ac per oblationem & ſumptionem eum Deo remittimus. Quærere autem utrum ſit Miſſa, nihil eſt aliud, quam inveſtigare utrum Euchariſtia verum ſit Novæ Legis Sacrificium: pro quo

*Not.* 2. Duplici modo ſumitur Sacrificium: 1. Late pro quovis opere quod fit in gloriam Dei, juxta illud Aug. l. 10. de Civ. Dei c. 5. *Verum Sacrificium eſt omne opus quod agitur, ut ſancta ſocietate inhæreamus Deo, relatum ſcilicet ad illum finem boni, quo veraciter beati eſſe poſſimus.* 2. Stricte & proprie ſumitur pro ſpeciali Religionis actu. Quo ſenſu recte definitur: *Oblatio externa legitime inſtituta, ſoli Deo a Miniſtro legitimo facta, qua res aliqua ſenſibilis, & permanens conſecratur & realiter immutatur, ad teſtandum ſupremum Dei dominium.*

Dicitur 1. *Oblatio externa*, ut diſtinguatur ab oblationibus internis Fidelium, qui ſeſe Deo offerunt, inquit Apoſtolus, tamquam Hoſtias ſanctas, ac Deo placentes, quæ Sacrificia non ſunt proprie dicta.

Dicitur 2. *Legitime inſtituta*: quia cum Sacrificia fiant in proteſtationem publicam ſupremi Dei dominii, ſolius eſt poteſtatis publicæ ac legitimæ ea inſtituere: Ideo hanc Deus tum in veteri, tum in novo Teſtamento ſibi reſervat poteſtatem; licet communitas Sacrificia publica ſibi inſtituere poſſet, ſi Deus non inſtituiſſet.

Dicitur 3. *Soli Deo facta*, ſiquidem *Nullus eſt hominum*, inquit Aug. ſupr. cit. *qui audeat dicere Sacrificium non deberi ſoli Deo*; cum ipſi ſoli cultus Latriæ conveniat.

Dicitur 4. *A Miniſtro legitimo*, id eſt viro particulari ad offerendum Sacrificium aſſumpto,

quæ

quæ conditio adeo neceſſaria eſt, ut ipſa deficiente deficeret ratio eſſentialis Sacrificii. Ideo ante Aaronis Sacerdotium Patres-familias Agnum Paſchalem offerebant, quatenus a Deo Sacerdotes erant inſtituti. Sic a ratione Sacrificii proprie dicti excluduntur oblationes plurimæ, a privatis hominibus in honorem Dei factæ, ut accenſio candelarum, thuris incenſio, &c. quia non offeruntur a Miniſtris, ſaltem tamquam talibus, ad hoc deputatis.

Dicitur 5. *Res aliqua ſenſibilis & permanens*, ut excludantur actus interni, actiones tranſeuntes, ut Genuflexio & Pſalmodia.

Dicitur 6. *Conſecratur*, id eſt de profana fit ſacra, cum ſacrificare idem ſonet ac ſacrum facere.

Dicitur 7. *Realiter immutatur*, id eſt deſtruitur, quia cum Sacrificium ſiat in teſtimonium ſupremi dominii Dei, præſertim in vitam & mortem creaturarum ſuarum, neceſſe eſt ut oblata quodammodo immutetur & deſtruatur.

*Not.* 3. Triplex aut quadruplex poſſe diſtingui Sacrificium. 1. Latreuticum in cultum Dei inſtitutum. 2. Propitiatorium ad ipſum placandum oblatum. 3. Pacificum, quod Euchariſticum dicitur, ſi in gratiarum actionem eſt inſtitutum, & Impetratorium, ſi ad impetranda beneficia offertur.

Dico I. Euchariſtiæ celebratio verum eſt ac proprie dictum Novæ Legis Sacrificium.

*Prob.* Ex Script. Malach. 1. *In omni loco ſacrificatur & offertur Nomini meo Oblatio munda*. Ubi Propheta indicat futurum Miſſæ Sacrificium, prout omnes Patres, Juſtin. Dial. cum Triph. Iren. lib. 4. adverſ. Hær. c. 32. Tertul. l. 3. contr. Marc. &c. interpretantur, quia hæc Oblatio munda, de qua Propheta, nec de Sacrificiis Judæorum, quæ in omni loco non offerebantur, nec de Sacrificiis Gentilium profanis dici poteſt. Dein-

de de Chriſto Domino dicit Pſalmiſta: Pſal. & Apoſt. Heb. 5. *Tu es Sacerdos in æternu cundum ordinem Melchiſedech*. Quem locum tres intelligunt de ultima Cœna, ubi Chr Dominus Corpus & Sanguinem ſuum Deo obtulit in Sacrificium, ſub ſpecie panis & v Ita Cypr. Epiſt. ad Cæcil., Auguſt. lib. 16 Civit. cap. 22. &c. Demum Lucas Evang aperte teſtatur, Corpus Chriſti in ultima na actualiter pro nobis fuiſſe datum: *Quod vobis datur*, & Sanguinem effuſum: *Hic eſt lix, qui pro vobis funditur*. Quod verum non poſſet, ſi non loqueretur de vero Corpo & Sanguinis Chriſti Sacrificio, pro nobis Patri oblato. Sunt & alia plurima, tum vete tum novæ Legis loca, quæ brevitatis gratia t termittere neceſſe eſt.

*Prob.* Teſtimonio antiquorum Conciliorum quorum auctoritatem ipſimet Lutherus, & Ca nus admittunt. Conc. Nicæn. I. Can. 18. v ne qui poteſtatem non habent offetendi Sacr cium Corporis Chriſti, illud adminiſtrent. C cil. Epheſ. I. Declar. 11. Anathem. 11. de Mi Sacrificio apertam mentionem facit: *Sanctu* inquit, *ac vivificum incruentumque in Eccle peragimus Sacrificium*. In Conc. Chalcedon. D ſcorus accuſatus eſt omne frumentum emiſſe, *quo nempe terribile, & incruentum Sacrificium lebratum eſt*. Accedit auctoritas antiquiſſimar Liturgiatum, maxime S. Jacobi Liturgia. Ite verba S. Andreæ Apoſtoli ad Proconſulem Ægeat *Quotidie immolo &c.*

*Prob.* Ex hoc trito Auguſtini axiomate, aſſ renti lib. 9. contr. Fauſt. nullam fuiſſe aut e potuiſſe veram vel falſam Religionem; quæ al quo Sacrificiorum viſibilium conſortio homines n colligaret. Atqui dilecta Dei Eccleſia vera e Religio. Ergo debet habere verum ſemperque pe

manens

manens Sacrificium, quod aliud utique esse non potest, quam Sacrificium Missæ.

Hæc ad confirmandam Fidem Catholicam breviter delineasse sufficiat. Nunc nobis dirimenda est inter ipsosmet Catholicos non contemnenda controversia, in qua nimirum parte Missæ essentialiter consistat Eucharistiæ Sacrificium. Circa quod

Dico II. Eucharistiæ Sacrificium essentialiter consistit in ipsa Corporis & Sanguinis Domini Consecratione.

*Prob.* 1. Conclusio aliarum sententiarum impugnatione.

1. Non consistit in panis & vini oblatione ante Consecrationem, nec Corporis Christi post ipsam; tum quia in prima non offertur Corpus Christi, quod tunc non est præsens; essentiale autem est Sacrificio Missæ, ut Christus offeratur; tum quia licet in secunda Corpus sit præsens, ipsum tamen minime immutatur. Adde quod utraque Oblatio non a Christo, sed ab Ecclesia fuerit instituta.

2. Non consistit in specierum mixtione, fractione, aut distributione; tum quia Christus mixtionem nec adhibuit, nec adhibere præcepit, tum quia fractionem adhibuit ante Consecrationem, nos autem post Consecrationem usurpamus; tum quia Concil. Trid. sess. 22. can. 8. definivit, Missam esse licet nulli distribuatur Corpus Christi, & solus Sacerdos communicet. Accedit quod in his omnibus Cæremoniis solæ species, non Corpus Christi, immutentur.

3. Non consistit in Communione Sacerdotis. 1. Quia de fide certum est, Christum vere sacrificasse, & incertum utrum ipsemet communicaverit. Unde si essentia Sacrificii consisteret in Communione, veritas fidei esset incerta, quatenus in incerto fundata, uti diximus, in quæstione de præ-

tenſa converſione aquæ in vinum calicis. 2. Sacerdos communicans, Corpus Dominicum ſibi diſpenſat, qui autem diſpenſat, ut talis, minime ſacrificat. Quod ſi aliquod Concilium dicat: *Quale erit Sacrificium, cui nec ipſe ſacrificans particeps eſſe dignoſcitur?* hinc non eſt concludendum, hanc participationem eſſe de eſſentia Sacrificii; ſed partem ejus tantummodo integralem, ſeu illius complementum extrinſecum. Deinde immutatur quidem Hoſtia per Sacerdotis Communionem, ſed immutatur ad ſuſcipientis utiliratem, non autem primario ad Dei cultum; igitur ſolam Conſecrationem eſſentialiter Sacrificium Miſſæ conſtituere; quod

*Prob.* 2. Ex omnibus Patribus, docentibus per verba a Sacerdote nomine Chriſti prolata confici Sacramentum, proindeque Sacrificium; cum Euchariſtiæ Sacramentum & Sacrificium a parte rei ſint unum & idem. Nec enim ſpecies conſecratæ Corpus Chriſti ſignificant, niſi quia myſtice immolatum eſt, cum eum immolatum ſignificent. Deinde definitio Sacrificii perfecte convenit Conſecratipni. 1. Vera eſt Obligatio, ſi non in actu ſignato, & explicito, ſaltem in actu exercito & implicito. 2. Eſt rei ſenſibilis Oblatio, Corporis Chriſti ſcilicet per ſpecies. 3. Vera eſt immutatio, ſi non cruenta, ſaltem myſtica, realis tamen. 4. Ipſamet immolatio ſenſibilis eſt, non quidem per viſum, ſaltem auditu Fdei, cum ſciamus verba Chriſti & Miniſtrorum ejus eſſe vera.

Quær. Utrum Conſecratio utriuſque ſpeciei non tantum ſit de neceſſitate præcepti, ſed etiam Sacrificii?

&. De neceſſitate præcepti tantum, non de Sacrificii. Prima pars patet ex Evangelio, ubi Chriſtus præcepit, ut id quod fecit, fieret in ejus commemorationem. Secunda patet, tum quia in utraque

ſpe-

ſpecie verum eſt Sacramentum, proindeque, ut diximus, verum Sacrificium, tum quia ad eſſentiam Sacrificii ſufficit, ut aliqualiter, modo realiter, Hoſtia immutetur. Certum eſt autem Chriſtum per conſecrationem unius ſpeciei jam realiter immutari, cum vi verborum Corpus tantum adſit ſub hac ſpecie.

## QUÆSTIO III.

### *Quis fructus, & valor Sacrificii Miſſæ.*

*Not.* COnſtat apud omnes, Euchariſtiæ Sacrificium Latreuticum eſſe ſimul & Euchariſticum, & Propitiatorium & Impetratorium. Sed duplex hic occurrit difficultas, 1. Utrum Propitiatorium ſit & Impetratorium ex opere operato, vel tantummodo ex opere operantis. 2. Utrum & quo ſenſu, valoris ſit infiniti.

Dico I. Euchariſtiæ Sacrificium peccata tum mortalia, tum venialia ex opere operato, ſed mediate quoad culpam dimittit, & quoad pœnam immediate.

*Prob.* generaliter quod quælibet peccata dimittat, tum quoad culpam, tum quoad pœnam, ex verbis ipſiuſmet Chriſti Domini: *Hic Calix, qui pro vobis effunditur in remiſſionem peccatorum.* Accedit auctoritas Conc. Trid. definientis ſeſſ. 22. c. 2. *Hoc Sacrificium vere eſſe Propitiatorium, per ipſumque fieri ut miſericordiam conſequamur, & gratiam inveniamus.* Confirmatur praxi univerſali Eccleſiæ, hoc Sacrificium æque pro impiis, ac pro juſtis ſemper & ubique offerentis.

*Prob.* in particulari, quod peccata dimittat quoad culpam ex opere operato, ſed mediate tantum, quatenus ſcilicet, inquit Concil. cit. *hujus oblatione placatus Dominus, gratiam & donum Pœnitentiæ concedens, crimina, & peccata etiam ingentia dimittit.* Si enim immediate peccata dimitteret, inutile eſſet Pœnitentiæ Sacramentum, & attritus abſque ejus ſuſceptione, contritusque

absque ejus voto, posset justificari, quod est h
reticum. Quod autem gratiam, & donum Pœ
tentiæ, id est gratiam proxime aut remote suf
cientem ad veram Pœnitentiam ex opere oper
ro conferat, patet; tum quia effectu suo min
me fraudatur propter iniquitatem celebrantis
tum quia eodem modo movet Deum ad gratia
conferendam, quo ipsum placat: placat aute
ipsum ex opere operato, cum juxta Conciliu
*per ipsum* fiat ut misericordiam consequamu
per seipsum autem aliquid operari, est opera
ex opere operato, tum quia tandem eo mo
Sacrificium Missæ est Propitiatorium, quo Sati
factorium est.

*Prob.* autem esse Satisfactiorium ex opere op
rato, & quidem immediate. Quia Missæ Sacri
cium non differt a Sacrificio Crucis nisi ratio
modi quo offertur. Atqui Crucis Sacrificium p
se pœnam peccatorum diluit. Ergo & Sacrificiu
Missæ. Deinde quis neget hoc Sacrificium lon
majorem efficaciam habere, quam jejunia, el
emosynæ Fidelium, quæ immediate & per se po
nas remittunt atque diluunt peccatis debitas? E
go a fortiori Missæ Sacrificium.

Dico II. Eucharistiæ Sacrificium ex opere op
rato impetrat nobis bona, non quidem omnia qu
desideramus, sed quæ ad majorem Dei gloria
conducunt, juxta ipsiusmet Dei beneplacitum.

*Prob.* Quia de se & sua propria virtute ver
Impetratorium est, sicut & Satisfactorium. Do
cet siquidem Trid. cit. offerri debere non solu
pro peccatis & satisfactionibus, sed & pro ali
necessitatibus. SS. Patres docent utiliter oblatu
fuisse pro necessitatibus, etiam temporalibus. Di
xi tamen, nobis non impetrare infallibiliter quid
quid desideramus, quia sæpius id nec justum est
nec expedit nobis, nec ad gloriam Dei & a
salutem nostram confert.

Dico

Dico III. Valor Sacrificii Miſſæ de ſe intenſive in actu primo, & quoad ſufficientiam eſt infinitus.

*Prob.* & exponitur Concluſio: cujus ſenſus eſt, quod hoc Sacrificium poſſit obtinere gratias actu infinitas hominibus actu infinitis, ſi exiſtere poſſint, quia & Sacerdos principalis offerens, & Hoſtia oblata infinitæ ſunt ſanctitatis ac virtutis, propter unionem hypoſtaticam.

Dico IV. Valor & fructus hujus Sacrificii in actu ſecundo, ſeu quoad extenſionem ejus, applicationem & efficaciam, finitus eſt & determinatus.

*Prob.* Auctoritate & ratione D. Th. 3. p. q. 79. a. 5. *Quia*, inquit S. Doctor, *in ſatisfactione*, idem dicendum eſt de impetratione, *magis attenditur affectus offerentis, quam quantitas oblationis. Unde & Dominus dicit de vidua quæ obtulit duo æra, quod plus omnibus miſit. Quamvis ergo hæc oblatio ex ſui quantitate ſufficiat ad ſatisfaciendum pro omni pœna, tamen ſit ſatisfactoria illis, pro quibus offertur, vel etiam offerentibus, ſecundum quantitatem ſuæ devotionis, non pro tota pœna.* Et 4. diſt. 22. a. 2. q. 3. & diſt. 45. qu. 1. ad 2. ait: *Si ſuffragium, pro multis factum, tantum valeret ſingulis, ac ſi pro uno tantum fieret; videtur quod Eccleſia non debuit inſtituiſſe, ut pro aliquo ſingulariter Miſſa, vel oratio fieret, ſed quod ſemper diceretur pro omnibus Fidelibus: quod tamen falſum eſt.* Alia ratio fundarior eſt, quia Chriſtus in Sacrificio contentus non operatur ut agens naturale, quod ſecundum totam virtutis ſuæ latitudinem operatur, ſed ut agens liberum, quod non operatur niſi quantum vult. Non vult autem Chriſtus ſecundum totam latitudinem virtutis ſuæ meritum Paſſionis ſuæ applicare, tum ut magis pietas Fidelium excitetur, tum ut procuretur frequentior hujus Sacrificii celebratio.

*Confirm.* ex Conc. Conſtantienſi, quod hanc Wi-

cleſi damnavit propoſitionem: *Speciales orati applicatæ uni perſonæ per Prælatos vel Religio non plus proſunt eidem quam generales, ceteris ribus.* Quæ propoſitio vera eſſet, ſi Sacrific Miſſæ in ſui applicatione eſſet infiniti valoris, inde ſequeretur, uni non magis prodeſſe quam teri, cum ſpecialiter applicaretur: hoc ſiquic Sacrificium nonniſi per modum impetrationis orationis operatur. Huc accedit hujus propoſi nis damnatio ab Alex. VII. *Non eſt contra ju tiam pro pluribus Sacrificiis ſtipendium accipe & Sacrificium unicum offerre.* Quæ propoſitio ſi data eſt ſub hoc falſo principio, quia nempe u cum æque prodeſt ac plura. Hinc

Adverte, fructum ſeu valorem Sacrificii Mi optime dici poſſe infinitum ſincategorematice, parte offerentium & aſſiſtentium; id eſt, majore & ſemper majorem eſſe, quo plures adſunt ofi rentes & aſſiſtentes. Ratio eſt evidens, quia mi tiplicatis offerentibus multiplicantur oblatione proindeque ſinguli ex ſua oblatione eumdem c pediunt fructum, ac ſi ſoli adeſſent. Item fruct hujus Sacrificii abundantior ſemper & abunda tior eſſe poteſt, quo ferventior ac ferventior devotio ac pietas offerentium, & eorum pro qu bus offertur, cum juxta D. Thom. cit. fruct ejus menſuretur ſecundum quantitatem id eſt fe vorem, *eorum devotionis.*

## QUÆSTIO III.

### *A quibus, & pro quibus offerri debeat, ac poſſit Miſſæ Sacrificium.*

*Not.* CUM plurima circa hanc materiam praxim neceſſaria nobis ſint exponen da, brevitatis gratia ipſa in diverſas quæſtiunc las diſpartiri neceſſe eſt.

Quæ-

Quær. 1. Quibuſnam competat ſacroſanctum offerre Miſſæ Sacrificium?

℟. Cum conſecratio vera ſit, atque implicita oblatio, evidens eſt ſolius eſſe Sacerdotis rite ordinati, Corpus & Sanguinem Domini immediate & minus principaliter offerre, ſicut ſolius eſt minus principaliter conſecrare, uti jam ſuperius probatum eſt. Dixi *minus principaliter*; quia Sacerdos non conſecrat, niſi quatenus vices gerit & perſonam Chriſti ſuſtinet. Dixi *immediate*, quia mediante Sacerdote illud etiam offert Eccleſia, & generaliter Fideles tamquam ipſius membra, ſpecialiter vero aſſiſtentes, ſpecialius Miſſæ inſervientes, neceſſaria ſuppeditantes, & honorarium tribuentes. Quod probatur ex Innoc. III. lib. 3. de Myſterio Miſſæ cap. 6. *Non ſolum offerunt Sacerdotes, ſed & univerſi Fideles. Nam quod ſpecialiter adimpletur miniſterio Sacerdotum, hoc univerſaliter agitur voto Fidelium.*

Quær. 2. Utrum Sacerdos poteſtatem ſpecialem habeat Miſſæ fructum applicandi pro ſuo beneplacito?

℟. Triplicem eſſe fructus Sacrificii portionem, generalem ſcilicet, mediam, & ſpecialem. Prima eſt, quæ toti Eccleſiæ obvenit, & principaliter iis omnibus in Canone Miſſæ expreſſis, ſive abſentes, ſive præſentes. Secunda ea eſt, quæ iis obvenit pro quibus Sacerdos ſpecialiter celebrare intendit. Tertia tandem, quæ ipſi videtur omnino propria, præciſe ut Sacerdoti. His expoſitis,

Certum eſt 1. atque indubitatum, Sacerdotem de primo fructu minime pro libitu ſuo diſponere poſſe, ideo ſive illum applicare intendat, ſive non, ſemper a Chriſto Domino applicatur.

Certum eſt 2. Fructum ſecundum ita a Sacerdotis beneplacito pendere, ut licet illicite ad alium quam debet, valide tamen applicare poſſit.

Ideo, ſi quis accepto ſtipendio ab aliquo Miſſam pro ipſo celebrandam, non celebrare ad reſtitutionem teneretur. Ratio eſt, quia cut Sacerdos in ordinatione poteſtatem accip Sacrificium offerendi, poteſtatem ſimul ſuſcepi ab ea inſeparabilem, illud applicandi: alioqu verus ac proprie dictus non eſſet Sacerdos, q in victimam poteſtatem Sacerdotalem neceſſari habere debet.

Nec refert, quod vices getat ac perſonai Chriſti ſuſtineat; nam eo ipſo quo perſonam Chr ſti ſuſtinet, poteſtati ejus Sacerdotali utique pai ticipare debet.

Quoad tertium fructum, quidquid nonnulli di cant, probabilius videtur, etiam illum alteri ap plicare poſſe; cum hujus ſit æqualiter dominus & liberum ſit cuilibet propriis ſuis bonis in fa vorem alterius ſe ſe abdicare.

Quær. 2. Qualis requiratur intentio in Miſſ. applicatione?

R. Abſolute neceſſaria non eſt intentio actuali aut virtualis, aut explicita, ſed ſufficit habitua lis, non retractata, & implicita. Non ſufficit au tem interpretativa, nec conditionata de fururo ſive contingenti, ſive neceſſario. Hinc

*Reſol.* 1. Si contingat nullam a Sacerdote fa ctam fuiſſe applicationem, vel ipſam feciſſe poſ Conſecrationem, fructum ſpecialem remanere in Theſauro Eccleſiæ; quia intentio retroactionem in quod jam factum eſt, habere non poteſt.

*Reſol.* 2. Valet Sacrificii hodie celebrati appli catio, quam Sacerdos duobus aut tribus abhinc die bus fecit, quamvis de ea amplius non cogitet, modo nec implicite nec explicite eam retractave rit; quia Miſſæ applicatio per modum donationis ſe habet, quæ valida eſt donec revocetur.

*Reſolv.* 3. Valida eſt applicatio Sacerdotis Re ligioſi, aut alterius ſub obedientia conſtituti,

Miſ-

Miſſam applicantis juxta Superioris ſui voluntatem, quam tamen minime novit. Item & Sacerdotis Miſſam applicantis pro ea anima, quam vult Deus, aut quam Deus novit hujus auxilii magis indigere; quia Sacerdos in utroque caſu vere applicat, licet determinationem Deo, & Superiori ſuo relinquat.

*Reſol.* 4. Qui ita eſt diſpoſitus, ut Miſſam pro tali vel tali neceſſitate ſua, vel proximi applicaſſet, ſi attendiſſet, invalida eſſet ejus intentio: non enim quia intentio adfuiſſet, ſequitur quod ipſa fuerit. Cenſent tamen plurimi Doctores, Sacerdotem ex inadvertentia fructum nemini applicantem, implicite vel habitualiter velle applicare ad quod ex præcepto tenetur.

*Reſol.* 5. Qui ſic intentionem proferret: Miſſam defunctorum applico pro eo, qui primus eſt moriturus, vel pro eo qui primus ſtipendium daturus eſt, vana atque illicita foret ejus applicatio: tum quia fructus Sacrificii ſuſpendi non poteſt, nec poteſt fieri ſolutio debiti nondum contracti; tum quia hæc praxis damnata eſt a S. Card. Congr. habita ſub Clem. VIII. anno 1605.

Quær. 4. Pro quibus fructus Sacrificii poſſit applicari?

R. Poſſe applicari & offerri pro omnibus omnino hominibus. 1. Pro omnibus Orthodoxis atque Catholicæ & Apoſtolicæ Fidei cultoribus, ut patet. 2. Pro peccatoribus per modum impetrationis, ut Deus eis gratiam converſionis concedat. 3. Pro ipſiſmet Infidelibus eodem modo, juxta præceptum Apoſtoli qui vult orationes fieri pro Regibus, qui tunc erant Infideles. 4. Pro Cathecumenis, ut ad gratiam Baptiſmi perveniant. Nec refert quod dicit Auguſt. Corpus Chriſti non offerri, niſi pro membris Chriſti; loquitur enim de Parvulis ſine Baptiſmo defunctis. 5. Pro Excommunicatis non toleratis, non quidem publice, ſed pri-

privatim & proprio Sacerdotis nomine. 6. Pro animabus in Purgatorio languentibus, ut docet Conc. Trid. ſeſſ. 22. c. 2. ex antiquiſſima, immo & Apoſtolica traditione. 7. Non pro Beatis quidem offerri poteſt, cum ſit cultus Latriæ; ſed pro Beatis, ad gratias Deo referendas de beneficiis ipſis a Deo collatis; vel ut Deus nobis concedat eorum patrocinium. 8. Non autem offerri poteſt pro damnatis, utpote omnis fructus hujus Sacrificii incapacibus; quia in Inferno nulla eſt redemptio, nec pœnarum mitigatio eſſe poteſt.

Quær. 5. Pro quibus Sacerdos teneatur Miſſam applicare?

Re. 1. Tenetur ex juſtitia Miſſam applicare pro his & juxta intentionem eorum, qui fundationem, qua gaudet, inſtituerunt, aut eleemoſynam vel honorarium ipſi præſtiterunt. 2. Pro his pro quibus eam promiſit, cum intentione ſe ſe obligandi. 3. Dum aliquod ſtatutum & conſuetudo obligatoria id imperat. 4. Paſtores tenentur aliquando Miſſas pro ſubditis ſpecialiter applicare, etiam ſecluſo quovis alio titulo. Ratio Concil. Trident. eſt ſeſſ. 23. cap. 1. quia *præcepto Divino mandatum eſt omnibus, quibus cura animarum commiſſa eſt, oves ſuas agnoſcere, & pro eis Sacrificium offerre.* Quoties autem id facere teneantur, videtur id præſtare teneri ſingulis ſaltem Dominicis, Feſtiſque anni ſolemnioribus. Dixi *ex juſtitia*; ita ut ſupradicti Miſſam applicare prætermittentes, peccant mortaliter, & ad reſtitutionem teneantur; exceptis tamen his, qui nonniſi ob ſtatutum aliquod aut conſuetudinem Miſſam applicare tenerentur.

Quær. 6. Quo titulo Sacerdoti liceat ſtipendium pro Miſſa accipere?

Re. Ipſi nihil accipere licet. 1. Pro ipſo Sacrificii fructu; quia ſimoniacum eſt pretium temporale pro re ſpirituali accipere. 2. Nec licet pro

la-

labore Sacrificii intrinſeco & ab ipſo Sacrificio inſeparabili, prout eſt pœna ſe ſe veſtiendi, genuflectendi, Miſſam legendi, &c. quia hæc pœna eſſentialiter Miſſæ eſt annexa, nec pretio æſtimabilis, niſi in ordine ad ipſummet Sacrificium. Duo ſunt igitur tantummodo tituli honorarium pro Miſſa accipiendi. 1. Sacrificantis ſuſtentatio, quatenus qui *Altari deſerviunt*, inquit Apoſtolus 1. Cor. 9. *cum Altari participant*. Nec refert quod Sacerdos aliunde ſuam ſuſtentationem habeat; nam ſemper ſtat regula ab Apoſtolo tradita, cum æqualiter dives ac pauper Altari deſerviant, proindeque propter hunc realem titulum cum Altari participare poſſint. 2. Titulus eſt labor extrinſecus Sacrificio, accidentaliter adveniens, quod Miſſa v. g. ſit celebranda tali hora, tali loco, &c. quæ utique pretio ſunt æſtimabilia.

Quær. 7. Quæ ſuperſint obſervanda circa Miſſarum ſtipendium, & applicationem?

R. Sequentia obſervare juvabit.

1. Sacerdos accipere poteſt quidquid pro Miſſæ celebratione offertur, licet pretium excedens videatur; quia volenti nulla fit injuria. Ipſi autem non licet ob petentis neceſſitatem, pretium, æquitatem naturalem, Epiſcopi taxationem, aut loci conſuetudinem notabiliter excedens extorquere; idque ſub pœna peccati mortalis & onere reſtitutionis, cum id juſtitiæ ſit contrarium.

2. Qui minus quam fert recepta conſuetudo, ſtipendium recepit & acceptavit, abſque peccato mortali non poteſt ſe ſe exonerare a quodam numero Miſſarum, eaſque reducere ad numerum proportionatum ſolito ſtipendio: v. g. Si duas Miſſas accepit pro 5. ſolidorum ſtipendio, unam tantum celebrare, ſub prætextu quod ordinarium ſtipendium ſit decem ſolidorum: quia ubi ſtipendium, licet minus congruum, acceptavit, obli-

ga-

gationem Missam integram celebrandi induit; & quidem ex justitia. ita ut si eam celebrare omiserit, ad restitutionem teneatur. Unde Alex. VII. hanc damnavit propositionem; *Non est contra justitiam pro pluribus Sacrificiis stipendium accipere, & Sacrificium unicum offerre.* Accedit hujus nefandæ praxis damnatio ab Urban. VIII. & Innocent. XII. an. 1697. Eamdem ob rationem Sacerdotes, qui certis diebus ratione Beneficii & Capellæ tenentur celebrare, non possunt eleemosynas pro aliis etiam Missis stipendium accipere.

3. Si detur pecunia pro Missis indeterminate celebrandis, numerus ad libitum accipientis taxati non potest, sed juxta pretium, quod in tali loco solvi consuevit pro qualibet Missa. Talis est enim retribuentis intentio interpretativa, nisi aliunde contrarium appareat. Id Cardinalium Congregatio definivit, approbante Urb. VIII.

4. Non potest Sacerdos per unicam Missam duobus satisfacere stipendiis, applicando uni partem solitam, id est partem fructus Sacrificii mediam, de qua supra diximus, & alteri partem sibi tamquam Sacerdoti propriam. Hæc enim praxis ab Alex. VII. damnata est an. 1649. Ratio est, quod non omnino certum sit, Sacerdotem huic fructui renuntiare posse. Ideo cum obligationi certæ per incertam solutionem nullus satisfacere possit, hæc praxis tamquam injusta merito reprobatur.

5. Qui stipendium accepit ad Missam celebrandam pro retribuentis commoditate, Missam applicare non tenetur, nisi aliunde retribuentis intentio probabiliter appareat.

6. Pingue recipiens honorarium pro Missa celebranda, non potest alium Sacerdotem hac Missa onerare pro inferiori, licet justo honorario, juxta definitionem Urbani VIII. & Alexand. VII. Nisi forte Ædituus quidpiam retineat pro expensis ornamenti

namentorum, cereorum, &c. *in Eccleſiis, & locis, quæ alios non habent redditus, quos in uſum earumdem expenſarum erogare licite poſſint.* Ita ſupradicta Cardinalium Congregatio ſancivit.

7. Sacerdoti non licet Miſſis ſeſe onerare, quibus intra duos menſes, quod eſt tempus ab Urbano VIII. taxatum, ſatisfacere non poteſt, idque ſub pœna mortalis peccati: excipe tamen ſi retribuenti omnino compertum eſſet, Miſſis quas commiſit, tam cito ſatisfieri non poſſe, ob conſuetam retribuentium in tali Eccleſia, vel tali loco, vel pro tali devotione, extraordinariam multitudinem, & Sacerdotum inopiam. Excipi forte etiam poſſet alius caſus, ſi nempe ipſimet Sacerdoti certiſſime compertum foret, nullum alium Sacerdotem, nullumque aliud Sacerdotum Sodalitium, citius tanto Miſſarum numero ſatisfacere poſſe.

8. Qui ſtipendium acceptavit ad Miſſam celebrandam pro urgente gravique neceſſitate, quæ moram non patitur, ut pro Agonizante vel Puerpera periclitante, vel pro celeri exitu litis mox dirimendæ, &c. non poteſt abſque gravi peccato, & reſtitutionis obligatione Miſſæ celebrationem differre.

## QUÆSTIO IV.

### *Quænam ſint circumſtantiæ ad celebrationem requiſitæ.*

NOT. Circumſtantiæ ad celebrationem requiſitæ reſpiciunt 1. Tempus, diem ſcilicet & horam, qua Sacerdos poſſit ac teneatur celebrare. 2. Locum tum mediatum, tum immediatum; id eſt Eccleſiam, & Altare, in quo ipſi liceat ac teneatur celebrare. 3. Cum quibus Ornamentis. 4. Secundum quas Rubricas. De quibus omnibus,

Quær.

Quær. 1. Quandonam Sacerdos poſſit ac debeat celebrare?

℟. 1. Omnes Sacerdotes, maxime Epiſcopi, ſæpius in vita celebrare tenentur, niſi obſtet impedimentum legitimum. Ipſis ſiquidem in perſona Apoſtolorum præcepit Chriſtus dicens: *Hoc facite in meam commemorationem*, juxta Trid. Conc. ſeſſ. 22. capit. 1. Sed quoties in anno celebrare teneatur Sacerdos, ut a peccato mortali ſit immunis, ad aliud principium recurrere neceſſe eſt, ut hoc definiatur; nempe præcepta indeterminata, qualia ſunt præcepta Fidei, Spei, & Charitatis actualis, ſæpius & frequenter obligare. Ideo cum aliunde ſtatuerimus ſolum frequentem poſſe dici Communionem, proindeque a fortiori Celebrationem, niſi eam quæ ſingulis menſibus exerceatur; concludendum eſt, ſingulis ſaltem menſibus & majoribus Feſtis occurrentibus Sacerdotes ſub mortali celebrare teneri: quod eo certius videtur, quo Trid. ſeſſ. 23. de reform. cap. 14. vult Epiſcopum curare, ut Sacerdotes ſaltem diebus Dominicis & Feſtis ſolemnibus Miſſas celebrent. Hinc

*Reſolv.* Minime laudandam eſſe conſuetudinem quorumdam Sacerdotum Monachorum, quos fertur nonniſi ter aut quater in anno celebrare.

℟. 2. Sacerdotes curam animarum habentes, ſub gravi peccato per ſe, aut per alios celebrare tenentur, nedum urget præceptum Miſſam audiendi; ſed & quandoque, dum eorum ſubditi eam audire ex devotione peroptant: id patet ex Tridentino citato definiente eos tam frequenter celebrare teneri, ut muneri ſuo ſatisfaciant. Atqui munus eſt Paſtoris, ut alibi dictum eſt; non ſolum ovibus ſuis paſcua abſolute neceſſaria, ſed & opportuna adminiſtrare. Ergo.

℟. 3. Beneficiati, ſeu Capellani, ex fundatione quotidie Miſſam celebrare onerati, ipſam quotidie

die quidem sub mortali celebrare tenentur. Attamen ab omni peccato videntur immunes, si ob reverentiam, vel diligentioris præparationis adhibendæ gratia, non autem ex acedia, aut indevotione, semel & iterum in mense celebrare omitterent, quia id Fundatorum rationabili intentioni non videtur adversum.

℟. 4. Ecclesiarum Cathedralium, aut Collegiatarum, & Regularium Superiores, sub mortali tenentur dare operam, ut quotidie in suis Ecclesiis Missa Capitularis, aut Conventualis celebretur, ut statutum est cap. *Cum creatura, de celebr. Missæ*.

℟. 5. Semel & iterum una die celebrare non licet absque licentia Episcopi, cujus solius est de necessitatis gravitate judicare, excepto die Natalis Domini, prout statutum est cap. *Consuluisti, de celebratione Missæ*; & probat praxis universalis Ecclesiæ. Et qui iterum celebrant, jejuni esse tenentur; adeo ut si ablutionem in prima Missa suscepissent, secundam, nequidem ad Viaticum moribundo administrandum, celebrare non possent.

℟. 6. Cuilibet Sacerdoti quotidie celebrare licet, exceptis diebus Parasceve, & Sabatho sancto, ut habet c. sup. cit. *Consuluisti*. Non excipitur autem Feria 5. in Cœna Domini, quia nullum extat Decretum id prohibens.

℟. 7. Ante auroram, id est initium crepusculi, celebrare non licet, nec post meridiem, idque ex præcepto, ita ut qui absque necessitate, aut legitima dispensatione tempus istud vel præveniret, vel proferret ultra horam integram, moraliter peccare censeretur. Id probatur ex Trid. sess. 21. in Decreto de Observandis, &c. *Episcopi*, inquit, *edicto, & pœnis propositis caveant, ne Sacerdotes aliis quam debitis horis celebrent*. Quæ verba gravem arguunt obligationem.

Excipiuntur tamen regiones Septemtrionales, Gallia, Germania, &c. ubi etiam inter timoratos

con-

consuetudo obtinuit, ut in hyeme una hora ante crepusculum celebrari possit. Quoad celebrationem pomeridianam, strictior ubique instat obligatio; ideoque mortaliter peccare censeretur, qui celebrationem ad horam usque primam post meridiem protraheret. Dixi *absque necessitate*; quæ gravior, vel levior esse debet, juxta diuturniorem temporis præscripti exorbitationem. Hinc communiter censetur celebrare licitum esse post noctem mediam ad moribundo ministrandum Viaticum, aut duas horas anticipare & unam protrahere ad Confessiones audiendas, & Communionem administrandam in locis, & circumstantiis, ubi non adest copia Confessarii, & Sacerdotis.

Quær. 2. Ubi Missa celebrari possit?

℟. 1. Missam celebrare non licet, nisi in Ecclesia ab Epicopo consecrata, vel benedicta, vel in Oratorio, quamvis non benedicto, saltem ab ipso Episcopo ad Sacrificii usum veluti permanenter deputato, quæ obligatio gravis est; nisi gravis excuset necessitas, & non sit aditus facilis ad Superioris dispensationem obtinendam. Graves censentur necessitates, 1. Ruina Ecclesiæ. 2. Loci Sacri tanta arctitudo, ut non capiat ad eum confluentes. 3. Longa peregrinatio per loca Infidelium Ecclesiis destituta, &c.

℟. 2. Absque necessitate, ut supradictum est, celebrare non licet in Ecclesia polluta, ita quod nova consecratione Episcopi indigeat, si est consecrata, & nova benedictione Sacerdotis ab hoc deputati, si est tantum benedicta, ut Sacerdos in ea absque peccato mortali celebrare possit.

Quintupliciter autem polluitur Ecclesia, vel execratur, id est Consecrationem, aut Benedictionem amittit. 1. Copiosa atque injuriosa Sanguinis effusione. 2. Homicidio injusto. 3. Voluntaria, etiam de se licita, seminis humani effusione. 4. Sepultura Pagani, Hæretici, & Excommunicati

non

non tolerati, aut pueri non baptizati. 5. Ruina majoris partis Eccleſiæ. Porro Eccleſia polluta, pollui cenſetur, & Cœmeterium; non e contra. Aliud eſſet, ſi Eccleſia & Altare tantum eſſent execrata; neutrum ſiquidem Altari execrationem ſuam communicat. Dicitur autem Eccleſiam execrari, dum deſtruitur, & Altare dum frangitur.

℟. 3. Conſecrare non licet, niſi ſupra Altare lapideum, & quidem per Epiſcopum, aut ex commiſſione Papæ per Sacerdotem conſecratum, quod tantæ magnitudinis eſſe debet, ut ſaltem majorem Calicis, & Hoſtiæ, cum patena partem continere valeat: quod ſi frangatur, ita ut ea continere non poſſit, ſuam amittit Conſecrationem. Idem communiter dicitur, ſi ſigillum, in quo Reliquiæ continentur, fuerit confractum.

Quær. 3. Cum quibus ornamentis, veſtibus, & vaſis Sacerdos celebrare teneatur?

℟. 1. Ex parte Altaris. 1. Debet eſſe ornatum triplici mappa linea, vel ad minus una duplicata, & qui ſine mappa celebraret, mortaliter peccaret, ob magnam irreverentiam; non gravis tamen eſt, ſed levis obligatio ex parte Sacerdotis celebrantis, ut hæc ſit benedicta. 2. Neceſſarium eſt Corporale lineum, ipſumque benedictum ſub gravi obligatione, quia immediate attingit Corpus Domini. 3. Requiritur Purificatorium, & Palla linea, & utraque benedicta. A Sacrificio tamen non eſſet abſtinendum, ſi Palla nec eſſet linea, nec eſſet benedicta, item ſi Purificatorium non eſſet benedictum, modo ſit mundum. 4. Requiritur Crux in Altari cum Chriſti imagine, ſive Sacramentum ſit expoſitum, ſive non, & hoc ſaltem ſub veniali. 5. Requiritur lumen geminum, cujus tanta eſt neceſſitas, ut potius a celebratione foret abſtinendum, quam penitus abſque ſaltem uno lumine celebrare. Utrum candela, ex cera, vel ex ſebo facta, ſit uſurpanda; urgente neceſſitate

ſitate ſebacea adhiberi poteſt, extra neceſſitatem venialiter peccaret, qui ceream non adhiberet: Demum ſub gravi peccato requiritur Miniſter unus maſculus, non femina. Ideo in celebrandi neceſſitate potius abſque Miniſtro celebrandum eſſet, quam ad miniſterium feminam admittere: Hæc tamen diſtans a longe reſpondere poſſet, modo maſculus immediate Sacerdoti miniſtraret, tunc enim ipſemet Sacerdos abſque peccato veniali ſibimet miniſtrare poteſt.

R. 2. Ex parte vaſorum. 1. Calix ſaltem quoad cuppam, & Patena debent eſſe ad minus ſtannea, non vero lignea, lapidea, ferrea, ærea, aut vitrea, ut conſtat cap. *Et calix, de Conſecr. diſt.* 1. & ab Epiſcopo conſecrata, & utrumque ſub gravi peccato. Nec conſecrationem amittunt per novam, etiam intus, deaurationem, bene quidem per notabilem fractionem. Nec eam acquirunt per celebrationem in eis factam, quia celebratio ad eorum conſecrationem non eſt ordinata.

R. 3. Ex parte Veſtium, omnibus Sacerdotibus ſub pœna excommunicationis ferendæ ſententiæ, Zachar. Papa prohibuit c. 57. de Conſ. diſt. 1. ne quis tecto capite audeat celebrare, idque poſt ipſum diſtricte inhibuit Urb. VIII. Unde hæc videtur gravis obligatio. Rubricæ jubent quidem, ut nonniſi calceatis pedibus celebretur, ſed magis ad decentiam quam ad obligationem ſpectat. Ideo Religioſi Diſcalceati, cum abſque indecentia, item abſque peccato celebrare poſſunt. 2. Ex præcepto gravi, neceſſaria ſunt Amictus, Alba, Cingulum, Manipulus, Stola, & Caſula, & hæc omnia benedicta. Excipiunt tamen nonnulli Auctores Cingulum ob materiæ levitatem, quod non benedictum adhibere, mortale non cenſent, putantes de cætero, loco ipſius Stolam in neceſſitate uſurpari poſſe. Cingulum autem benedictionem ſuam amittit, cum in duas partes frangitur,

tur, quarum neutra Sacerdotem debite cingere poſſit. Idem cum proportione de cæteris veſtibus dicendum eſt.

Porro in neceſſitate gravi, prout ſi in magnâ ſolemnitate populus Miſſam expectaret, nec abſque ſcandalo & murmure dimitti poſſet, etiam ſine Stola aut Manipulo celebrare liceret; at ſine omnibus veſtibus Sacrum facere nulla urgente neceſſitate licitum non eſt, niſi forte ex metu mortis, modo tamen in contemptum Religionis non incutiatur.

Quær. 4. Utrum Miſſalis Rubricæ ſint obligatoriæ, & quantum?

Rſ. 1. Inter Miſſalis Rubricas, aliæ ſunt tantum directoriæ, aliæ obligatoriæ, non quidem de ſe, ſed quatenus vel a jure naturæ, vel a divino poſitivo, vel ab Eccleſiaſtico ſunt præceptæ, & eorum obligatio poteſt eſſe vel gravis, vel levis, juxta gravitatem, vel levitatem materiæ, & ſignificationis ab Eccleſia intentæ. Igitur ne vanis ſcrupulis juniorum Sacerdotum conſcientias exponamus, accurate diſtinguendæ ſunt Rubricæ directoriæ tantum ab obligatoriis, & Rubricæ ſub veniali tantum obligatoriæ, ab obligatoriis ſub mortali. Circa quod

Rſ. 2. Inter directorias tantummodo Rubricas ſequentes ſunt recenſendæ. 1. Quod Sacerdos celebraturus prius vacet orationi. 2. Quod tales Pſalmos, cum quibuſdam verſiculis & orationibus recitet. 3. Quod Matutinum & Laudes ante celebrationem perſolverit, dum nempe Horarum Canonicarum Officium a Miſſa diſcrepat: Si enim cum ipſa concordet, veniale eſt ante Matutini & Laudum ſolutionem celebrare; prout veniale eſt abſque juſta cauſa ordinem Officii divini pervertere, non vero mortale; quia Matutinum neceſſariam cum Miſſa connexionem non habet. Ideo ob rationabilem cauſam, puta quia Miſſa expectatur, & adeſt major celebrandi commoditas, abſque

pec-

peccato celebrari poteſt ante perſolutum M
tinum.

Bx. 3. De ſe veniale eſt. 1. Orationes in ſe
ſtiendo recitari ſolitas omittere, *Gloria in e*
*ſis*, *Credo*, *Evangel. S. Joannis* in fine, unam
alteram Orationem, dum plures ſunt dicen
additamentum tempore Paſchali, Pentecoſtes,
faciendum in Oratione *Communicantes*, aut
*igitur*, unum aut alterum Sanctum in Cane
aut unum aut alterum verbum, nonnullas o
rum elevationes, cervicis inclinatines, & gen
xiones; hæc omnia ex negligentia prætermitt
tantummodo ſunt venialia, tum quia parva
materia, tum quia ſæpius multa ex iſtis, in
buſdam Miſſis, omittuntur. 2. Ex devotione
diſcreta pauca ſuperaddere, etiam in Canone
nomen Patroni ſui recenſere, aut nomen Pr
tis, aut Archiepiſcopi, loco nominis Epiſc
ſupponere, etiam cenſentur venialia ob ſup
ſtam rationem. 3. Miſſam pro altera celebr
aut Miſſam votivam vel de *Requiem* in feſto
plici aut Octavis, aliiſque feriis prohibitis
tare, non videtur niſi veniale, cum nulla a
reat lex ad id graviter obligans. Aliud f
eſſet, ſi die Dominica aut feſtis ſolemnibu
fieret, propter gravem indecentiam & inor
tionem.

Dixi *per ſe*, nam hæc per accidens eva
mortalia. 1. Dum inde grave exurgit ſcanda
2. Dum adeſt contemptus. 3. Dum hæc fiun
conſuetudine aut habituali indevotione & negl
tia, quia tunc adeſt contemptus ſaltem interp
tivus. 4. Dum id fit cum intentione novum
tum introducendi; prout faciunt hujus tem
Novatores, Miſſæ ſecreta alta voce proferen
circa quod nulla adeſt materiæ parvitas ob
mam innovantis temeritatem, gravemque i
dientiam.

Bx.

R. 4. Mortale eſt *de ſe* partem Miſſæ notabilem præterire. 1. Epiſtolam. 2. Evangelium. 3. Omnes Collectas. 4. Oblationem panis & vini. 5. Fractionem Hoſtiæ. 6. Ejus elevationem. 7. Mixtionem particulæ cum Sanguine. 8. In Canonis recitatione voluntarias admittere diſtractiones, non autem extra Canonem: dixi *de ſe*, quia inadvertentia omnino involuntaria tum in ſe, tum in ſua cauſa, a mortali excuſat, ut patet. Hinc.

Adverte pro hujus materiæ coronide. 1. Juxta D. Thom. 3. part. quæſt. 83. art. 6 ad 5. Si Sacerdoti probabiliter conſtet ſe aliqua omiſiſſe, quæ non ſunt de neceſſitate Sacramenti, *propter hoc*, inquit S. Doct. *non debet reſumere, immutando ordinem Sacrificii, ſed debet ulterius procedere, &c.* Niſi forte quod omiſit, vel ad integritatem Sacramenti pertineat, vel ita ad ſubſequentem cæremoniam ſit requiſitum, ut una ſine altera fieri non poſſit; qualis eſt fractio Hoſtiæ erga commixtionem ſpeciei panis cum ſpecie vini. 2. Si quis abſoluta Miſſa recordetur ſe non conſecraſſe, non debet ſupplere defectum; quia tunc eſſet actio omnino diſtincta, & abſoluta, quæ priorem complere non cenſeretur. 3. Qui Miſſam tanta celeritate celebrat, maxime ex conſuetudine, ut vix in celebratione quadrantem Horæ integrum impendat, a mortali peccato excuſandus non videtur, tum propter adſtantium ſcandalum, tum propter irreverentiam tanto Sacramento illatam, tum propter interpretativum contemptum Sacrificii, ſic quaſi perfunctorie celebrati. Econtra, qui adeo lente Miſſam celebrat, ut tres in hac celebratione quadrantes impendat, a veniali ſaltem excuſandus non eſt, propter tædium, ac indevotionem, quam adſtantibus ingerit.

4. Parochus, Capellanus, Ædituus, & ceteri ad quos ſpectat, munditiam Eccleſiæ, Altaris, Ornamentorum, Veſtium, aut Vaſorum notabiliter

negligentes, mortaliter peccant, propter ſupradictas rationes, ut cuilibet attendenti patebit.

## DISSERTATIO IV.

### *De Pœnitentiæ Sacramento.*

UT latiſſimam pœnitentiæ materiam certis concludamus limitibus, in ſeptem capita hanc Diſſertationem partiri neceſſarium duximus. 1. Erit de exiſtentia Pœnitentiæ. 2. De ejus eſſentia. 3. De prima ejus parte, Contritione ſcilicet. 4. De Confeſſione. 5. De Abſolutione Miniſtri. 6. De Satisfactione. 7. De Sacramenti Pœnitentiæ effectibus.

## CAPUT I.

### *De Pœnitentiæ Exiſtentia.*

*Not.* 1. PŒnitentiæ nomen perperam a Lutheranis, & Calviniſtis uſurpari pro ſimplici *Reſipiſcentia*. Cum enim doceant, gravia quæque ſcelera poſt Baptiſmum abſque dolore, & labore poſſe expiari, pœnitentiam eorum remiſſivam non agnoſcunt, niſi ſub vitæ emendationis aut mutationis nomine. Catholici vero a Scriptura & Patribus edocti pœnitentiam eſſe agendam *in jejunio, & fletu, & in planctu*, vocabulum pœnitentiæ uſurpant pro *pœna*, & verbum *pœnitere* pro pœnam tenere, eo quod pœnitens de peccatis doleat, & dolendo ipſa puniat.

*Not.* 2. Duplicem diſtingui ſolere pœnitentiam: unam, quæ Virtus: alteram, quæ Sacramentum dicitur. Pœnitentia *Virtus*, eſt *animi dolor ac deteſtatio de peccato commiſſo, cum propoſito Deum placandi, & non peccandi de cætero*. Pœnitentia vero *Sacramentum* recte definitur: *Sacramentum*

No-

*Novæ Legis a Christo institutum, quo peccata post Baptismum commissa delentur.* De priori commodius agemus, dum de Contritione: de posteriori nunc nobis agendum est, dicendumque, ipsam varia fortiri ex antiquis Patribus nomina. Nam 1. dicitur *Exomologesis*, quæ vox Græca idem sonat ac Confessio. 2. *Manus impositio*, quia olim per manus impositionem administrabatur. 3. *Baptismus laboriosus*, quia absque pœna & dolore non obtinetur. 4. *Tribunal* Sacramentale, quia omnia ad judicium requisita concurrunt: *Reus & Accusator*, scilicet Pœnitens; *Testis*, ipsamet ejus conscientia; *Judex* Sacerdos; *Sententia*, peccatorum absolutio aut retentio. Dicitur denique *Sacramentum reconciliationis & expiationis*, *& Secunda post naufragium tabula*, cujus rationes satis patent.

*Not.* 3. Circa Pœnitentiæ existentiam varie varii erraverunt hæretici, tum antiquiores, tum recentiores. Montanus, & Novatus docuere, nullam in Ecclesia extare potestatem remittendi peccata; quem errorem nonnulli eorum Discipuli mitigarunt, contendentes esse quidem in Ecclesia hanc potestatem circa leviora peccata, non circa graviora; Homicidium videlicet, Idololatriam, Blasphemiam, Mœchiam, Fornicationem, &c. Moderni vero hæretici, Calviniſtæ scilicet, & nonnulli ex Lutheranis, potestatem peccata remittendi a potestate conferendi Baptismum non distinguunt, asseruntque peccata remitti mediante prædicatione, qua memoria fidesque in Baptismum excitantur, nihilque in hoc ab Ecclesiæ Ministris conferri, quam quod, ad externum Ecclesiæ regimen, peccata esse remissa simpliciter declarent. Contra quos

Dico I. Extat in Ecclesia potestas peccata remittendi etiam gravissima, post Baptismum commissa.

*Prob.* Ex verbis Christi Domini Matt. 18. *Quæcumque alligaveritis super terram, erunt ligata & in cælo; & quæcumque solveritis, erunt soluta*; & Jo: 20. *Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta sunt.* Quæ verba ad jam Baptizatos præsertim spectant; cum enim ligandi & solvendi potestas sit judiciaria, & Ecclesia hanc non habeat nisi in suos: *Quid enim mihi*, inquit Apostol. *de his qui foris sunt judicare?* evidens est, de peccatoribus, qui per Baptismum in Ecclesia sunt, maxime a Christo sermonem fieri. Quod autem Ecclesia etiam graviora peccata remittendi potestate præstet, patet ex verbis *Quæcumque, & quorum remiseritis*, quæ nullum flagitium nullumque flagitiosum ab hac potestate eximunt, juxta illud ab omnibus receptum axioma; Qui dicit *omnem*, nihil proculdubio excipit. Unde D. Ambr. lib. 1. de Pœnitentia c. 3. *Deus distinctionem non facit*, inter graviora scilicet, & leviora peccata, aut inter Baptizatum, & non baptizatum, *qui misericordiam suam promisit omnibus, & relaxandi licentiam Sacerdotibus suis sine ulla exceptione concessit.*

*Confirm.* 1. Ex constanti Ecclesiæ Traditione, & Disciplina omnium sæculorum; ubique siquidem & semper post Baptismum lapsis in quibuslibet peccatis veniam indulsit Ecclesia. 2. Ex Decretis Ecclesiæ, quibus olim damnati sunt Montanistæ, Novatiani, & demum ex Patribus, qui hos hæreticos scriptis suis exagitavere. Cyprian. Epist. 54. ad Cornel. de lapsis. Ambros. supra citat. August. serm. 352. &c. quos referre longius esset.

Dico II. Ecclesiæ Ministri non solum declarant remissa esse peccata, sed & ea vere remittunt.

*Prob.* 1. Ex supra citatis Matthæi & Joannis tex-

textibus, ubi Chriſtus abſque ulla ambiguitate dicit ſolvenda eſſe in cœlis, quæ Apoſtoli ſolverint in terra, promittitque eorum ſententiam ſe ratam habiturum. 2. Ex Traditione Eccleſiæ, quæ ſemper & ubique docuit ſibi ineſſe veram ac propriè dictam peccata remittendi poteſtatem. 3. Ex Patrum omnium apertiſſimo teſtimonio. Chryſoſt. Hom. 4. de verb. Iſai. *Noſtris Sacerdotibus animæ ſordes, non dico purgatas probare, ſed & purgare prorſus conceſſum eſt*; & Hom. 5. expreſſe aſſerit Chriſtum eamdem auctoritatem Apoſtolis communicaſſe, quam ipſe habebat a Patre. Hilar. in Matth. 16. *O beatus cœli Janitor, cujus terreſtre judicium præjudicata ſit auctoritas in Cœlo*. Leo Serm. de Transfig. *Nec in ligandis aut ſolvendis quorumcumque cauſis, aliud ratum eſt in Cœlis, quam quod Petri ſedet arbitrio*. Bern. Serm. 1. in Nat. 1. Petr. & Paul. *Quid potentius Petro, qui Claves Regni Cœlorum tam ſingulariter accepit, ut præcedat ſententia Petri ſententiam Cœli*!

*Confirm.* variis rationibus. 1. De fide eſt, juxta Eug. IV. Decretum, abſolutionem a peccatis eſſe Sacramenti Pœnitentiæ effectum; quod utique falſum eſſet, ſi in ipſo declararetur tantum jam eſſe remiſſa. 2. Vanus eſſet hujus Sacramenti uſus, cum fruſtra remiſſa eſſe peccata Sacerdotes declararent; vel Deo qui omnia novit, vel ipſi pœnitenti, qui longe melius novit quæ apud ſe aguntur, quam Miniſter qui de internis judicare non valet. 3. Si hujus Sacramenti adminiſtratio in ſola hac declaratione conſiſteret, nulla prorſus juriſdictione Sacerdos indigeret. 4. Eadem eſt Eccleſiæ auctoritas in conferenda Pœnitentia, quam in Baptiſmo conferendo. Atqui in iſto vere peccata remittit. Ergo & in illo.

Dico III. Pœnitentiæ verum ac ſpeciale Novæ Legis eſt Sacramentum.

*Prob.* 1. Tria neceſſaria ad conſtituendum ſpe-

ciale Pœnitentiæ Sacramentum in Scriptura
primuntur. 1. Quod ſit ſignum ſenſibile; cum en
Chriſtus dixit: *Quorum remiſeritis*, loquitur p
fecto de his, qui ad Eccleſiæ claves confugiun
quique aliquo ſigno reos ſeſe declarant, ſimulc
abſolvuntur. 2. Adeſt divina inſtitutio, & quidi
permanenter, cum hanc poteſtatem abſolvend
abſque temporis limitatione Eccleſiæ conceſſeri
3. Adeſt gratiæ promiſſio, cum ſine gratiæ in
ſione peccata remitti non poſſunt. Ergo.

*Prob.* 2. Ex perpetua praxi, & traditione E
cleſiæ, atque unanimi SS. Patrum conſenſu.
S. Epiph. Hær. 59. definiente, iis, qui poſt l
ptiſma peccant, ſubveniri non poſſe Baptiſmate
ſed alio remedio, quod eſt Pœnitentia. Ex Ch
ſoſtom. lib. 3. Sacerd. docente, Sacerdotes n
ſolum nos regenerare, ſed etiam poſtea condon
dorum nobis peccatorum poteſtatem habere.
Aug. lib. 5. de Baptiſmo c. 20. diſtinguente du
modos peccata remittendi, Baptiſmum, & Pœ
tentiam. Accedunt Regulæ omnes antiquitus, tr
a Patribus, tum a Conciliis fere omnibus tra
tæ, ad rectam hujus Sacramenti adminiſtrati
nem. Accedit demum Conc. Later., Flor. ſeſſ. u
Conſt. ſeſſ. 8. & Trid. ſeſſ. 14. ubi contrarium ſe
tientes anathematizantur.

*Confirm.* Specialiter Pœnitentiam Sacramentu
eſſe a Baptiſmate diſtinctum ac diverſum; tu
quia, ut patet, diverſam habet materiam, dive
ſam formam; immo & Miniſtrum diverſum, cu
Baptiſmi Miniſter perſonam Judicis non ſuſtinea
bene autem Miniſter Pœnitentiæ: tum quia Pœ
tentia a Patribus omnibus cum Tertull. de Pœ
nitentia c. 4. Ambr. in Pſal. 27. Hier. in c. 5
Iſaiæ Epiſt. 63. ad Pam. vocatur *Secunda ſpes*;
*cunda*, proindeque a prima, nempe Baptiſmi,
verſa, *poſt naufragium tabula*: tum quia in pri
ribus Eccleſiæ ſæculis Montaniſtæ, & Novatiani

tam-

tamquam Hæretici, ſemper dmnati ſunt, quamvis Baptiſmum admitterent, & quia præciſe Pœnitentiæ Sacramentum, tamquam ab ipſo diſtinctum, non admittebant.

Quær. Quandonam Chriſtus Dominus hoc Sacramentum inſtituit?

℟. Cum Trid. ſeſſ. 14. c. 1. *Dominus hoc Sacramentum tunc præcipue inſtituit, cum a mortuis excitatus inſufflavit in Apoſtolos ſuos dicens: Accipite Spiritum ſanctum, quorum remiſeritis peccata, &c. Quo tam inſigni facto, & verbis tam perſpicuis, poteſtatem remittendi & retinendi peccata, ad reconciliandos Fideles poſt Baptiſmum lapſos, Apoſtolis & eorum legitimis ſucceſſoribus fuiſſe communicatam, univerſorum Patrum conſenſus ſemper intellexit.*

Dices: Antequam pateretur Chriſtus dixit Petro: *Quodcumque ſolveris, &c.* Et omnibus Apoſtolis: *Quæcumque alligaveritis, &c.*

℟. Poteſtatem illam tunc promiſſam fuiſſe, non datam: quod patet, tum quia Chriſtus dixit: *Tibi dabo*, quæ arguunt tempus futurum, tum quia minime conveniebat Apoſtolos auctoritatem obtinere in Corpus Chriſti myſticum, prius quam eam haberent in ejus Corpus naturale, quam poteſtatem proculdubio non habuerunt niſi in ultima Cœna; tum quia tandem, juxta voluntatis ejuſdem Chriſti Domini diſpoſitionem, *oportebat Chriſtum pati & reſurgere a mortuis, & deinde prædicari in nomine ejus Pœnitentiam, & remiſſionem peccatorum in omnes gentes.*

## CAPUT II.

### *De essentia Sacramenti Pœnitentiæ.*

DUplex est, sicut & aliorum Sacramentorum, Pœnitentiæ essentia, metaphysica una, physica altera. Metaphysicæ ejus essentiæ notitiam jam supra dedimus, dum ejus germanam attulimus definitionem. Hic agitur de ejusdem physica essentia, exponendumque restat, ex quibus quasi partibus Sacramentum Pœnitentiæ coalescat, materia nimirum, & forma, sequentibus quæstionibus.

## QUÆSTIO I.

### *Quænam sit Sacramenti Pœnitentiæ materia.*

*Not.* DUplicem esse Pœnitentiæ materiam, *circa quam* scilicet, & *ex qua*. Prima est objectum, circa quod versatur Sacramentum, dicitur que materia remota. Secunda est id, ex quo Sacramentum conficitur, vocaturque materia proxima. Circa priorem, gravis non est inter Theologos controversia. Concedunt omnes peccata post Baptismum commissa esse materiam Pœnitentiæ remotam, sive ea sint venialia, sive lethalia, sive hæc jam sint confessa, sive non, cum hoc solo discrimine, quod peccata venialia & mortalia jam confessa, sint materia libera, cum jam remissa sint, vel alia via possint remitti. Sola igitur controversia esse potest, utrum simplices imperfectiones, idest actiones vel omissiones consiliis tantummodo, non præceptis repugnantes, materia sint Sacramenti Pœnitentiæ. Circa posteriorem vero gravior exurgit controversia, utrum scilicet actus Pœnitentis, contritio nimirum, confessio

fessio, & satisfactio sint materia proxima Pœnitentiæ, an sola absolutio; quæ, ut nonnulli docent, hujus Sacramenti est materia; quatenus sonus est sensibilis; forma vero, quatenus significat & exprimit peccatorum remissionem: in qua sententia actus Pœnitentis nihil aliud sunt, quam dispositiones ad Sacramentum essentialiter requisitæ. Igitur

Dico I. Simplices imperfectiones sunt materia ad Sacramentum sufficiens.

*Prob.* Quidquid rationem aliquam peccati habere potest, id sane potest esse materia Sacramenti Pœnitentiæ. Atqui imperfectiones simplices rationem peccati possunt habere. Ergo. Id siquidem rationem peccati habere potest, quod rationem habet culpæ, quæ pœnam aliquam meretur, & remissione indiget, potestque objectum esse contritionis. Atqui divinis inspirationibus v. gr. non fideliter obtemperare; nonnullas mortificationes ad perfectionem conducentes negligere; Superioribus morem non gerere aliquid a nobis desiderantibus, licet ad peccatum obligare nolentibus; exiguam, licet sufficientem, ad communionem & confessionem adhibere dispositionem, & similia, quæ inter simplices imperfectiones recensentur, veræ sunt culpæ, pœnam aliquam in Purgatorio merentur, remissione indigent, &c. Ergo possunt esse materia absolutionis. Adverte tamen, quod cum non omnino certa sit hæc sententia, pro majori securitate addendum est in Confessione aliud indubitatum peccatum.

Dico II. Tres actus Pœnitentis, & nullatenus Absolutio, sunt materia proxima Pœnitentiæ.

*Prob.* 1. Ex Conc. Trid. docente sess. 13. c. 3. *ipsius Pœnitentis actus esse quasi materiam hujus Sacramenti.* Nec in ea re dubium parit particula *quasi*; cum a Concilio non sit addita, inquit Concil. Catech. part. 2. c. 5. quia actus pœniten-

tis *vere materiæ rationem non habent, sed quia ejus generis materia non sint, quæ extrinsecus adhibeatur, ut aqua in Baptismo, & chrisma in Confirmatione.* Quod apertissime patet ex ipsomet Concilio subdente, actus pœnitentis *Pœnitentiæ partes esse*, intrinsecæ scilicet, eam componentes; quandoquidem quodlibet compositum ex partibus intrinsece constituatur, non vero ex dispositionibus ad ejus compositionem seu formationem requisitis.

*Prob.* 2. Juxta Decretum Eugenii IV. forma & materia a se invicem distinguuntur; nam juxta ipsum Sacramenta pluribus rebus, proindeque a se invicem distinctis, perficiuntur: *Rebus tamquam materia, & verbis tamquam forma.* Atqui Absolutio est forma. Ergo non est materia; ne quidem, ut ajunt adversarii, ex parte qua est sensibilis; cum forma item sensibilis esse debeat, proindeque per hoc rationem formæ amittere non possit.

*Prob.* Ratione multiplici. 1. Quia Concilium numquam dixit, aut dicere potuit, simplices ad Sacramenta dispositiones ipsorum materiam aut quasi materiam esse: alioquin Fides, & Spes dici etiam ab ipso potuissent quasi materia Pœnitentiæ; cum hæc non minus prærequirantur, quam Contritio & Confessio. 2. Hoc Sacramentum per modum judicii fuit institutum: sed omne judicium non minus rei accusatione ac denunciatione constat, quam judicis sententia. 3. Actus Pœnitentis non minus ad gratiam reconciliationis obtinendam in Pœnitentia conferunt, quam aquæ ablutio in Baptismo confert ad obtinendam regenerationis gratiam. Item ablutio in Baptismate & actus Pœnitentis in Pœnitentia ad has gratias non minus conferunt, quam verba in utroque Sacramento prolata. Ergo his Sacramentis non minus sunt essentialia.

QUÆ-

## QUÆSTIO II.

### *Quænam ſit Pœnitentiæ forma.*

*Not.* PEr formam Pœnitentiæ intelligi Abſolutionis verba ſuper Pœnitentem a Sacerdote prolata. De hac quæri poteſt 1. Quænam ſint verba neceſſaria neceſſitate Sacramenti, quænam neceſſitate præcepti. 2. Quo ſenſu hæc verba proferantur.

Dico I. Sola hæc verba, vel æquivalentia, ſunt de neceſſitate Sacramenti, *Abſolvo te.*

*Prob.* Ea ſola verba ſunt neceſſaria, quæ ſufficienter exprimunt tum Miniſtrum, tum gratiam collatam, tum etiam ſubjectum, cui confertur. Atqui hæc ſola verba id totum efficiunt. Ergo. Nam in verbo *Abſolvo*, *Ego*, perſona ſcilicet Miniſtri includitur, nec non gratia quam confert reconciliationis & condonationis; & in pronomine *te* perſona, cui hæc gratia confertur. Abſolute autem neceſſarium non videtur addere *a peccatis tuis*, tum quia ſine ipſis gratia condonationis exprimitur; tum quia ex Confeſſione Pœnitentis, quæ præceſſit, ſatis per verbum *Abſolvo* denotantur. Hinc patet validam eſſe hanc formam: *Mediocritas mea habet te venia donatum & abſolutum*; quæ forma Græcorum dicitur; quia Latinæ æquivalet, cum eamdem habeat ſignificationem.

Dico II. Hæc verba ſequentia: *Ego te abſolvo a peccatis tuis, in nomine Patris & Filii, & Spiritus Sancti*, neceſſaria ſunt neceſſitate præcepti; ita ut qui his adderet, aut ſubtraheret, vel unicum vocabulum, regulariter loquendo, mortaliter peccaret.

*Prob.* Quia in materia gravi praxim & uſum Eccleſiæ præterniteret ac violaret. Cavendum

eſt igitur, ne quis proferat ab *omnibus* peccatis tuis; cum id praxi Eccleſiæ non ſit conforme: adde quod forma quandoque ſic prolata falſum enunciaret; quia venialia omnia ſemper per abſolutionem, ut patet, non remittuntur; & aliunde expreſſio indefinita *a peccatis tuis*, univerſali poteſt æquivalere. Quod ſpectat ad preces abſolutionem prævenientes & ſubſequentes, ſub præcepto non cadunt tam rigoroſo: ideo qui eas omitteret, etiam ſine neceſſitate, peccati venialis tantummodo reus eſſet: immo nullius, ſi neceſſitas aliqua urgeret, qualis eſſe poteſt magna Pœnitentium concurrentium multitudo.

Dico III. Senſus formæ Pœnitentiæ non eſt: *Supplex Deum rogo, ut condonet tibi peccata tua*: nec, *Declaro tibi remiſſa eſſe peccata*: nec, *Remitto tibi pœnam peccatis debitam*: nec *Confero tibi gratiam peccati remiſſivam*; & nullus alius eſt formæ ſenſus, niſi ſimplex & obvius; nimirum, *Condono*, aut *remitto peccata tua*.

*Prob.* 1. pars. Quia qui formam eo ſenſu exprimeret, ſenſum hæreticum proferret. De fide ſiquidem a Trident. definitum eſt ſeſſ. 14. Can. 9. *Abſolutionem Sacramentalem Sacerdotis eſſe actum judicialem*. Actus autem judicialis ſenſum deprecatorium habere non poteſt. Ergo nec Abſolutio Sacramentalis: unde D. Thom. ſententiam contrariam *temerariam* merito cenſet ac *præſumptuoſam*. Opuſc. 11. c. 1.

*Prob.* 2. pars. Ex dictis ſupra cap. 1. concluſ. 2. ubi probavimus Eccleſiæ Miniſtros non ſolum declarare peccata eſſe remiſſa, ſed & ea vere remittere.

*Prob.* 3. pars. Quia hic ſenſus manifeſte eſt erroneus, cum ſupponat per abſolutionem reatum culpæ non remitti, ſed tantummodo reatum pœnæ; proindeque Pœnitentiæ Sacramento reconciliationis gratiam non obtineri.

*Prob.*

*Prob.* 4. pars 1. Quia Abſolutio pro objecto habet immediato peccata remittenda, non autem gratiam infundendam. 2. Quia peccatorum remiſſio prior eſt natura, quam gratiæ infuſio. 3. Quia Sacerdos abſolvens auctoritate divina, qua pollet, immediate peccata dimittit, & ſolus Deus gratiam immediate infundit. 4. Quia de potentia Dei abſoluta poſſet Deus peccata condonare ob ſolam extrinſecam Sacerdotis abſolutionem, citra gratiæ infuſionem. 5. Quia commune eſt omnibus Sacramentis gratiam conferre, quæ de ſe peccati eſt remiſſiva.

*Prob.* 5. pars, nullum alium ſenſum eſſe excogitandum, quam naturalem & obvium. Vel enim hæc forma, *Abſolvo te*, de ſe alium ſenſum importat, quam peccatorum condonationem, vel nullum alium. Si nullum alium, quorſum alius quæritur aut excogitatur? Si aliuin ſenſum, & quidem neceſſarium, ut volunt adverſarii, importat; cur non juſſit Eccleſia ipſum clare exprimi? cum formæ Sacramentorum, eorum effectum, modumque producendi clare exprimere debeant. Ex dictis.

Colligitur quatuor extare Pœnitentiæ partes, tres ex parte Pœnitentis, Contritio, Confeſſio, Satisfactio; & una ex parte Sacerdotis nempe Abſolutio, de quibus ſigillatim nunc agendum.

## CAPUT III.

### *De Contritione.*

IN hoc capite diſcutienda nobis veniunt. 1. Quid, & quotuplex ſit Contritio. 2. Quænam ſint contritionis conditiones in Sacramento requiſitæ. 3. Utrum Attritio abſque ullo Dei amore, ad juſtificationem in Sacramento ſufficiat. 4. Quænam ſit Contritionis neceſſitas.

QUÆ-

## QUÆSTIO I.

### *Quid, & quotuplex ſit Contritio.*

*Not.* COntritio, cujus nomen a verbo *conterere* ſeu perfringere, aut comminuere derivatum eſt, quatenus cor peccatoris dolore diſcerpit ac diſtrumpit, actualiter ſumitur, & habitualiter. Actualiter ſumpta, eſt ipſemet actus Contritionis aut Pœnitentiæ, habitualiter vero eſt habitus Pœnitentiæ, ſeu Pœnitentiæ virtus, quæ diſtinguitur a Pœnitentia prout Sacramentum, ut patet. Deinde Contritio ſeu Pœnitentia, alia eſt perfecta, alia imperfecta. Quæ omnia accurate ſunt exponenda.

Dico I. Virtus Pœnitentiæ eſt *vera virtus ſupernaturaliter infuſa, ab aliis diſtincta, inclinans hominem ad dolorem de peccato ejuſque deteſtationem, quatenus eſt offenſa Dei, cum voluntate Deo ſatisfaciendi.*

*Prob.* Concluſio, & per partes exponitur. 1. Dicitur *vera virtus*, & quidem magna, inquit Gregorius Magnus. Ea ſiquidem eſt vera virtus, quæ declinat a malo quod deteſtatur, & inclinat ad bonum, ad ſumendam ſcilicet de eo vindictam. 2. Dicitur *ſupernaturaliter infuſa*; tum quia tendit ad Deum ſupernaturaliter cognitum, tum quia actus ejus ſunt ad gratiam diſpoſitiones, quæ proculdubio non habentur abſque præveniente Spiritus Sancti inſpiratione; tales autem ſunt habitus, quales ſunt actus ab eo procedentes.

3. Dicitur *ab aliis diſtincta*, non ſolum quod objectum formaliter ab aliis virtutibus diverſum habeat, nempe Dei offenſam; ſed quia ſuperandam habet ſpecialem difficultatem, nempe peccato commiſſo ſatisfaciendi.

4. Di-

4. Dicitur *inclinans hominem*, ſcilicet voluntatem ejus, quæ eſt hujuſce virtutis immediatum ſubjectum.

5. Dicitur *ad dolorem de peccato, & ejus deteſtationem*, juxta Conc. Trid. definitionem declarantis ſeſſ. 14. c. 4. *Contritionem non ſolum ceſſationem a peccato & vitæ novæ propoſitum & inchoationem, ſed veteris etiam odium continere.*

6. Dicitur *de peccato*, quod eſt ejus objectum materiale, circa quod verſatur Pœnitentia.

7. Dicitur *quatenus eſt offenſa Dei*, quod eſt proprium motivum Pœnitentiæ & objectum ejus formale, per quod objectum ab aliis virtutibus Deum reſpicientibus diſtinguitur. Nam Fides Deum reſpicit ut ſumme in dicendo veracem; Spes, ut nobis ſumme bonum; Charitas, ut ſumme in ſe amabilem; Religio, ut colendum. Deinde: Id eſt objectum formale alicujus virtutis, ex quo omnes ejus eſſentiales proprietates prodeunt: ex eo autem quod peccatum ſit offenſa Dei, conſequitur quod de ipſo Pœnitens doleat, ipſumque deteſteatur, Deumque placandi, ejque ſatisfaciendi efficax deſiderium concipiat. Ideo

8. Dicitur *cum voluntate Deo ſatisfaciendi*; ex quo ſequitur Pœnitentiæ virtutem ad juſtitiam commutativam, non quidem proprie, ſed ſecundum quid dictam, pertinere. Nec enim peccator quod Deo abſtulit, ad æqualitatem reddere poteſt, ac tenetur; ſed quodam modo magis minuſve, juxta peccati ſui gravitatem ac levitatem. Hinc

Collige actualem Pœnitentiam ſeu contritionem recte definiri ex Trid. citato: *Animi dolor ac deteſtatio de peccato commiſſo, cum propoſito non peccandi de cætero.* In quo dolore & in qua deteſtatione peccati, quatenus eſt Dei offenſa, includitur eſſentialiter Deum placandi, ipſique ſatisfaciendi propoſitum: alioquin nec verus eſſet dolor, nec

ſince-

ſincera deteſtatio, ut patet. Nam qui peccatum ſincere deteſtatur, eo ipſo auctorem ejus deteſtatur, ipſumque punire proponit & deſiderat.

Dico II. Contritio perfecta, quæ proprie dicitur contritio, ab imperfecta, quæ attritio nuncupatur, differt, non accidentaliter & gradualiter ſed eſſentialiter & ſpecifice.

*Prob.* Ille actus eſſentialiter ac ſpecifice ab alio differt, qui habet motivum eſſentialiter ac ſpecifice ab alio diverſum. Atqui contritio perfecta motivum eſſentialiter ac ſpecifice diverſum a motivo attritionis habet. Ergo eſſentialiter & ſpecifice contritio perfecta ab imperfecta differt. Major eſt certa & evidens. Minor patet ex Trident. ſeſſ. 14. cap. 4. docente eam eſſe contritionem perfectam, quæ a *charitate perfecta* eſt, ſeu perficitur, id eſt quæ charitatis veræ ac proprie dictæ motivo excitatur. Attritionem autem eam eſſe, quæ vel ex turpitudinis peccati conſideratione, vel ex gehennæ & pœnarum aut amittendæ æternæ beatitudinis metu, vel ex quolibet alio ſupernaturali motivo charitatis in Deum propter ſe ſumme dilectum interiori, concipitur. Hinc collige quanta ſit quorumdam Novatorum temeritas, qui Concilii Œcumenici in exponendis Fidei Dogmatibus auctoritatem flocci facientes, communiorem Fidelium de contritione, & attritione ideam expungere conantur; contenduntque eam eſſe contritionem perfectam, quæ ex vera charitate Dei propter ſe ſuper omnia intentiſſime dilecti elicitur: imperfectam vero ſeu attritionem, quæ ex eadem ſpecifice ac eſſentialiter charitate, ſed minus intenſa, procedit. Quaſi vero Concilium in re tam neceſſaria exponenda illud charitatis minus intenſæ motivum ſi in attritione neceſſarium fuiſſet, prætermiſiſſet, aut prætermittere potuiſſet. Quaſi vero, inquam potius eorum commentis atque adinventionibus, quam tanti Concilii declarationibus,

bus, ac documentis ( *declarat S. Synod. & docet præterea* ) nobis fides esset adhibenda.

## QUÆSTIO II.

*Quænam sint conditiones Contritionis, ut possit esse Sacramenti materia.*

*Not.* CONtritionis nomen hic sumi generice, prout a Trid. sumitur, dum ejus assignat definitionem sess. 14. c. 4. abstrahendo a contritione perfecta, & imperfecta; a contritione scilicet proprie dicta, & a simplici attritione; & quæritur, quæcumque illa sit contritio, quibus conditionibus, seu qualitatibus donatam esse ad Sacramenti valorem necesse sit.

Dico: Ad Sacramenti validitatem, septem conditionibus Contritionem donatam esse necesse est.

Probatur conclusio, & per partes exponitur.

1. Contritio vera, ac realis esse debet, non tantummodo credita, & existimata.

*Prob.* Quia hæc existimatio, qualiscumque sit, nihil omnino in re ipsa mutat: ideoque si a parte rei non sit dolor necessarius, nulla peccatorum aderit remissio, nullumque Sacramentum, ob defectum scilicet materiæ essentialiter requisitæ. Hæc tamen falsa existimatio, si sit invincibilis, a novo excusabit peccato; quod tamen perraro contingit ob defectum culpabilem probationis & examinis sufficientis.

2. Debet esse formalis & expressa, non solum virtualis, & implicita, quatenus scilicet in actu charitatis comprehenderetur.

*Prob.* Quia, ut mox dictum est, contritio est pars essentialis Sacramenti, pars autem formaliter, & actualiter adesse debet, ut fiat compositum actuale. Ergo.

3. De-

3. Debet esse interna, & spiritualis, nec externa tantum sufficit.

*Prob.* Ex Scriptura Ezech. 18. *Facite vobis cor novum, & spiritum novum. Redite prævaricantes ad cor.* Ratio est, quia remedium, ubi malum est, applicari debet; malum autem est internum. Ergo.

4. Debet esse supernaturalis, tam ex parte principii, quam ex parte motivi.

*Prob.* Quia de fide est, neminem solis naturæ viribus ad gratiam posse disponi. Accedit quod conversio opus sit Fidei, proindeque a motivo a Fide supernaturaliter proposito procedere debet. Hinc damnata est ab Innocent. XI. sequens propositio: *Probabile est, sufficere attritionem naturalem, modo honestam.* Ideo qui peccatum detestaretur solummodo propter ejus moralem, aut civilem turpitudinem, gratiam in Sacramento non consequeretur.

5. Debet esse universalis, ita ut nullum peccatum a dolore suo subtrahat.

*Prob.* Quia contritio dicit essentialiter dolorem de peccato, quatenus est offensa Dei. Sed nullum est peccatum, quod Deum non offendat. Ergo si aliquod nobis complacet, non nobis displicet offensa Dei. Hinc scriptum est Ezech. 18. *Si impius egerit pœnitentiam ab omnibus peccatis suis .... omnium iniquitatum ejus non recordabor.* Et: *Agite Pœnitentiam de omnibus iniquitatibus vestris.* Non requiritur tamen necessario, ut Contritio ad omnia peccata quæ memoriæ occurrunt sigillatim applicetur; sed sufficit ut ad omnia generatim sese extendat, & nullum prorsus excludat; licet, consultissimum sit, inquit Cath. Rom. 2. p. ut singula recolendo de quodlibet sigillatim doleamus. Ratio est, quia cum particularia in universali contineantur, nullum est quod contritio non attingat.

6. De-

6. Debet eſſe ſumma, non quidem intenſive, ſed appretiative; non quidem ſenſibus, ſed interna intimaque voluntate.

*Prob.* 1. pars. Tantus ſiquidem debet eſſe dolor, quantum eſt malum de quo dolemus. Atqui malum de quo dolemus in contritione ſive attritione, eſt omnium malorum maximum. Ergo. Ideo jubet nos Deus per Joel. Proph. cap. 2. ut ad ipſum convertamur *in toto corde noſtro*. Sed qui offenſam Dei non ſumme deteſtatur, ad Deum non convertitur ex toto corde ſuo. Ergo.

*Prob.* 2. pars. Quia non magis tenemur de peccato dolere, quam Deum amare. Atqui nos tenemur ſuper omnia intenſive Deum diligere, ut alibi probavimus, dum de charitate agebamus. Sufficit igitur ut pius de peccato commiſſo doleamus, quam de quolibet alio malo; adeo ut potius eligeremus quolibet bono privari & quodlibet malum perpeti, quam quodliber mortale peccatum admittere.

*Prob.* 3. pars. Quia dolor ſenſibilis in noſtra non eſt poteſtate, cum non ſequatur ſemper voluntatis motum: Adde quod dolor appretiativus de ſe longe major ſit quam quilibet dolor ſenſibilis; ut patet in matre, quæ de morte infantuli ſui ſenſibilius dolet, quam de morte filii majoris, qui tamen ipſi longe carior eſt. Advertendum tamen eſt perraro contingere, quod verus, ac ſummus de immanibus criminibus dolor non aliqualiter ſenſibus, ſaltem internis, ſeſe exhibeat. Ideo de contritione ſua ſecurus eſſe non debet, qui ipſam nullatenus ſentit.

7. Contritionem neceſſario comitari debet formale, & explicitum, efficax, & abſolutum propoſitum non peccandi de cetero, & peccatorum mortalium occaſiones proximas vitandi.

*Prob.* 1. pars. Auctoritate Conc. Florent. hoc propoſitum verbis formalibus in definitione Con-

tri-

trítionis, ultra peccati deteſtationem, exprimentis. Confirmatur ex Baptiſmi ritu, ubi Catechumeni Diabolo & pompis ejus formaliter & expreſſe renuntiare tenentur. Accedit omnium Patrum ſententia, docentium cum Ambroſ. in Pſal. 37. *Pœnitentiam eſſe mala præterita plangere, & plangenda non admittere.*

*Prob.* 2. pars, nempe quod hoc propoſitum debeat eſſe efficax & abſolutum; ita ut quod Pœnitens non ſolum vellet, ſed de facto velit in quavis temporis & loci circumſtantia omne peccatum mortale vitare; alioquin voluntatem peccandi vere non excluderet, ut patet.

*Prob.* 3. pars. Quia qui vult efficaciter finem, vult & media ad ipſum neceſſario conducentia; & qui ea non vult, finem utique nolle cenſetur. Sed occaſio proxima peccandi mortaliter, neceſſario ad peccatum nos protrahit. Ergo qui vult peccatum vitare, eo ipſo occaſionem ejus vitare proponit, & qui eam vitare non proponit, proculdubio non vult peccatum vitare.

Quær. I. Utrum ad Contritionem aliqua requiratur temporis mora?

R. Nulla abſolute requiritur temporis mora; tum ut contritio eliciatur, tum ut acceptetur. Id patet exemplo Davidis & pii Latronis, quorum primus ad vocem Nathan exclamavit: *Peccavi*, & cujus ſtatim Dominus tranſtulit & condonavit peccatum; & alter licet initio ſupplicii ſui Chriſtum una cum ſocio ſuo maledictis afeciſſet, ſtatim ejus divinitatem agnovit, peccata confeſſus eſt, & miſericordiam eſt. conſecutus. Unde D. Chryſoſt. cit. de reparat. lapſi l. 1. c. 4. *Talis eſt erga homines pietas Dei: numquam ſpernit pœnitentiam, ſi ei ſincere & ſimpliciter offeratur .... & quamlibet brevi tempore geſtam ſuſcipit etiam ipſam.* Fatendum tamen eſt longiore temporis mora opus eſſe, ut quis e cœno graviorum

rum peccatorum ex malitia & conſuetudine commiſſorum ita ſtatim emergat, ut ad ſufficientem cordis converſionem veramque contritionem perveniat. Ideoque cum ſupra dictis peccatoribus cum diligentiori examine, diuturniorique probatione agendum; ſcriptum enim Eccleſ. 1. *Perverſi difficile corriguntur*. Circa quod videri poteſt Auguſt. de Muſic. l. 6. c. 4. Chryſoſt. Homil. 12. in Epiſt. ad Hebr. & ceteri bene multi.

Quær. II. Utrum Contritio ante abſolutionem & confeſſionem neceſſario debeat elici?

R. Satis eſt evidens eam eſſe eliciendam ante abſolutionem, cum ipſa ſit Sacramenti materia, & ejus forma, niſi ſuper eam præſentem, non poteſt applicari. Sola igitur poteſt eſſe controverſia de Confeſſione. Circa quod dicendum putamus; licet omnino conſultiſſimum ſit ut Contritio confeſſionem præcedat, id tamen abſolute neceſſe non eſſe; quia contritio ipſam ſubſequens, & ante abſolutionem elicita, in ipſam moraliter influit; cum intra Sacramentum utraque Clavibus Eccleſiæ exhibeatur, proindeque ſimul unum quid morale efficiant. Adde quod cùm dolor non ſit niſi de peccatis mox confeſſis, eum Pœnitens eliciendo, ipſa iterum confiteri cenſetur. Nullus ſiquidem teſtari poteſt ſe de peccatis dolere, quin teſtatur ſimul ea commiſiſſe, & quidem diſtincte; quia de his dolere ſe teſtatur, quorum Confeſſarius diſtinctam habet cognitionem.

## QUÆSTIO III.

*An ſimplex Attritio abſque ullo amore Dei, ad juſtificationem cum Sacramento ſufficiat.*

*Not.* TOtum hujuſce difficultatis ordinem in eo verſari, cujus nempe ſpeciei ac naturæ ſit amor ille, quo Attritio, cum Sacramento pecca-

peccatorem justificans, debet esse informata. Omnes utique credunt initialem amorem, seu initium amoris sufficere, sed in ejus assignanda natura, & essentia dissentiunt. Nonnulli censent illius initium amoris necessario requiri, qui vera ac proprie dicta Charitas dicatur, quique Deum Optimum summe & super omnia propter seipsum diligat. Alii vero contendunt hunc perfectum amorem minime necessarium esse, sed alium specie naturaque sua longe inferiorem. Is duplex est, vel concupiscentiæ, quo Deum ut nobis summe bonum super omnia exoptamus, vel benevolentiæ, quo Deo, non nostri, sed illius gratia bonum aliquod volumus, seu est quidam affectus, nonnullaque benevolentiæ propensio in Deum supernaturaliter cognitum. Circa quod

*Not.* 2. Is gratuitus in Deum affectus in attrito Pœnitente multipliciter concipitur adesse, 1. Dum ipsum vero ac sincero, formali, explicito & summo super omnia amore concupiscentiæ diligit. Videtur namque impossibile, ut qui Deum sic summe concupiscit, aliquo amore benevolentiæ erga ipsum non afficiatur; ut patet in humanis amoribus, ubi nullum invenies vehementissimo amore erga creaturam incensum, qui ipsam aliqua benevolentia non prosequatur. 2. Affectus gratuitus concipitur in attrito Pœnitente adesse, dum non omnia quidem omnino, sed plurima difficilia, sola Dei gratia & perpeti & exequi paratus est; sic multi Peccatores, auditis horrendis in ipsum jactatis blasphemiis, exhorrescunt & excandescunt, sic nonnullas quandoque pro amore Dei eleemosynas largiuntur, sic sæpius erga res divinas optime afficiuntur. 3. Dum virtutem prout virtus est, diligit; nimirum, prout est supernaturaliter bona, justa & laudabilis, eaque præditum se esse vellet. 4. Tandem dum formaliter & expresse Deum super omnia, quia summe amabilis est,

eſt, diligere vellet. Deſiderium ſiquidem amoris, teſte Gulliel. Pariſ. I. Sacram. Pœnit. c. 6. amoris initium eſt. *Qui quærit amare Deum*, inquit, *utique jam amat Deum; licet nondum eo amore, quem quærit. Cum enim quærat amare Deum, utique deſiderat amare Deum: qui autem deſiderat, amat. Amat ergo amare Deum, & non amat illud, niſi propter Deum.* His notatis.

Dico I. Ut Attritio impium cum Sacramento juſtificet, amor initialis, quo Deum vera ac proprie dicta charitate ſuper omnia diligamus, minime neceſſarius eſt.

*Prob.* 1. Ex ante dictis de Charitate Tom. 2. Tract. *de virtutibus & vitiis* diſſ. 2. c. 3. *de Charitate* quæſt. 4. ar. 1. Ubi probavimus quantulamcumque vere ac proprie dictam charitatem de ſe mortale peccatum excludere, & peccatorem etiam citra Sacramentum juſtificare. Ex quo principio, ut vero ſuppoſito etiam juxta adverſarios, ineluctabiliter concluditur. vel eam charitatem in Attritione neceſſariam non eſſe, vel nullas eſſe Sacerdotis partes in conferenda Abſolutione: nihilque in terra ſolvere poſſe, niſi quod in cœlo jam ſolutum eſſe noverit; licet e contra dicat Chriſtus Dominus: *Quæcumque in terra Sacerdotes ſolverint, ſolvenda eſſe in Cœlo.* Ideo ſic

*Prob.* 2. Concluſio. De Fide eſt juxta Florent. definitionem ſeſſ. ult. de Sacram. Pœnit. *Rem & effectum hujus Sacramenti, quantum ad ejus vim & efficaciam pertinet, reconciliationem eſſe cum Deo.* Atqui ſi veram ac proprie dictam charitatem Abſolutionem præcedere opus eſſet, Pœnitentiæ Sacramentum numquam peccatorem Deo reconciliaret, cum ſemper peccatorem Deo per charitatem proprie dictam jam reconciliatum ſupponeret, proindeque effectum, propter quem eſt inſtitutum, numquam operari poſſet. Hinc D. Th. in 4. diſt. 6. q. 1. ar. 3. & ad 5. D. 17. q. 3. a. 5. & D.

Bo-

Bonav. in 4. D. 27. p. 2. ar. 2. q. 3. concludunt, *Videri, quod non oporteat ad illud Sacramentum afferre ſanitatem, ſed quærere: ergo non oportet quod accedatur ad Confeſſionem ex charitate, nec ad hoc tenetur .... ſed tenetur confiteri, vel ex charitate, vel ex diſpoſitione ad charitatem diſponente ſufficienter*; & clarius D. Bonav. 4. diſt. 4. in Expoſit. dub. 1. *Non oportet igitur, quod actus Pœnitentiæ formatus, qui dicitur Contritio, præcedat; ſed ſufficit quod actus ſit informis, utpote Attritio.* Ad cujus pleniorem intelligentiam,

*Prob.* 3. Conc. Trid. docet ſeſſ. 14. c. 5. *Contritionem imperfectam, quæ Attritio dicitur, peccatorem ad Dei gratiam in Sacramento obtinendam diſponere.* Ergo nullam requirit in dolore charitatem proprie dictam. Conſequentia videtur legitima, ſi oſtendatur, Attritionem, de qua Tridentinum loquitur, nullam charitatem proprie dictam includere. 2. Si oſtendatur hanc, de qua loquitur, ſecundum ipſum diſpoſitionem eſſe proximam, non remotam, non inſufficientem, ſed plane ſufficientem.

1. Sic oſtenditur. Tridentinum Concil. Contritionem in duas partes dividendo, voluit proculdubio duas Contritiones ſpecifice & eſſentialiter diverſas nobis exponere. Atqui duæ non eſſent partes ſpecifice atque eſſentialiter diverſæ, ſi utraque eamdem ſpecie ac proprie dictam charitatem contineret. Ergo Attritio de qua loquitur, nullam charitatem proprie dictam includit. Minor eſt evidens: quæ enim per intenſionem majorem vel minorem inter ſe diſtinguuntur, non ſpecie, & eſſentialiter ſunt diverſa. Prob. Maj. Trident. Conc. has Contritiones exponit ac diſtinguit per motiva ſpecie diverſa, quibus excitantur. Ergo duas Contritiones ſpecie & eſſentialiter diverſas exponere voluit; cum actus a motivis formalibus ſpecificetur. Antecedens patet ſola le-

ctione

ctione textus Concilii, ubi nullum, vel leviſſimum, apparet Charitatis proprie dictæ motivum; ſed alia motiva ſpecie omnino diverſa. Quod adeo verum eſt, ut adverſi ipſimet id fateri, & alio ſe vertere cogantur, dicendo, Concilium non loqui niſi de diſpoſitione remota. Sed

2. Oſtenditur loqui de ſufficienti & proxima. 1. Quia Concilium loquitur de diſpoſitione in Sacramento ipſomet, non extra Sacramentum requiſita. Sed diſpoſitio in Sacramento requiſita, eſt diſpoſitio immediata & proxima. Ergo ibi loquitur de ea. 2. Concilium loquitur de diſpoſitione, quæ cum ſolo Sacramento infallibiliter gratiam impetrat. Atqui cum ipſo ſolo gratiam infallibiliter non conferret, ſi non eſſet immediata & proxima. Ergo. Major patet ex eo quod initio Decreti ſui promiſerit de Sacramento Pœnitentiæ exactam & plenam expoſitionem ſe traditurum; quod utique non feciſſet, ſi aliquid ad conſequendam gratiam cum Sacramento neceſſarium omiſiſſet. 3. Loquitur Concilium de diſpoſitione, quæ una cum Sacramento eumdem operatur effectum ac Contritio charitate informata. Sed hæc charitas immediate, & proxime ad gratiam diſponit. Ergo & illa.

*Prob.* 4 Juxta omnes Doctores poſt Aug. lib. 1. de Adulter. Conjug. c. ult. Baptiſmatis & Pœnitentiæ eadem eſt reconciliationis cauſa. Atqui ad aſſequendam in Baptiſmate reconciliationem non requiritur charitas proprie dicta. Ergo nec in Pœnitentia. Minor communis eſt, etiam omnium Doctorum ſententia, poſt D. Th. 4. diſt. 6. q. 1. art. 3. ad 5. *Ad hoc*, inquit, *ut homo ſe præparet ad gratiam in Baptiſmo recipiendam, præexigitur Fides, ſed non Charitas; quia ſufficit Attritio præcedens, etſi non ſit Contritio*. Circa quod notandum eſt, 1. Sanctum Doctorem omnem charitatem proprio dictam excludere; cum parti-

cula *non*, utpote, malignantis naturæ, omnia circa quæ applicatur, excludat. 2. In eo Attritionem differre a Contritione docere, quod ista charitatem includat, non vero illa.

Dico II. Ut attritio impium cum Sacramento justificet, non sufficit quod ex solo gehennæ metu eliciatur: sed absolut necessarium videtur, ut aliquali Dei amore supernaturali, nedum concupiscentiæ, sed & benevolentiæ, superius expositio, sit formata.

*Prob.* 1. Quia, ut supra dictum est, ex Aug. Baptismatis atque Pœnitentiæ eadem est reconciliationis causa. Atqui juxta Trid. sess. 6. c. 6. *necesse est ut Baptizandi Deum optimum, tamquam omnis justitiæ fontem, diligere incipiant, & propter* hanc dilectionem *moveantur adversus peccata per odium aliquod & detestationem, hoc est per Pœnitentiam*; ita ut istud detestationis, & odii motivum sit amor initialis Dei tamquam fontis justitiæ, quod clara denotant immediate subsequentia, *propterea moveantur*. Ergo Attritio ad Pœnitentiæ Sacramentum requisita, eodem dilectionis motivo debet esse formata.

*Prob.* 2. Omnis Contritio, sive perfecta, sive imperfecta, est actus virtutis Pœnitentiæ. Atqui actus Pœnitentiæ, uti superius exposuimus, est dolor seu detestatio de peccato, non quatenus Pœnis æternis nos addicit, aut a gloria æterna nos excludit, sed *quatenus præcise est offensa Dei*, dolere autem de peccato, ipsumque detestari, quatenus præcise est offensa Dei; includit necessario aliquem erga Deum benevolentiæ affectum. Ergo iste affectus in Attritione omnino necessarius est.

*Prob.* 3. Quamlibet Contritionem, sive perfectam, sive imperfectam necessario comitari debent 1. Spes Theologica, quæ formaliter atque essentialiter continet desiderium efficax Deum æternaliter

naliter viſione & amore beatifico poſſidendi, ipſique intime uniri. 2. Voluntas efficax Deo placendi per mandatorum ejus obſervationem, maxime omnium maximum, dilectionis ſcilicet. 3. Reſpectus in Deum tamquam in Patrem beneficentiſſimum, atque miſericordioſiſſimum, ad cujus bonitatem & clementiam magna cum fiducia, immo & filiali, confugimus. Atqui hæc omnia eſſe non poſſunt abſque aliquo erga Deum tam bonum benevolentiæ affectu. Ergo & hic affectus neceſſario prærequiritur.

*Prob.* 4. Ex Scriptura Luc. 3. *Dimiſſa ſunt ei peccata multa quoniam dilexit multum: cui autem minus dimittitur, minus diligit.* Ergo ei nihil dimittitur, qui nullatnus diligit. Joan. 14. *Qui diligit me, diligetur a Patre meo, & ad eum veniemus, & manſionem apud eum faciemus.* Ergo qui Chriſtum Dominum nullatenus diligit, nec ipſe, nec Pater ejus ad eum venient, ut cum ipſo per gratiam juſtificantem manſionem faciant. 1. Joan. *Qui non diligit, manet in morte*; id eſt, non dignus eſt ut in Sacramento vitam accipiat. Hi autem, & ſimiles textus, ad ſententiam adverſariorum legitime, & commode applicari nequeunt; cum doceant, nullum legitime ad Sacramentum accedere poſſe, qui jam non ſit prædituſ charitate proprie dicta, per quam jam ſuſceperit Spiritum inhabitantem; cujus virtute ipſi jam ſint peccata dimiſſa: ergo noſtræ ſententiæ ſunt applicandi, non ſecus ac innumeri Patrum textus, quibus,

*Prob.* 5. Concluſio. Dicunt ſiquidem Sancti Patres cum D. Auguſt. Tract. 83. *Fruſtra veniam ſperat, qui non diligit.* Serm. 7. de tempore: *Pœnitentiam certam non facit, niſi odium peccati & amor Dei*; de Fide & Symbol. c. 9. *Non reconciliamur illi, niſi per dilectionem*: lib. de Pœnit. c. 26. *Charitas, ſine qua non poteſt dici vera Pœnitentia, &c.*

*Prob.* Tandem auctoritate Cleri Gallicani,

qui in Generali Conventu habito anno 1700. ſequentem propoſitionem damnavit: *Attritio ex gehennæ metu ſufficit, etiam ſine ulla Dei dilectione, ſine ullo ad Deum offenſum reſpectu, quia talis honeſta & ſupernaturalis eſt.* Per quam Dei dilectionem Patres hujuſce Conventus haud dubie non intellexerunt charitatem veram ac proprie dictam. Quis enim dicere audeat, tot tantoſque Patres damnare voluiſſe Doctrinam Divi Thomæ apertiſſime docentis, quantulamcumque charitatem omnem culpam delere; aut inſinuare voluiſſe, Sacerdotes Abſolutionis beneficium largientes, nihil ad remiſſionem peccati conferre?

*Obſerva in fine Tomi hujus N. I.*

## QUÆSTIO IV.

### *Quæam ſit Contritionis neceſſitas.*

*Not.* QUæſtio hic procedit de Contritionis neceſſitate, tum medii, tum præcepti, tum erga peccata venialia, tum erga mortalia; & de neceſſitate præcepti, quæritur quandonam obliget, an ſtatim poſt commiſſum peccatum, vel non.

*Not.* 2. Hic quæſtionem inſtitui, tum de perfecta, tum de imperfecta Contritione cum Sacramento; quia, qualiſcumque ea ſit ſemper accedere debet Sacramento ſaltem in voto ſuſcepto, ut ſæpius dictum eſt.

Dico I. Neceſſitate medii neceſſaria eſt Contritio ad mortalium remiſſionem.

*Prob.* Ex Chriſto Domino; *Niſi pœnitentiam egeritis, omnes ſimul peribitis.* Vocabulum autem *niſi*, neceſſitatem medii, ut alibi dictum, aperte denotat non ſecus ac iſtud: *Niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu Sancto, non poteſt introire*

*troire in regnum Dei*. Confirmatur ex innumeris aliis Scripturæ textibus, quibus videmus Deum a peccatore cordis converſionem exigere, ut ei peccatorum remiſſionem largiatur. Accedit Concil. Tridentini Auctoritas declarantis ſeſſ. 14. cap. 1. *Fuit Pœnitentia univerſis hominibus qui ſe mortali aliquo peccato inquinaſſent, quovis tempore ad gratiam & juſtitiam aſſequendam neceſſaria*.

Dico II. Neceſſitate medii neceſſaria eſt actualis Contritio, ſaltem virtualis & implicita, ad venialium remiſſionem; immo formalis & explicita, ut hæc remiſſio obtineatur in Sacramento.

*Prob.* 1. pars ex Scripturis, quæ generatim Contritionem poſtulant ad quorumlibet peccatorum abſque ulla diſtinctione remiſſionem. Confirmant Sancti Patres dicentes cum Aug. Epiſt. 93. *Nec quemquam putes ab errore ad veritatem, vel a quocumque, ſive magno, ſive parvo peccato, ad correctionem ſine Pœnitentia poſſe tranſire*. Ratio eſt juxta D. Th. 3. Part. quæſtiunc. 87. art. 1. quia quodlibet exiguum peccatum eſt amor creaturæ perverſus, qui proculdubio tolli non poteſt, quin creatura quæ placebat, non diſpliceat; non diſplicet autem ſine Pœnitentia. 2. Quia ſi charitatis habitus venialia deleret, nulla unquam forent in juſtis.

Dixi *ſaltem virtualis & implicita*; quia juxta Theologorum communem ſententiam, virtualis & implicita ſufficit; dum nempe quis actum charitatis elicit, vel dum ſincero pietatis motu Orationem Dominicam recitat, aliave Sacramentalia, de quibus egimus, ſuſcipit: Auguſt. lib. 50. Homil. 28.

*Prob.* 2. pars. Quia contritio, ſaltem imperfecta, & quidem formalis, & explicita, eſt pars eſſentialis Sacramenti Pœnitentiæ, ſine qua irritum prorſus ac nullum eſt: ergo ſine ea venialia remittere non poteſt. Hinc

*Reſolv.* Juſtum peccare lethaliter, & ſacrilegii fieri conſcium, qui nulla niſi venialia in Confeſſione deponens, ſcienter & voluntarie de nullo pœnitet, cum vanum atque irritum efficiat Sacramentum. Dixi *ſcienter & voluntarie*: nam ſi ex levi negligentia cordis ſui diſpoſitionem examinandi bona fide putet ſe eſſe ſufficienter attritum, non videtur lethali culpa damnandus. Verumtamen ad vitandum ſacrilegii periculum, laudabilis atque omnibus conſulenda eſt praxis, nonnulla peccata graviora jam confeſſa iterum Clavibus ſubjiciendi, de quibus peccatis facilius elici poteſt contritio.

Dico III. Contritio, vel perfecta, vel imperfecta cum Sacramento, impiis omnino neceſſaria eſt neceſſitate præcepti.

*Prob.* Concluſio ex ſuperiori: quidquid enim, ut alibi dictum eſt, neceſſarium per neceſſitate medii, eo ipſo neceſſarium eſt neceſſitate Præcepti. Præceptum autem iſtud centies in Scripturis expreſſum habemus, Joel. 11. *Convertimini ad me in toto corde veſtro.* Ezech. 18. *Convertimini, & agite Pœnitentiam.* Act. 11. *Pœnitentiam agite, appropinquat enim regnum cœlorum.* Deinde natura rationalis clariſſime hoc præceptum intimat, dum dictat cuilibet, maxime Deo Optimo Maximo quod ſuum eſt retribuendum, injuriamque ei illatam reparandam; de propria ſua ſalute præſertim æterna, conſulendum, &c. Ex quibus concluditur peccatum impœnitentiæ omnium eſſe maximum, aut potius culmen peccatorum.

Dico IV. Novo gravi impœnitentiæ peccato reus efficitur, qui poſt commiſſum peccatum Pœnitentiam non agit, quamprimum commode poteſt.

*Prob.* 1. Ex Scriptura Eccl. 5. *Ne tardes converti ad Dominum, & ne differas de die in diem, ſubito enim veniet ira illius, & in tempore vindictæ diſperdet te.*

Quæ

Quæ minitatio, cum sit gravissima, non solummodo consilium, sed grave præceptum innuit.

*Prob.* 2. Ex SS. Patribus, non quidem antiquioribus, qui licet in hanc Pœnitentiæ moram tamquam in grave peccatum invehantur, oratorie potius quam dogmatice de hac materia egerunt. Sed ex recentioribus D. Thom. 2. 2. q. 62. art. 8. cui potius standum est, quam quibusdam commentariorum suorum locis, quæ in summa quandoque emendavit: *Manifestavit*, inquit, *quod nec per modicum tempus licet in peccato morari, sed quilibet tenetur statim peccatum deserere*. Idem expresse docent D. Bonav. 4. dist. 17. par. 2. aric. 2. q. 2. & D. Anton. summ. 3. part. tit. 14. c. 18. n. 2.

*Prob.* 3. Ratione multiplici, & quidem evidentissima.

1. Christus Dominus imperat Matth. 5. ut qui novit fratrem suum sibi iratum, cum eo statim reconcilietur; & jubet Apostolus ne sol occidat super iracundiam nostram erga fratrem nostrum. Quod si ita est de vili homunculo: quid de Deo Optimo Maximo dicendum est?

2. Deum contemnere, etiam interpretative, peccatum est gravissimum. Qui autem cum Deo reconciliari non curat, dum saltem commode potest, ipsum contemnit: teste Apost. Rom. 2. *An divitias bonitatis ejus & patientiæ & longanimitatis contemnis? . . . . Secundum autem duritiam tuam, & impœnitens cor thesaurizas tibi iram.* Et quare *thesaurizas*? Quia aliud peccatum impœnitentiæ aliis peccatis tuis adjicis.

3. Graviter peccat, qui alienum cum potest, non restituit. Nec valet responsio dicentium, quod in eo sit disparitas; quia nullum incommodum ex pœnitentiæ nostræ dilatione patiatur Deus, bene autem proximus ex rei suæ privatione: tum quia verum incommodum patitur Deus ex impotentia nostra, eo sensu, quod passus est, dum in

cum peccavimus ; tum quia licet proximus nullum patiatur incommodum ex rei ſuæ privatione, eam ipſi ſub gravi peccato reſtituere debemus, ſi voluerit. Vult autem Deus, ut de die in diem cor noſtrum, ſibi infinitis titulis debitum, reddere non differamus.

4. Tenemur ſub gravi peccato proximum corripere, quam primum commode poſſumus; ergo a fortiori, noſmetipſos. Inaniter dicitur ad proximum corrigendum nos non teneri, niſi quando in peccato ſuo perſeverat ; cum peccator de die in diem pœnitentiam non differt, niſi quia in peccato ſuo perſeverat.

5. Qui grave vulnus corporale accepit, tenetur ſtatim remedium adhibere ; ergo a fortiori ſpirituale. Falſum eſt quod ab aliquibus dicitur, non teneri remedium adhibere, niſi ex hoc gravi malo gravius timeatur. Siquidem eo ipſo, quo grave malum ſupponitur, graviter urget charitas mali proximi, a fortiori malo noſtro, dum ſaltem commode fieri poteſt, remedium adhibendi.

6. Qui peccatum & inimicitiam Dei a ſe non vult amovere, dum commode poteſt, cenſetur ea velle ſaltem interpretative. Qui autem peccatum & inimicitiam Dei vult, etiam interpretative, mortaliter peccat. Ergo. Sic reus eſſet homicidii, qui proximo in navi periclitanti, aut pauperi in extrema neceſſitate verſanti, non ſuccurreret, ſi commode poſſet, quia cenſeretur eorum mortem interpretative voluiſſe.

Hic adjungi ſolet alia ratio ; nempe quod per Pœnitentiæ dilationem peccator ſe ſe committat periculo nova peccata committendi, & in peccato ſuo moriendi. Sed hæc ratio non urget, niſi dum procraſtinatur Pœnitentia uſque ad unum aut alterum menſem ; quo ſolummodo caſu videtur adeſſe hujus infortunii morale periculum. Nos autem independenter ab hoc periculo, longe citius

tius ad Pœnitentiam accedendum eſſe, ob rationes allatas, contendimus: nempe cum peccator peccatum ſuum reflexa mente revolvit, dum ab eo reſipiſcendi inſtat inſpiratio pungitque remorſus; ac demum dum peccatum apud Sacerdotem deponendi occurrit opportunitas, adeſt facilis acceſſus; qui ſi non adſit, tenetur Pœnitens ad actum perfectæ contritionis ſe ſe exercere, cum voto quamprimum poterit ad Sacerdotem ſe ſiſtendi.

Quær. Quandonam adhuc iſtud præceptum obliget?

℟. De ſe adhuc obligare in mortis periculo, ſi ad hoc uſque tempus fuerit protracta, ut patet. Obligat per accidens 1. Dum inſtat vehemens tentatio, quam quis vitare non poſſe præſumit abſque ſpeciali Dei auxilio. 2. Dum adminiſtrandum vel ſuſcipiendum eſt aliquod Sacramentum. 3. Dum in publicis calamitatibus juſtitia Dei placanda eſt, & ejus miſericordia imploranda; tunc enim membrum particulare toti corpori compati ex charitate tenetur.

## CAPUT IV.

### *De Confeſſione.*

OMiſſis variis, quæ ad rem non pertinent, acceptationibus, Sacramentalis Confeſſio, de qua hic nobis eſt agendum, eſt *Peccatorum accuſatio, coram legitimo Miniſtro facta, ad veniam virtute Clavium impetrandum.* Dicitur *accuſatio*, per quod differt a ſimplici peccatorum ſuorum enarratione, oſtentationis aut recreationis cauſa. Dicitur *peccatorum*, propriorum, ſcilicet a quibus nonniſi proprius confitens poteſt abſolvi. Dicitur *coram legitimo Sacerdote*, ſcilicet approbato & juriſdictionem habente: alias non dicere-

tur Sacramentalis Confeſſio, utpote omnino nulla. Dicitur *ad veniam impetrandam*; per quod differt a ceteris Tribunalibus, ubi non exigitur aut exorquetur Confeſſio, niſi ut pœna ſecurius infligatur. Dicitur *virtute Clavium*, ut oſtendatur confeſſis peccata dimitti a Sacerdotibus, non modo deprecatorio, ſed auctoritativo; id eſt poteſtate, quam a Chriſto Domino ſuſceperunt.

Porro omnia quæ ad Confeſſiones ſpectant, in duas quæſtiones coarctabimus. 1. Erit de obligatione Confeſſionis. 2. De conditionibus ad legitimam Confeſſionem requiſitis.

## QUÆSTIO I.

### *Quænam ſit Confeſſionis obligatio.*

*Not.* CIrca Confeſſionis obligationem, tria quærentur; quo jure, quoſnam, & quandonam obliget.

Dico I. Jure divino omnium peccatorum mortalium poſt Baptiſmum commiſſorum, præcepta eſt confeſſio.

*Prob.* Concluſio iiſdem auctoritatibus, quibus hujuſce Diſſertationis cap. 1. probavimus Pœnitentiam verum ac ſpeciale eſſe novæ legis Sacramentum; ſed ſpecialiter & ulterius probatur.

1. Ex Script. Matth. 18. *Quæcumque alligaveritis*, &c. Joan. *Quorum remiſeritis*, &c. Ex quibus evidenter patet, Sacramentum Pœnitentiæ Chriſtum Dominum per modum judicii inſtituiſſe, proindeque Confeſſionem, ut Sacerdos judex videre poſſit quæ peccata remittere, aut quæ ſolvere ſibi opus ſit.

2. Ex Concil. Trident. poſt Lateran. & Florent. hanc veritatem definiente ſeſſ. 14. cap. 7. *Si quis dixerit, in Sacramento Pœnitentiæ ad remiſſionem*

pec-

*peccatorum neceſſarium non eſſe jure divino, confiteri omnia & ſingula peccata mortalia . . . . anathema ſit.*

Ex Patribus de hac obligatione loquentibus, tamquam de medio ab ipſomet Deo inſtituto, ſine quo ſalus obtineri nequit. Ita Origen. Homiſia 2. in Pſalm. 37. Tertull. lib. *de Pœnit. c. 6.* Chryſoſt. *Homil. 3. in Gen.* Baſil. *in regul. brev.* &c. qui apud Controverſiſtas facile videri poſſunt. Inter quos unum ſaltem Aug. Textum *Homil. 47. int. 50.* hic deſcribere non pigebit: *Nemo ſibi dicat*, inquit, *occulte ego Pœnitentiam, apud Deum ago; novit Deus quia in corde ago. Ergo ſine cauſa dictum eſt: Quæ ſolveritis in terra, erunt ſoluta in Cœlo: ergo ſine cauſa Claves datæ ſunt Eccleſiæ Dei. Fruſtramur Evangelium Dei, fruſtramus verba Chriſti.* Fruſtrata igitur cenſet D. Auguſt. verba Chriſti, ſi peccator Sacerdoti, tamquam judici, omnia ſingulaque peccata ſua fideliter non confiteatur. Ergo hanc obligationem ex ipſiuſmet Chriſti inſtitutione deſumit.

4. Ex perenni Eccleſiæ praxi, quæ ſi ab ipſomet Chriſto Domino permanenter non fuiſſet inſtituta, in multis circumſtantiis locum non habuiſſet, aut in temporum decurſu periiſſet, aut ſaltem Eccleſia quoſdam ab ipſa aliquando diſpenſaſſet; quod nuſquam & numquam factum fuiſſe legitur, licet hæc praxis pluribus viſa fuerit perdifficilis, & plurimis incommodis obnoxia.

Dico II. Jure divino & Eccleſiaſtico omnes & ſoli Baptizati, poſt Baptiſmum in mortale lapſi, ad Confeſſionem tenentur.

*Prob.* Ex Trident. ſeſſ. 24. cap. 5. docente *integram peccatorum Confeſſionem omnibus poſt Baptiſmum lapſis jure divino neceſſariam eſſe.* Ratio primi eſt, quia de jure divino Baptiſmus eſt omnium janua Sacramentorum; ideoque non Baptizati hoc Sacramentum ſuſcipere nec poſſunt, nec tenentur.

Ratio ſecundi eſt, quia Confeſſio ideo tantum eſt præcepta, quia neceſſitate medii eſt neceſſaria. Atqui Confeſſio non eſt neceſſaria neceſſitate medii his, qui mortaliter non peccaverunt, cum ſalutem alio medio poſſint obtinere. Ergo. Quod autem ſupradicto jure Eccleſiaſtico ad Confeſſionem teneantur, patet ex Cap. *Omnes utriuſque ſexus*. Hinc

*Reſol.* 1. Hoc præcepto Infideles non teneri, bene quidem Hæretici, qui Baptiſmum ſuſcepiſſe ſupponuntur. Hoc etiam præcepto teneri pueros ſtatim ac ſufficientem rationis uſum ad bonum a malo ſecernendum adepti ſunt, licet ſufficientem non habere cenſeantur ad debite Euchariſtiam ſuſcipiendam; quia non tanta requiritur diſcretio ad peccatum mortale committendum & de ipſo pœnitendum, quantam ad Sacram menſam cum debita reverentia ac devotione accedendum.

*Reſol.* 2. Qui tantum venialiter peccaverunt, hoc præcepto divino non teneri, ut patet ex mox dictis, nec item Eccleſiaſtico, quia iſtud nihil primo adjicit, ſed tantummodo tempus quo debeat impleri, determinat. Qui tamen de venialibus confiteri nollet, teneretur ſaltem ad vitandum ſcandalum ſiſtere ſe Sacerdoti, ad ſtatum ſuum ipſi aperiendum.

Quoad tempus impletionis hujuſce præcepti, tum Eccleſiaſtici, tum divini, palam eſt omnibus ex præcepto Eccleſiaſtico omnes teneri, quotannis ſaltem, peccata deponere, ut habetur Capite ſupra citato; & quoties urget tum de ſe, tum de jure divino, tum per accidens, contritionis, & confeſſionis præceptum: quæ hic refricare faſtidioſum eſſet atque inutile.

QUÆ-

## QUÆSTIO II.

### *Quænam ſint conditiones ad legitimam Confeſſionem requiſitæ.*

*Not.* SExdecim recenſentur conditiones, vel ad validitatem, vel ad Sacramenti perfectionem requiſitæ, his verſiculis comprehenſæ:

*Sit ſimplex, humilis Confeſſio, pura, fidelis,*
*Atque frequens, nuda, & diſcreta, libens, verecunda,*
*Integra, ſecreta, & lacrymabilis, accelerata,*
*Fortis & accuſans, & ſit parere parata.*

*Simplex*; ita ut nihil Confeſſioni prorſus intermiſceatur, quod ad ipſam minime pertineat. Ideo peccant ſaltem venialiter contra reverentiam Sacramento debitam, qui in Tribunali ex garrulitate, aut curioſitate, ſermones profundunt inutiles, & profanas converſationes inſtituunt.

*Humilis*; ita ut ad Confeſſionem accedat Pœnitens cum reverentia debita, id eſt cum hominis interioris atque exterioris demiſſione, abſque ulla aut faſtus aut jactantiæ ſpecie. Hinc grave peccatum veniale perpetraret, qui in Confeſſione ſe ſe jactaret.

*Pura*; ita ut nullum aliud motivum accedat, quam gratiam obtinendi. Quod ſi Confeſſio fiat ob finem mortaliter pravum, ſacrilega erit Confeſſio, atque nulla, ut patet; ſi vero propter finem tantummodo venialiter malum, ut propter quamdam gloriolam, veniale tantum peccatum eſſet, licet graviſſimum.

*Fidelis*, ita ut pœnitens vere, ac ſincere ſtatum animæ ſuæ Sacerdoti aperiat; nec ipſi vera pro falſis, dubia pro certis, aut certa pro dubiis ex-

exponat; cujus fidelitatis defectu irrita eſt Confeſſio, ut mox exponemus.

*Frequens*, quia juxta Cathec. Rom. n. 2. §. 48. *Verum nihil tam prodeſſe ad mores emendandos experimur, quam ſi interdum animi ſui occultas cogitationes facta dictaque omnia prudenti, & fideli amico patefaciamus.* Videant igitur quam a Conc. Trid. ſpiritu ſint alieni, qui a frequentibus Confeſſionibus Fideles deterrent.

*Nuda*, abſque ambagibus aut æquivocis, quibus nonnulli pœnitentes potius peccata ſua palliare, quam aperire ſatagunt. Circa quod pœnitentes venialiter, aut mortaliter, juxta gravitatem, aut levitatem materiæ quam palliant, peccare poſſunt.

*Diſerta*, præciſe aperiendo quod neceſſarium eſt, ſubticendo inutilia, nihil quod charitatem, modeſtiam, aut ſimplicitatem Chriſtianam lædere poſſit, proferendo. In quo graviſſime peccare poſſunt, qui famæ proximi in Tribunali non parcunt, quique luxuriæ peccata verbis inhoneſtis, aut circumſtantiis inutilibus, ad laſciviam confeſſarium allicientibus produnt. Ideoque a confeſſariis fortiter ſuaviterque & ſtudioſe ſunt objurgandi.

*Libens*, ſi enim omnino eſſe coacta, & violenta foret invalida: dixi *omnino*; nec enim invalida eſt Confeſſio quorumdam puerorum, qui metu parentum ad Confeſſionem accedunt; quia eorum Confeſſio ſæpius non eſt niſi ſecundum quid involuntaria, & ſimpliciter voluntaria.

*Verecunda*, ita ut pœnitens coram Deo de ſuorum peccatorum gravitate atque turpitudine erubeſcat. Qui enim hac coram Deo non afficitur verecundia, ſignum eſt peccata ſua parvifacere, nec de ipſis pœnitere.

*Integra*, ita ut nihil neceſſarii reticeat, de quo fuſius mox dicemus.

*Secreta*, Chriſtus ſiquidem ſecretam Confeſſionem ſolummodo inſtituit, & publicam permiſit, dum

dum Pœnitentiariis, & Eccleſiæ Prælatis viſa fuerit ad populi ædificationem opportuna & conducens. Nec enim umquam licitum fuit ea propalare peccata, quorum publicatio bonis, famæ, aut vitæ præjudicium alicujus inferre potuiſſet; ſed ob frequentia ſcandala a creſcente magis ac magis hominum malitia orta abrogata fuit hæc antiquæ Eccleſiæ conſuetudo: nec nunc temporis, niſi propter ſpecialiſſimam rationem idque de Epiſcoporum mandato, non eſt uſurpanda. Vide Conc. Trid. ſeſſ. 14. c. 5.

*Lacrymabilis*, id eſt cum contritione aut attritione eſſentialiter requiſita.

*Accelerata*, id eſt non diu procraſtinata, juxta ea quæ ſuperius expoſuimus.

*Fortis*, id eſt falſam verecundiam fictitiumque pudorem, & timorem humanum in peccatis detegendis ſtrenue ſuperans.

*Accuſans*, ita ut pœnitens, nec hiſtorice ſua enarret peccata, nec in eis vanas quærat excuſationes, nec culpam ſuam in alios, filios ſcilicet, uxorem, maritum, &c. referat.

*Parere parata*, id eſt cum firmo propoſito ſinceraque & efficaci voluntate omnia, quæ Sacerdos, tamquam ad ſalutem & emendationem neceſſaria juſſerit, fideliter executioni mandandi.

Circa has conditiones plurima ad praxim neceſſaria, quibuſdam quæſtiunculis hic breviter ſunt exponenda.

Quær. 1. Utrum valida ſit Confeſſio a pœnitente abſente per internuntium facta?

R. Cum diſtinctione: vel pœnitens per internuntium confeſſus, etiam abſens abſolvitur, vel facta per internuntium Confeſſione Sacerdoti ſe ſiſtit, ut præſens abſolvatur, vel demum proprio ore confeſſus, abſens abſolvitur.

Si primum, proculdubio nedum illicita, ſed invalida eſt Confeſſio. Illicita, inquam, quod probatur

batur tum ex perpetua Eccleſiæ praxi, quæ numquam Sacramentalem Abſolutionem abſentibus conceſſit, licet quandoque vel cæremonialem, vel a cenſuris abſolutionem conceſſerit; tum ex Decreto Clem. VIII. qui ſub pœna excommunicationis ſibi reſervatæ, & latæ ſententiæ, hanc novam praxim inhibuit. Quod autem tunc invalida ſit Confeſſio, probatur; nam vel forma ſcripto exarata ad pœnitentem mittitur, vel voce prolata mentaliter ad ipſum abſentem dirigitur. Si tantummodo ſcripto exaratur, invalida eſt; quia juxta Concil Flor. & Trident. tota hujus Sacramenti virtus in prolatione verborum ſita eſt: ſi profertur, & ad abſentem prolata dirigatur, falſa erit cum pronomen *Te* præſentiam pœnitentis exprimat. Hinc

*Reſolv.* Nullam eſſe Abſolutionem moribundo datam a Sacerdote a longe videnti domum ipſius: eſſet tamen valida, ſi e cubiculi oſtio, etiam clauſo, pœnitens & Confeſſarius mutuo ſeſe audire poſſent. Item ſi Confeſſarius pœnitentem a Tribunali ſeptem aut octo paſſibus jam diſceſſum, quem commode convenire non poteſt, abſolvat; quia cenſetur adhuc ſufficienter præſens, ad collocutionem ordinariam faciendam.

Si ſecundum, ſi nempe facta a pœnitente Confeſſione per internuntium, præſens abſolvatur, illicita erit Confeſſio ob rationes ſupra dictas, non autem invalida. Siquidem Confeſſio per internuntium facta, vera eſt a parte rei Confeſſi: ergo nihil deeſt quod ſit eſſentiale Sacramento, ſi cetera adſint requiſita. Hinc omnes Theologi unanimiter docent, nedum licite propter extremam neceſſitatem, ſed & valide abſolvi poſſe pœnitentem, qui ſubito morbo exſtupefactus, abſente Sacerdote, ſigna dedit Pœnitentiæ.

Si tertium, ſi nempe proprio ore confeſſus, abſens abſolvatur, invalida eſt, ut patet; immo etiam foret invalida, ſi facta fuiſſet cum intentione

ne Abſolutionem ab abſente Sacerdote recipiendi, licet poſtea præſens abſolviſſet: quia tunc Confeſſio Sacramentalis non fuiſſet, propter defectum relationis ad legitimam Abſolutionem. Sed hæc & ſimilia potius ad ſpeculationem, quam ad praxim ſpectant.

Quær. 2. Utrum licita ſit atque valida Confeſſio, facta per interpretem, aut ſcripto exarata, quæ legenda Confeſſario traditur, cum hac circumſtantia quod pœnitens Confeſſario præſenti dicat: *Accuſo me de peccatis omnibus, quæ in hac charta legiſti.*

℟. Hanc Confeſſionem citra caſum neceſſitatis illicitam eſſe, cum praxi Eccleſiæ minime ſit conſentanea, finemque Confeſſionis ſecundarium quodammodo irritet, nempe ex peccato erubeſcentiam. Non tamen eſt de ſe invalida, cum ſemper ſit vera atque eſſentialis ex Chriſti inſtitutione requiſita Confeſſio. Dixi *de ſe*: qui enim proprio ore potens confiteri, nutibus, ſcripto, aut per interpretem confiteretur, mortaliter peccaret, & effectum Sacramenti minime conſequeretur.

Dixi iterum *qui poſſet proprio ore confiteri*. Si enim non poſſet ob defectum organi, teneretur ſcripto ac nutibus confiteri. Qui autem non poſſet, quia ſimul idioma ignorat, & ſcribere neſcit, non teneretur, etiam in mortis articulo, per interpretem confiteri; ipſique ſufficeret quædam venialia per interpretem confiteri in particulari & in genere de omnibus mortalibus. Ratio eſt, quia hoc novum onus a Chriſto, nec ab Eccleſia legitur unquam fuiſſe impoſitum.

Quær. 3. An, & quale neceſſario prærequiratur examen conſcientiæ ante Confeſſionem.

℟. Neceſſario prærequiri ex præcepto Chriſti; qui enim finem præcepit, media item ad hunc finem conducentia jure ac merito præcepiſſe cenſetur. Atqui integram peccatorum Confeſſionem

Chri-

Christus præcepit, quorum recordatio atque notitia absque examine haberi non potest: Esgo. Diligens autem illud examen esse debet, juxta Trident. sess. 14. c. 5. quale meretur gravitas negotii. Hinc

*Resol.* Moraliter peccat, absolutionisque beneficio est indignus, qui absque sufficienti examine ad sacrum Tribunal accedit. Attamen qui illud neglexisse inventi sunt, nimis severe non sunt objurgandi; sed *humanissimis verbis*, inquit Catech. Rom. sunt dimittendi, ut diligentius conscientiæ suæ latebras prescrutentur. Immo dum occurrunt adeo in spiritualibus rudes, ut ad se reversi videantur incapaces, a Confessario juvandi sunt & audiendi. Nec enim Judex est & Medicus, nisi ut crimen & morbum prudenter ac studiose perquirat.

Quær. 4. An Confessio necessario integra esse debeat?

R. Duplicem esse Confessionis integritatem, materialem scilicet, & formalem. Materialis dicitur ea, quæ reipsa omnia omnino necessario confitenda exponit: formalis vero, quæ licet omnia a parte rei confitenda non exponat, exponit tamen quidquid post diligens examen memoriæ occurrit, & pro necessitate temporis tunc potest exponi. Prima absolute non est necessaria, cum sæpius sit impossibilis; bene autem secunda, idque ex necessitate Sacramenti ac præcepti Divini; ita ut, inquit Trid. sess. 14. c. 5. *Scienter aliqua peccata reticentes, nihil Divinæ bonitati per Sacerdotem remittendum proponant.*

Quær. 5. Quænam essentialiter requiruntur ad Confessionem formalem integram?

R. Absolute necessarium est, non solum peccatorum numerum, species, & circumstantias speciem mutantes, aperire, prout definivit Trid. sess. 14. can. 7. sed etiam circumstantias intra eamdem speciem notabiliter peccatum aggravantes,

uti

uti docet Conc. Trid. Catech. par. 2. n. 63. Ea autem cenſetur notabiliter aggravans circumſtantia quæ ita peccatum auget, ut ipſa ſola ad peccatum ſufficeret, prout ſi quis decem nummos furaretur, cum unus ad peccatum mortale ſufficiat: vel ſi quis per horam integram in obſcœna cogitatione ſe occupet, cum ſufficiat per quadrantem in ea immorari; vel ſi quis trucidato jam a ſe inimico, poſt mortem membra ejus in fruſta concidat, &c.

Ratio autem cur has circumſtantias notabiliter aggravantes opus ſit aperire, eſt, quia juxta Trid. cit. ideo Pœnitens tenetur circumſtantias ſpeciem mutantes aperire, ut Sacerdos *de gravitate criminum recte cenſere poſſit, & pœnam quam oportet, pro illis imponere*. Atqui circumſtantia aggravans ſæpius longe magis gravitatem ac malitiam peccati auget, quam circumſtantia ſpeciem mutans; ut videtur in furto mille aureorum in loco profano, & in furto decem aſſium in loco ſacro. Ergo eas etiam aperire tenetur. Porro ex obligatione Confeſſionem formaliter integram faciendi, ſequentia.

*Reſolv.* 1. Qui ſemidormienti aut ſurdaſtro mala fide confeſſus eſt, tenetur, totam Confeſſionem repetere, cum nulla ſit & ſacrilega; quod ſi bona fide id fecerit, repetere tenetur quæ probabiliter credit a Confeſſario non fuiſſe audita. Qui vero dubitat an hoc vel iſtud peccatum Confeſſarius audierit, tenetur item illud repetere: quia in dubiis pars tutior eſt eligenda.

*Reſolv.* 2. Qui poſt Confeſſionem mox communicaturus, advertit ſe etiam inculpabiliter grave peccatum omiſiſſe, tenetur iterum ad Confeſſionem accedere: ſi adſit Confeſſarii copia, & confitendi opportunitas, nec ullum inſtet notæ aut infamiæ periculum, quale adeſſet, ſi jam ad ſacram menſam publice acceſſiſſet.

*Reſolv.* 3. Memor ſacrilegii in adoleſcentia ſua

commissi, ob alicujus peccati reticentiam, non tenetur omnes subsequentes Confessiones repetere, si in his hujus sacrilegii factus inculpabiliter immemor, bona fide deinceps processerit, quia formaliter fuerant integræ.

*Resolv.* 4. Peccata dubia aperire necesse est ut dubia, & si deinde certum cognoscatur, prout certum iterum aperire; quia peccatum Clavibus subjicere non sufficit, sed prout cognoscitur subjicere, ut de ipso judicium certum Sacerdos ferre possit.

*Resolv.* 5. Non est de se peccatum, saltem mortale, venialia tantum aut levia peccata ordinario Confessario suo confiteri, & mortalia aut graviora alteri: tum quia liberam esse Confessionem Dominus voluit; tum quia id absque formalis integritatis Confessionis læsione fieri potest. Dixi *de se*: nam per accidens mortale fieri potest. 1. Si Pœnitens advertat per hoc se se committere periculo facile in eadem mortalia labendi, & numquam se se emendandi. 2. Si mortalium partem uni confiteretur, & partem alteri, vel si prius venialia confiteretur uni, & postea mortalia alteri: quia in his duobus casibus Confessio non foret formaliter integra. Adde quod non dimittatur unum mortale sine altero, & sacrilega sit atque nulla venialis Absolutio, nisi prius mortale simul, dum extat, dimittatur.

*Resolv.* 6. Mortale est peccatum mortale commissum, & non confessum, negare in Confessione, majorem numerum accusare, dubia pro certis, & certa pro dubiis accusare: nisi forte excuset simplicitas scrupulosa, & mentis anxietas. Sed communiter docent Theologi veniale tantum esse peccatum, veniale aut mortale alias legitime confessum negare: cum ex hac reticentia Sacramentum non fiat irritum, nec gravis censeatur injuria facta ob materiæ levitatem.

*Resolv.*

*Reſolv.* 7. Qui in neceſſitate caſum reſervatum confitatur Sacerdoti poteſtatem ab eo abſolvendi non habenti, non poteſt propter id eum reticere; quia ut Sacerdos Pœnitentem abſolvat, prius compertum habere debet utrum vere dignus ſit abſolutione, qua caſus iſte reſervatus, indignum reddere poteſt.

Quær. 6. Quænam ſint cauſæ a materiali Confeſſionis integritate diſpenſantes?

℟. Quatuor cauſæ, nec plures, nec paciores, ab ea poſſunt diſpenſare, quas hic breviter recenſebimus.

℟. Naturalis oblivio, modo vere ſit inculpabilis quia nullus ad impoſſibile tenetur. Ideo ſi quis peccatum & circumſtantias ejus ſpecies mutantes, aut notabiliter aggravantes, oblitus fuit, ſufficit ut illud in alia Confeſſione Clavibus Eccleſiæ ſubjiciat. Quod ſi culpabilis fuiſſet oblivio, quia nempe examen leve aut fere nullum præmiſit, tenetur de hac oblivione ſe accuſare, & totam Confeſſionem, utpote nullam, repetere.

2. Ignorantia invincibilis, qua quis inculpabiliter putat ea quæ reticet peccata, venialia eſſe, aut nulla, cum tamen ſint a parte rei mortalia; quia qui peccata ſua non novit, perinde ſe habet ac ſi ea non commiſiſſet. Dixi *ignorantia invincibilis*. Si enim eam vincere debuerit ac potuerit, totam Confeſſionem repetere tenebitur, ob ſupradictam rationem.

3. Dum adeſt juſtum fundamentum timendi, ne ex Confeſſionis integritate damnum notabile vel ipſi Pœnitenti, vel Confeſſario, vel tertiæ perſonæ contingat; quia illud præceptum omnia peccata ſua integre confitendi, eſt dumtaxat poſitivum; ideoque cum tanto nocumento non obligat, cum jugum Chriſti ſuave ſit ac leve. Hinc,

*Reſolv.* Pœnitentem ab integritate Confeſſionis excu-

excuſari, ſi inde ſibi, Confeſſario, aut cuilibet grave periculum immineat, notabilis morbi, ut peſtilentiæ, carceris perpetui, membrorum mutilationis, aut gravis infamiæ; prout ſi quis, niſi altero audiente, poſſet confiteri; aut ſi adeſſet gravis alicujus tentationis periculum, prout ſi mulier peccata luxuriæ tali Sacerdoti confitendo, probabiliſſime timeret ne ipſe ad ſimilia peccata perpetranda cum ipſa alliceretur.

4. Excuſat moralis impotentia, ſive hæc a Confeſſario, ſive a Pœnitente oriatur, ob ſupradictam rationem. Hinc

*Reſol.* Magnum concurſum Pœnitentium, qui omnes ſigillatim audiri nequeunt, prout contingit dum inſtat pugna, incendium, aut naufragium, ab hac integritate excuſare. Item dum adeſt periculum imminens, ne vel Pœnitens, vel Confeſſarius uſum loquelæ ſubito amittat. Item dum Confeſſarius peccatum ſuum deponere non poteſt, quin ſecretum Confeſſionis alteri Confeſſario revelet. Strictius ſiquidem eſt præceptum ſigilli Sacramentalis utpote naturale, quam integritatis Confeſſionis.

Obſervandum tamen eſt, hæc locum non habere niſi inſtet confitendi neceſſitas, & nullus alius ſuppetat Confeſſarius; neceſſitatem dico, vel dum urget præceptum annuæ Confeſſionis, vel dum quis in peccato mortali exiſtens, Communionem, abſque gravi ſcandalo aut gravis infamiæ periculo, non poteſt omittere; vel tandem dum pœnitens de gravi peccato ſibi conſcius non ſperat per tempus longiſſimum confitendi occaſionem ſe habiturum. In his & ſimilibus caſibus quilibet nonnulla peccata abſque crimine reticere poteſt, immo quandoque & debet, cum onere tamen, ut patet, peccatum celatum & celationis cauſam alteri Confeſſario, dum occurret opportunitas, declarandi. Hinc

*Reſolv.*

*Reſolv.* Ab integritate Confeſſionis non excuſare verecundiam, qua quis erubeſcit tali Confeſſario hæc & illa peccata confiteri, niſi forſan gravi ac probabiliſſimo fundamento innixus timeret, ne talis Confeſſarius confeſſionis ſecretum revelarer, odium in ipſum conciperet, ipſum perſequeretur, ipſique neceſſariam ſuſtentationem, &c. ſubtraheret. Item nec ab integritate Confeſſionis excuſat magnus in ſolemnitate celebri populi concurſus, cujus maxima pars Confeſſione privanda ſit. Juxta Innoc. IX. definitionem, in damnatione contrariæ propoſitionis.

Quær. 7. An ad Confeſſionis integritatem licita ſit, & neceſſaria Complicis revelatio?

Rſp. Cum diſtinctione: vel Pœnitens crimen ſuum & circumſtantias ejus neceſſario aperiendas declarare poteſt, abſque Complicis ſui manifeſtatione; vel abſolute non poteſt. Hac facta diſtinctione,

Dico I. Dum Pœnitens crimen ſuum, & circumſtantias ejus neceſſario aperiendas declarare non poteſt abſque Complicis manifeſtatione, poteſt ac tenetur illum manifeſtare.

*Prob.* 1. Auctoritate D. Thom. Opuſc. 11. ad lect. D. Bon. 4. d. 21. p. 2. 2. 1. q. 3. S. Raym. l. 3. §. 4. S. Anton. p. 3. tit. 14. c. 9. §. 21. & ceterorum majoris notæ Doctorum, cum Div. Bernardo tam unanimiter hanc doctrinam docentium, ut mirum ſit contrarium a nonnullis Theologis doceri poſſe. *De nullo ſiniſtro loquaris*, inquit S. Doctor. tract. de form. honeſt. vit. circ. finem *quantumcumque ſit verum, vel manifeſtum, niſi in Confeſſione; & hoc ubi aliter non poteſt manifeſtare peccatum tuum.*

*Prob.* 2. Ratione, quia licitum eſt, & quandoque ex juſtitia & charitate obligatorium, alterius crimen occultum manifeſtare, ob gravem legitimamque rationem; & tunc, inquiunt omnes Docto-

res poſt D. Th. 2. 2. qu. 73. ar. 2. materialis eſt, non formalis, detractio. Sic reus a Judice legitime interrogatus, tenetur Complices declarare: ſic dum grave periculum imminet Reipublicæ, immo & cuidam innocenti, poſſumus ac tenemur, ad eum avertendum, crimen nocentis aperire: ſic licitum eſt alienum crimen viro prudenti revelare ut conſilio ejus aut perfectione juvemur, &c. Deinde Complex plus juris non habet ad famam apud Confeſſarium ſervandam, quam ipſemet Pœnitens: ergo ſi iſte poteſt ac tenetur propriam abjicere, poteſt item ac tenetur famam Complicis, qui peccatum perpetrando, non ſecus ac Pœnitens, jus ſuum amiſit in Pœnitentiæ Sacramento. Hinc

*Reſolv.* Pœnitentem nec teneri, nec abſque gravi peccato revelare poſſe peccati ſui non Complicem, licet aliunde peccaverit, ſed non cum Pœnitente, v. g. Nefas eſſe Pœnitenti dicere: *Græviter percuſſi ſororem meam gravidam*, quam Confeſſarius novit innuptam. Item & dicere: *Matri meæ*, quam novit Confeſſarius, *adulterium exprobravi, in tali occaſione ab ipſa perpetratum*. Hæ circumſtantiæ ab ipſo ſunt reticendæ; quia cum nec ſoror, nec mater cum Pœnitente peccaverint, peccatum eorum nullam relationem intrinſecam & eſſentialem habet cum peccato ipſius Pœnitentis, nec Pœnitens ullum jus acquiſivit ad hujus peccati revelationem: ideoque jus matris, & ſororis aliunde peccatricis integrum & illæſum remanere debet. Eadem de vero Complice non eſt ratio; ipſe namque dum peccatum commiſit, juri ſuo ceſſiſſe legitime cenſetur, cum ſcire potuerit ac debuurit præceptam eſſe Confeſſionis integritatem, quæ abſque peccati ſui declaratione fieri non poſſet, ut ſupponitur.

Dico II. Mortale peccatum eſt ex genere ſuo criminis ſui Complicem Confeſſario directe vel in-

indirecte manifeſtare, dum abſque hac notitia ſufficientem criminis, ac circumſtantiarum neceſſariam cognitionem habere poteſt.

*Prob.* Auctoritate ſupracitatorum Patrum expreſſe aperteque docentium, nullam aliam rationem a Complicis manifeſtatione excuſare poſſe, niſi *ubi aliter* Pœnitens *peccatum ſuum manifeſtare non poteſt*. Ratio eſt evidens. Numquam licet peccatum proximi occultum manifeſtare, niſi urgeat gravis neceſſitas, aut legitima cauſa. Atqui nulla eſt neceſſitas Complicem in Confeſſione accuſandi, dum ſine ea accuſatione crimen, & circumſtantiæ aperiri poſſunt. Ergo. Nec legitima cauſa cenſeri debet hæc poteſt utilitas Complicis, cujus emendationem ac correctionem Confeſſarius promovere poſſet, immo nec grave imminenſque malum Reipublicæ aut Eccleſiæ a Complicis malitia inferendum, quod Confeſſor poſſet avertere, tum quia ſupradicti SS. Patres nullam aliam cauſam legitimam agnoſcunt, quam Confeſſionis integritatem, tum quia hæc imprudens notificatio ad finem intentum omnino eſt inutilis; cum ipſa Confeſſarii extra Confeſſionem uti non poſſint, abſque graviſſimo peccato, ut mox probabimus. Hinc

*Reſolv.* 1. Gravis detractionis conſcium eſſe Pœnitentem, qui Complicem Confeſſario notum prodit, cum alium Confeſſarium, qui ipſum non novit, adire aut expectare poteſt. Quod ſi nullus adſit, nec ſperetur, urgeatque ſuperius expoſita confitendi neceſſitas, Complicem Confeſſario notum, ad Confeſſionis integritatem, prodere utique poterit.

*Reſolv.* 2. Ejuſdem peccati ream eſſe mulierem, quæ re habita cum Perſona ſacra, ſtatum ejus, ſive Eccleſiaſticum, ſive Religioſum notificat; cum id minime ad Confeſſionis integritatem ſit neceſſarium; *Sufficiatque*, inquit D. Bonavent. *ut in generalitate ſua ſit.*

Dixi in concluſione, *ex genere ſuo*: quia Pœnitens a mortali excuſari poteſt, ſi id faciat ex ignorantia, & inadvertentia inculpabili. Non excuſantur autem ex ignorantia Confeſſarii, cum vix illa admittatur invincibili ignorantia in his, quæ ſtatum, & officium uniuſcujuſque ſpectant.

*Reſol.* 3. Confeſſarios pro officio ſuo teneri minere Pœnitentes, ne Complicem prodant; eoſque graviter corripere dum id faciunt, cum vera ac proprie dictam detractionem committant. Longe gravius peccant Confeſſarii, qui de Complice Pœnitentes ſciſcitantur, eoſque curioſis ac imprudentibus interrogationibus ſuis ad hanc detractionem inducunt; idque aliquando ſub prætextu correctionis Complicis, aut utilitatis Eccleſiæ. Hanc praxim in quibuſdam Religionibus invectam, tamquam deteſtabilem Colonienſe Concilium habet ann. 128. graviter damnavit ac inhibuit ſub pœna excommunicationis, & ſuſpenſionis ipſo facto incurrendæ, & in ipſam jure ac merito invehitur ſuprac. D. Bonav. dicens: *Generaliter verum eſt, quod peccata aliena non ſint dicenda in Confeſſione, niſi eatenus quatenus ſunt propria, nec Confeſſores* de peccatis alienis *debent inquirere. Unde illi Confeſſores, qui rumuſculos in Confeſſionibus inquirunt, & audiunt de aliis malum, & ſuſtinent*, id eſt, qui Pœnitentes ſic detrahentes non corrigunt, *vix aut numquam a peccato detractionis excuſari poſſunt; & neſciunt merideri animabus, dum patiuntur eos qui veniunt ad medicinam, alios accuſando, ſibi infligere vulnus grave.*

*Obſerva in fine Tomi hujus N. II.*

CA-

# CAPUT V.

## *De Abſolutionis Miniſtro.*

QUæcumque Abſolutionis Miniſtrum ſpectant, ad tres quæſtiones facili negotio revocari poſſunt. 1. Quænam in ipſo requiratur poteſtas ad valide Abſolutionem impertiendam. 2. Quænam ſcientia, ut ſciat, quibus eam poſſit ac debeat impendere. 3. Quænam prudentia, ut ſibi commiſſa taceat. Sit igitur.

## QUÆSTIO I.

### *Quænam in abſolutionis Miniſtro requiratur poteſtas.*

TRiplex in Miniſtro Abſolutionis requiritur poteſtas, Ordinis, Juriſdictionis, & Specialis erga nonnulla peccata reſervata: de his ſigillatim nobis agendum ſequentibus articulis.

## ARTICULUS I.

### *De poteſtate Ordinis ad validam Abſolutionem impendendam requiſita.*

*Not.* PER poteſtatem Ordinis hic intelligitur ea, quæ habetur poteſtas vi characteris Sacerdotalis in anima per Ordinationem impreſſi: & hic non inquiritur utrum omnes, qui hoc charactere donantur, poteſtatem habeant Abſolutionem impertiendi; ſed utrum alii quam Sacerdotes ipſam habere poſſint. Circa quod

Dico: Soli Sacerdotes Abſolutionem impendendi poteſtatem habere poſſunt.

*Prob.* 1. Ex verbis Domini: *Quorum remiſeritis*

*peccata, remittuntur eis, &c.* quæ verba ſolis Sacerdotibus dicta ſunt, non laicis, nec mulieribus, ut ſtulte docuit Lutherus. 2. Ex continua Eccleſiæ praxi, quæ aliis nuſquam & numquam hanc poteſtatem permiſit, niſi Sacerdotibus: ideoque Innoc. III. c. 1. *de Pœnit. & remiſſ.* acerbe invehitur in nonnullas ævi ſui Abbatiſſas, quæ infando auſu Monialium ſuarum Confeſſiones excipere non reverebantur. 3. Ex SS. Patribus, S. Chryſ. *l.* 3. *de Sacerdotio*, S. Ambroſ. *l.* 1. *de pœnit.*, D. Aug. *Ep.* 228. *ad Honor.*, S. Leone *Ep.* 82. & ceteris, quos referre longius eſſet. 4. Tandem ex definitione expreſſa Conciliorum Conſtant. Florent. & Trid. ſeſſ. 14. c. 6. & Can.

## ARTICULUS II.

### *De poteſtate Juriſdictionis.*

LIcet juriſdictio & approbatio plerumque confundantur, nec una ſine altera, ut plurimum, impendatur; verumtamen inter utramque latum eſt diſcrimen, cum approbatio de ſe judicium ſit mentis, juriſdictio vero propoſitum voluntatis; facileque concipiatur, non ideo præciſe Sacerdoti juriſdictionem conferri, quod ad eam exercendam idoneus fuerit judicatus. De juriſdictione igitur & approbatione ſigillatim agemus ſequentibus Paragraphis.

### §. I.

### *De ipſa Juriſdictione.*

*Not.* 1. JUriſdictio, ſic dicta a verbo *juſdicere*, ſeu ſententiam ferre, recte definitur, prout hic a nobis ſumitur: *Eccleſiaſtica poteſtas, alios tamquam ſubditos gubernandi atque regendi in*

*Re-*

*Regnum Cælorum*. Dicitur 1. *Eccleſiaſtica poteſtas*: quia hæc non immediate a Chriſto Domino in Ordinatione, ſed ab Eccleſia confertur. Dicitur 2. *In alios tamquam ſubditos*; quia nullus veram habet poteſtatem actualem, niſi in ſubditum determinatum. Dicitur 3. *Gubernandi &c.* Ut finis denotetur juriſdictionis, quæ *non in deſtructionem, ſed in ædificationem impenditur*.

*Not.* 2. Juriſdictio alia eſt quæ habetur in foro externo, alia quæ in foro interno. Primo poteſtas eſt jus Eccleſiaſticum publice & cum ſolemnitate dicendi; id eſt ſententias publicas ferendi, leges condendi, pœnas Eccleſiaſticas imponendi, aut ab eis abſolvendi. Secunda eſt poteſtas ſecreto conſcientias regendi, & peccata ſacramentaliter abſolvendi aut retinendi. Hæ duæ, poteſtates inter ſe differunt; quod prior conferri poſſit cuilibet Clerico, immo & Laico: poſterior vero ſolis Sacerdotibus. Conveniunt tamen intra ſe, quod non dentur vi Ordinationis; cum etiam poſterior conferri poſſit, licet non exerceri, ante Sacerdotalem Ordinationem; dum ſcilicet Clericus Parochiale obtinet Beneficium.

*Not.* 3. Juriſdictionem aliam eſſe ordinariam, quæ alicui competit ratione Officii curam animarum annexam habentis: aliam delegatam, quæ habetur tantum ex commiſſione alterius ordinariam habentis. His notatis.

Dico: Solus Sacerdos, non tamen omnis, valide abſolvere poteſt; ſed ſolummodo is, qui legitima juriſdictione ordinaria vel delegata præpollet.

*Prob.* Auctoritate & ratione Concil. Trid. ſeſſ. 44. capit. 7. Quia Pœnitentiæ Sacramentum a Chriſto Domino fuit inſtitutum per modum judicii. Atqui *natura & ratio judicii illud expoſcit, ut ſententia in ſubditos dumtaxat feratur, & ideo in Eccleſia Dei perſuaſum ſemper fuit, & veriſſimum eſſe, Synodus hæc confirmat, nullius momen-*

*ti absolutionem esse debere, quam Sacerdos in eum profert, in quem ordinariam aut delegatam non habet jurisdictionem.* Huc accedit auctoritas Lateranen. sub Inn. III. cap. *Omnis utriusque sexus*, & Florent. quæ referre longius esset.

Quær. 1. Quibusnam competat ordinaria Jurisdictio?

R. 1. Competit *de se* primo ex ipsiusmet Christi Domini institutione summo Pontificis respectu totius Ecclesiæ, omniumque Fidelium ubique terrarum degentium. 2. Episcopis respectu totius suæ Diœcesis, cui Jurisdictioni Episcopali participant eorum Vicarii Generales, necnon Capitulum sede vacante; sicut Legati a latere & Summi Pœnitentiarii participant Papali in Regionibus, ubi officium suum exercent. 3. Generalibus respectu totius sui Ordinis, Provincialibus respectu totius Provinciæ suæ, & Abbatibus exemptis respectu subditorum suorum, &c. 4. Parochis intra limites tantummodo Parochiæ suæ, cum debita ad Episcopum subordinatione.

R. 2. Ordinaria jurisdictio per accidens competere potest 1. Ratione domicilii, aut quasi domicilii pœnitentis, quod in tractatu de legibus exposuimus. 2. Ratione consuetudinis; sic exercituum Regiorum Eleemosynarii Jurisdictionem obtinent ordinariam in milites in castris existentes. Sic Novitiorum Magistri in Novitios suos ordinariam vi status sui exercent Jurisdictionem. 3. Ratione Privilegii; sic ex concessione plurium summorum Pontificum Regulares Jurisdictionem ordinariam habent in sæculares, Monasterii sui convictores & commensales, non autem eorum qui tantum ipsis interveniunt. 4. Ratione articuli aut periculi mortis, & inopiæ alterius Sacerdotis legitimam potestatem habentis, quilibet Sacerdos etiam suspensus, degradatus & excommunicatus, eo ipso obtinet Jurisdictionem, quæ cum a nullo

Eccle-

Eccleſiæ Prælato fuerit delegata, fueritque, teſte Tridentino, ſemper in Eccleſia Dei cuſtodita, ita ut ab ipſo ſummo Pontifice in tali caſu auferri non poſſit; cenſetur ab ipſomet Chriſto Domino tradita, proindeque ordinaria.

Quær. 2. Qualis eſſe debeat Juriſdictio delegata, ut per eam quis valide abſolvere poſſit?

℟. Debet eſſe actualis, & formalis, & aliquo ſigno expreſſa; nec ſufficit interpretativa, dum ſcilicet Ordinarius eam exerceri videt, & minime contradicit; quia vel forſan ea de re non cogitat; vel exiſtimat eam conceſſiſſe, vel rationes habet non contradicendi: nec ſperata, quod credatur Ordinarium factum illud ratum habiturum; quia quod defectu Juriſdictionis de ſe nullum eſt, non poteſt utique ratificari; nec præſumpta, eo ſenſu quod Ordinarius Juriſdictionem concederet, ſi ab eo poſtularetur, quia talis Juriſdictio tunc non adeſt, ſed tantummodo ex conditione adfuiſſet. Purro ut quis licite abſolvat, Juriſdictio debet eſſe certa, nec ſufficit probabilis extra caſum neceſſitatis, quia exponendo Sacramentum nullitatis periculo, ipſimet Sacramento, necnon & Pœnitenti gravis infertur injuria. Hæc autem neceſſitas non eſt mortis periculum, in quo Sacerdos quilibet capax Juriſdictionis certam habet Juriſdictionem, ſed neceſſitas qualem ſupra expoſuimus *Cap. præced.* q. 2. quia in ſimili neceſſitate defectum, ſi quis eſt, ſupplet Eccleſia.

Quær. 3. An & quando defectum Juriſdictionis ſuppleat Eccleſia?

℟. Certum eſſe atque indubitatum apud Doctores, quibuſdam concurrentibus circumſtantiis, Eccleſiam veræ Juriſdictionis ſupplere defectum; non ſecus ac Poteſtas civilis ad actuum publicorum validationem, auctoritatem ſupplet Judicis ac Magiſtratus putatitii, idque propter eumdem cum proportione finem, ne videlicet conſcientiæ innu-

meris excutiantur perturbationibus, & multi in ſua bona fide pereant Pœnitentes. Tres autem ad hoc requiruntur ſimul concurrentes circumſtantiæ: 1. Quod Confeſſarius titulum, ſaltem coloratum, habeat, 2. Quod adſit error communis moraliter invincibilis. 3. Quod defectus juris ſit Eccleſiaſtici, non Divini. Hinc

*Reſolv.* 1. valide abſolvere Sacerdotem, qui beneficium curatum aut approbationis expeditionem apparenter legitimam obtinuit; cujus tamen collatio aut delegatio nulla eſt propter impedimentum occultum, vel ex parte conferentis, vel ex parte ſuſcipientis, excommunicationem nimirum, ſimoniem, &c. Idem dicendum videtur de eo, qui poſt finitum approbationis annum Confeſſiones exciperet, maxime ſi id bona fide aut inadvertenter faceret. E contra titulum coloratum non habet, qui nullum prorſus a parte rei vel habet, vel habuit, licet putetur habere, aut qui litteras collationis Beneficii, aut Approbationis ſibi procudit, aut alium ſe eſſe ſimulat, &c. Is praeuldubio invalide abſolvit.

*Reſolv.* 2. Eccleſiam defectum minime ſupplere, dum duo vel tres tantummodo defectum ignorant; vel dum ſcientibus ferme omnibus, vel ſaltem dubitantibus, nullus eorum de veritate aperienda curat; tum quia Eccleſia nonniſi publicum malum intendit avertere, tum quia dubitantes & non inquirentes, non cenſentur decepti, ſed potius ſeipſos velle decipere.

*Reſolv.* 3. Si abſolvens nec ſit homo, ſed mulier, nec Baptizatus, ſed infidelis, nec Sacerdos, ſed Laicus, nec ullam abſolvendi intentionem habeat; uno verbo ſi jure Divino Juriſdictionis ſuſcipiendæ atque exercendæ ſit incapax, Eccleſia non ſupplet, quia non poteſt.

Quær. 4. An Sacerdos, nulla juriſdictione ordinaria vel delegata gaudens, valide a peccatis

ve-

venialibus, & mortalibus jam confeſſis abſolvere poſſit?

℟. Negative. Ratio eſt; quia juriſdictio non minus Judici eſt neceſſaria, ad jus dicendum in minoribus cauſis, quam in majoribus: ergo Sacerdos, qui nullam habet, a nullo vel minimo peccato abſolvere poteſt. Ideo jure ac merito contraria propoſitio ab Innoc. XI. præſcripta eſt anno 5679.

*Obſerva in fine Tomi hujus num. III.*

## §. II.

### *De Approbatione.*

*Not.* APprobatio eſt authenticum teſtimonium, quo aliquis Sacerdos idoneus ad Confeſſiones excipiendas declaratur, ſi ei concedatur juriſdictio. Dicitur *Teſtimonium*, quia judicium internum minime ſufficit, & omnino neceſſarium eſt ut aliquo exteriori ſigno ſit exhibitum. Dicitur *Authenticum*, id eſt publicum & quaſi ſolenne, ab Epiſcopo, tamquam a Perſona publica prolatum. Nec ſufficit quod tamquam homo privatus de Sacerdotis idoneitate teſtetur. Dicitur *Sacerdos idoneus ad Confeſſiones excipiendas declaratur*. Quæ idoneitas non minus probitatem & prudentiam, quam ipſam ſcientiam ſpectat. Dicitur: *Si ei concedatur juriſdictio*; quia abſque ea nullus ad confeſſiones excipiendas idoneus eſſe poteſt. Hoc notato,

Dico: Præter juriſdictionis abſolute neceſſaria eſt Ordinarii approbatio, ut Sacerdos valide abſolvat, tum ſæculares, tum iploſmet Sacerdotes.

*Prob.* Ex Trid. illud jus novum expreſſe inſtituente ſeſſ. 23. cap. 15. de reform. Jure ſiquidem antiquo ſola erat juriſdictio neceſſaria, poterantque Parochi juriſdictionem delegare etiam ab Epiſcopo non approbatis. Et nunc ipſimet Paro-

chi, ceterive curam ex Officio animarum habentes auctoritatem absolvendi non habent, nisi quatenus per ipsam Beneficii, aut Officii collationem ab Ecclesia factam, censentur approbari.

Porro eadem est approbationis, ac jurisdictionis delegatæ ratio, cum debeat esse non secus ac illa. 1. Actualis, formalis, & expressa. 2. Ad quædam loca, personas, & tempora restringi potest, ad libitum approbantis. 3. Cessat, si revocata fuerit, sive juste, sive injuste. 4. Non cessat per mortem ipsius approbantis, nisi ab ejus successore expresse fuerit revocata. 5. In una Diœcesi approbatus, minime censetur approbatus in altera; sed approbari necesse est ab Ordinatio loci, ubi Confessiones excipit. Hinc plurima

*Resol.* 1. Approbatus ab Episcopo ad sæcularium Confessiones excipiendas, nequaquam approbatus censetur respectu Monialium, eidem Episcopo subditarum: nec approbatus ad Confessiones excipiendas Monialium unius Monasterii, censetur approbatus respectu alterius Monasterii. Item approbatus respectu illarum pro una vice, semper non est approbatus, prout statuit, ac declaravit Clement. X. ann. 1670.

Dixi *Episcopo subditarum*. Regulares siquidem absque approbatione, saltem speciali pro Monialibus, subditas sibi Moniales absolvere valent. Profertur quidem contra Bulla Greg. XV. *Inscrutabili*, anno. 1622. & altera Clem. X. *Superna*, data ann. 1670. Sed hæ Bullæ, quarum primam Pontifex expresse dicit obligare tantummodo post ejus publicationem, in multis locis publicatæ non fuerunt, nec usu receptæ. Dixi *saltem Speciali pro Monialibus*. Multis namque in Diœcesibus, maxime in Gallia, mos invaluit, ut Regularium Superiores ad excipiendas Monialium sibi subditarum Confessiones non deputare possint, nisi quos pro sæculatibus ab Episcopo approbatos esse noverunt.

*Resol.*

*Reſol.* 2. In una approbatus Diœceſi, abſolvere non poteſt hujus Diœceſi ſubjectos in aliena; poteſt tamen in ea, qua approbatus eſt Diœceſi, alterius ſubditos abſolvere; quia conſuetudo ubique terrarum recepta, quæ vim legis obtinet, jus contrarium abolevit. Ubi obiter notandum eſt, Paſtores ordinaria Juriſdictione gaudentes, ubivis etiam in Parochiis, ac Diœceſibus alienis, ſubditos ſuos valide abſolvere poſſe.

*Reſol.* 3. Prælati Sæculares, & Regulares eligere non poſſunt Confeſſarium, niſi a ſuo Ordinario approbatum, juxta ſupra allatam Tridentini definitionem: *Non obſtantibus*, inquit, *quibuſcumque Privilegiis, & conſuetudine, etiam immemorabili.* Idem a fortiori de Parochis dicendum venit.

*Reſol.* 4. Parochus vi officii, extra Parochiam ſuam alienos Parochianos in alia Parochia ſine Epiſcopi approbatione abſolvere non poteſt, & licet de conſenſu Epiſcoporum pluribus in locis conſuetudo obtinuerit, ut in univerſa Diœceſi ſua poſſit abſolvere; ſi tamen Epiſcopus obſtiterit, invalida erit Abſolutio ab ipſis collata.

*Reſol.* 5. Quemlibet Fidelem, quovis tempore, etiam Paſchali, ſibi in Confeſſarium eligere poſſe quemlibet Sacerdotem in Diœceſi, pro omni temporis circumſtantia generaliter approbatum, & hæc Abſolutio a Sacerdotibus, etiam Regularibus, collata, valida eſt, & præcepti Confeſſionis annuæ vere impletiva.

Quod probatur auctoritate Joann. XXII. Extrav. *Vas electionis, de Hæret.* edita adverſus Joann. de Poliaco, qui cum dixiſſet confeſſos Regularibus teneri eadem peccata Parochis ſuis, vel alteri de ipſorum licentia confiteri, Romam vocatus errorem ſuum revocavit. Contra Regulares proferentur quidem Extrav. Martin. V. & Sixti IV. Sed ſi aliquando uſu fuerint receptæ, quod plurimi negant; certum eſt atque indubitatum per Succeſſo-

res eorum fuisse abrogatas maxime a Leon. X. in Bulla *Dum intra mentis arcana*, Sacro approbante Lateranensi Concil. Item a Clem. VIII. Bulla: *Significatum est nobis*. Item a Paulo III. *Licet debitum*. Item ab Innoc. X. *Exponi nobis fecerunt*. Item a Clem. X. *Superna*, &c. Adeo ut mirum videatur, quod nonnulli Theologi contrarium scribere ausi fuerint: maxime cum in omnibus Diœcesibus praxis, & Fidelium communis sensus omnino sit contrarius.

Dixi in solutione, *pro omni temporis circumstantia*, &c. Nam si Episcopus Approbationem conferendo tempus Paschale excludisset, tunc temporis Sacerdos aliunde approbatus valide Confessiones excipere non posset.

*Resol. 6.* Clausula ordinaria *de Parochorum consensu* approbationibus inserta, importat quidem strictam obligationem hunc postulandi consensum & obtinendi; nisi obstet secreta rationabilisque causa, juxta illud Præceptum Apostoli *Cui honor, honor*: sed Absolutionis invaliditatem nequaquam importare censetur.

## ARTICULUS III.

### *De speciali erga peccata reservata potestate.*

*Not.* CAsuum reservatio est Jurisdictionis restrictio a legitimo Superiore facta, vi cujus ordinarii Confessarii a nonnullis peccatis mortalibus, externis, certis, & in specie sua consummatis, pœnitentes absolvere nequeunt.

Dicitur 1. *Jurisdictionis restrictio*, cum enim ipsa absolute negari possit, ita & restringi. Dicitur 2. *A legitimo Superiore*, ab eo scilicet, cujus est Jurisdictionem necessariam conferre. Dicitur 3. *Ordinarii Confessarii*: hi scilicet, qui ex Jure aut consuetudine in casus reservatos nullam habent

pote-

poteſtatem. Dicitur 4. *A peccatis mortalibus*, non a venialibus, quæ fruſtra reſervarentur; cum ea non confiteri ſit liberum. Imo ſi peccatum de ſe veniale, per accidens mortale evaderet, ut verbum otioſum ex gravi malitia prolatum, non cenſeretur reſervatum. Dicitur 5. *Externis*, quia licet Eccleſia etiam interna reſervandi poteſtatem habeat, non tamen ea reſervare conſuevit, quia ad animarum regimen minus videtur neceſſarium & opportunum. Dicitur 6. *Certis*: quia juxta regulam juris, odioſa ſunt reſtringenda. Ideo ſi fundatum atque legitimum de peccato ſubſit dubium; ſive juris, an vel mortale ſit, vel reſervatum; ſive facti, an ſit perpetratum, & cum ſufficienti advertentia, nulla erit reſervatio. Dicitur 7. *In ſpecie ſua conſummatis*; quia odioſa in ſtricta ſunt acceptione interpretanda: ideo ſi copula reſervaretur, conſummata eſſet intelligenda. His notatis.

Dico: Quilibet Superior, qui Juriſdictionem ſuam conferre valet, nonnullos caſus ſibi reſervare poteſt, niſi obſtet Superioris majoris inhibitio.

*Prob.* Ex Trid. definiente ſeſſ. 14. can. 11. Eccleſiæ Prælatos hanc poteſtatem habere. Deinde, quorum intereſt Juriſdictionem conferre, ipſorum eſt eam pro libitu denegare; qui autem eam denegare, ipſam & reſtringere poſſunt. Hinc ſequitur Summum Pontificem in toto orbe Chriſtiano caſus ſibi reſervare poſſe, & Epiſcopis in ſua Diœceſi. Non tamen Parochi in ſua Parochia; quia id jure ac conſuetudine ipſis eſt inhibitum, ne nimia tandem evadat caſuum reſervatio.

*Obſerva in fine Tomi hujus num. IV.*

Quær. Quibuſnam competat a reſervatis abſolvere?

R. Extra mortis periculum, ubi quilibet Sacerdos poteſtatem habet a quibuslibet peccatis, & cenſuris abſolvendi, directe poteſt abſolvere ipſe

Re-

Reſervans, Reſervantis Superior, & ab eis delegatus. Poteſtas ſiquidem vel ordinaria, vel ad hoc ſpecialiter delegata requiritur, ut definivit Trid. citatum. Circa quod plurima ſunt obſervanda ad praxim neceſſaria, quæ hic breviter exponemus.

1. Epiſcopi facultatem habent ex Tridentino abſolvendi ab omnibus peccatis occultis Summo Pontifici reſervatis, immo & publicis, dum adeſt ad Pontificem recurrendi impedimentum Canonicum, quod pueri ac mulieres cenſentur ſemper habere. Occultum autem peccatum dicitur, quod nec divulgatum eſt, nec facile poteſt divulgari.

2. Habens facultatem a caſibus Pontifici reſervatis, non ideo habet a caſibus reſervatis Epiſcopo; ut expreſſe declaravit Clem. X. Bulla *Superna*.

3. Habens faculatem abſolvendi a caſibus reſervatis Pontifici, poteſt quidem & a cenſuris eidem reſervatis abſolvere; quia cum nullus exter caſus Pontifici reſervatus, cui Cenſura non ſit annexa, conceſſa facultate abſolvendi a reſervatis, cenſetur & conceſſa ſimul facultas a Cenſuris abſolvendi: ſecus vero dicendum eſt de peccatis Epiſcopo reſervatis; cum enim ſoleant Epiſcopi abſque Cenſuris caſus ſibi reſervare, conceſſa facultate a reſervatis abſolvendi, non ideo conceditur facultas a Cenſuris annexis abſolvendi.

4. Habens facultatem abſolvendi ab omnibus caſibus ac Cenſuris Epiſcopo reſervatis, ideo non habet facultatem abſolvendi a caſibus Papalibus, a quibus Epiſcopus per accidens poteſt abſolvere, ex conceſſione nimirum particulari, aut propter Canonicum impedimentum.

5. Subſiſtit quidem caſuum reſervatio poſt mortem Epiſcopi reſervantis, ſed poſt mortem ejus non ſubſiſtit facultas ſpecialis ab ipſo conceſſa ab eis abſolvendi; & neceſſaria eſt in hoc ſucceſſoris expreſſa confirmatio. Ratio eſt, quia licet ex Jure gratia a Superiore legitimo conceſſa, per mor-

mortem concedentis non expiret; ea tamen ex hac generali regula excipienda eſt gratia, quæ ſpeciali juri alicujus detrimentum infert.

6. Sacerdos, etiam approbatus, ſed a reſervatis abſolvendi poteſtatem non habens, Pœnitentem his reſervatis irretitum in mortis periculo abſolvere minime poteſt, præſente alio Sacerdote hac poteſtate prædito. Ratio eſt, quia Tridentinum hanc ſuſtulit in mortis periculo reſervationem, tantummodo *ne hac ipſa occaſione aliquis peccet*. Ubi autem adeſt Sacerdos hac poteſtate præditus, nulla eſt neceſſitas eam non habenti confitendi. Ergo. Quod ſi tamen Sacerdos, vel non approbatus, vel non habens poteſtatem in reſervatos, non exiſtente copia alterius, cœperit audire Confeſſionem hominis in mortis periculo conſtituti, & poſtea ſuperveniat Sacerdos approbatus, aut in reſervatos poteſtatem habens; is qui cœpit, poterit reliqua audire, & ab omnibus abſolvere; quia legitimam, dum cœpit, habebat auctoritatem, quæ quolibet adveniente perdurat ad finem uſque judicii ab eo inſtituti.

7. Qui in mortis periculo a caſibus reſervatis fuit abſolutus, non tenetur iterum Superiori reſervanti ſe ſiſtere; quia ex Tridentino in mortis periculo nulla eſt caſuum reſervatio; & moribundus non ſolum directe, ſed & indirecte ab ipſis fuit abſolutus; ſecus dicendum eſt de Cenſuris, ut alibi notavimus.

8. Qui ex inculpabili vel oblivione, vel ignorantia, peccatum reſervatum non eſt confeſſus, ab ipſo indirecte quidem fuit abſolutus, ſed cum onere coram Superiore reſervante ſe ſiſtendi, ſive ejus Confeſſarius poteſtatem non habuerit a reſervatis abſolvendi, ſive etiam habuerit: excipe tamen Jubilæi tempus, quo omnes Confeſſarii vere intendunt omnem, quam vi Jubilæi poſſunt, gratiam Pœnitentibus impendere.

9. Qui

9. Qui vi Jubilæi a peccatis reſervatis ſemel fuit abſolutus, ſi eodem Jubilæi tempore in novum reſervatum iterum laberetur, ab eo iterum poſſet abſolvi, modo iterum bona opera in Bulla Pontificis præſcripta exequeretur.

## QUÆSTIO II.

### *Quenam in Miniſtro requiratur ſcientia, ut rite Abſolutionis impendat beneficium.*

*Not.* CUM Sacerdos in Pœnitentiæ Sacramento adminiſtrando ex officio, Judex ſit ſimul, Medicus & Doctor: Judex, ut legitimam ſententiam ferat: Medicus, ut remedia contra peccatum ſuggerat: Doctor, ut viam veritatis doceat; clarum eſt multiplicem in eo requiri ſcientiam, qua ſi quis, ſaltem mediocriter, non fuerit inſtructus, abſque perpetuo, eoque graviſſimo, peccato Confeſſarii munus nec ſuſcipere, nec exercere poteſt. Hic noſtri non eſt propoſiti, omnia a Confeſſario ſcienda adnotare; cum ea ſuis quibuſque locis in toto Opuſculo noſtro ſufficienter ſint expoſita. Sed id unum ſuper omnia neceſſarium hic exponendum proponimus, quandonam & quibus impendendum ſit Abſolutionis beneficium. Circa quod

Dico: Sufficienter diſpoſitis Abſolutionem denegare, aut protrahere, ſicut & non ſufficienter diſpoſitis concedere, aut non differre, peccatum eſt, & ſacrilegium graviſſimum.

*Prob.* 1. pars. Quia qui Abſolutionem ſufficienter diſpoſito denegat aut protrahit, ſimul graviſſime peccat contra Religionem, Charitatem, & Juſtitiam. Contra Religionem, inquam, quatenus maximam Deo gloriam impie ſubtrahit; contra Charitatem, quatenus proximum ſuum gravi afficit contumelia, eumque gravibus periculis commit-

mittit, multiſque privat bonis; contra Juſtitiam, quatenus eum defraudat jure legitimo, ſibi per debitam Confeſſionem acquiſito.

*Prob.* 2. pars. 1. Ex Ritual. Rom. de Sacram. Pœn. *Videat*, inquit, *diligenter Sacerdos, quando & quibus conferenda, vel neganda, vel differenda ſit Abſolutio, ne abſolvat eos, qui talis beneficii ſunt incapaces.* 2. Conc. Tolet. III. jubenti *Coerceri execrandam præſumptionem* eorum, quibus *quoties peccare libuerit, toties ſe reconciliari poſtulant.* 3. Ex plurimis Sanctis Patribus, Cypr. de lapſis, Ambr. P. 128., Greg. Mag. lib. 6. c. 15. in 1. lib. Reg. &c. graviter arguentibus, & peccatores, qui ſtatim Abſolutionem ſibi impendi præſumunt, & Sacerdotes, qui ſine conſilio eam facilius impendunt. 4. Ex damnatione quarumdam propoſitionum ab Inn. XI. promulgata, ubi impie docetur peccatoribus conſuetudinariis, & in occaſione peccati proxima verſantibus, abſque mora concedendam eſſe Abſolutionem, modo ore proferant ſe dolere, & emendationem proponere. 5. Ex D. Caroli Inſtructionibus a Clero Gallicano ſolemniter adoptatis, ubi monentur Sacerdotes ut eos non abſolvant, quos peccata non dimiſſuros probabiliter exiſtimant; ipſiſque Sacerdotibus regulæ ad rite Abſolutionem concedendam ſapientiſſimæ præſcribuntur.

*Confirmatur* tandem ratione. 1. Quia fruſtra a Chriſto Sacerdotibus data fuiſſet poteſtas, nedum dimittendi, ſed & retinendi peccata confitentibus, ſi ad nutum ipſorum Pœnitentium indiſcriminatim Abſolutionem impertire tenerentur. 2. Quia Sacerdoti non licet dubiæ materiæ, abſque gravi neceſſitate, formam applicare. Qui autem videntur non ſufficienter diſpoſiti, materiam ſaltem exhibent dubiam, contritionem ſcilicet, dubiumque & inefficax propoſitum. Ergo, &c.

Quær. 1. Quibuſnam ſit deneganda abſolutio?

8. Aliud eſt Abſolutionem denegare, aliud ipſam tantummodo differre, licet plurimi utrumque confundant. Differtur Abſolutio his, qui aliqualem, ſed non ſufficientem, diſpoſitionem ad Sacramentum exhibent: negatur vero his, qui nullam, aut contrariam diſpoſitionem demonſtrant; & recenſentur ſequentes.

1. Myſteria fidei ad ſalutem neceſſaria neceſſitate medii, ignorantes; quia impoſſibile eſt placere Deo ſine Fide, quæ omnis juſtificationis radix eſt atque fundamentum. Ideo qui hæc ignorant, *nec ad ea*, inquit S. Carol. *quam primum diſcenda ſunt diſpoſiti, non debent abſolvi*. Quod ſi ea addiſcere ſint parati, poſſint ante Abſolutionem ſufficienter erudiri, ſintque aliunde ſufficienter diſpoſiti poterunt una vice abſolvi.

2. Qui nulla præbent doloris ſigna. Dignoſcitur autem peccatorem nullo interno dolore affici. 1. Si nullam ad Confeſſionem præparationem adhibuit, tum ad conſcientiam recognoſcendam, tum ad contritionem excitandam. 2. Dum non ſponte, ſed quaſi invitus, ad Sacrum Tribunal accedit. 3. Dum peccata ſua perfunctorie, præcipitanter, aut ridendo, hiſtorice, narrat. 4. Dum de proximo ſuo in Confeſſione ſiniſtre loquitur. 5. Dum præceptis Confeſſarii parere detrectat, &c.

3. Qui odia & inimicitias deponere, mediaque reconciliationis rationabilia amplecti recuſant, licet nihil mali inimicis ſuis apprecari centies proteſtentur; quia Spiritui Sancto impudenter mentiuntur.

4. Qui cum actualiter & commode ante Confeſſionem potuiſſent, vel in parte, vel in toto, famam aut rem alienam reſtituere, non reſtituerunt, licet ſe quamprimum reſtituturos ſpondeant. Quia actualiter & commode reſtituere potens, & non faciens, proximo nocere, proindeque peccare non ceſſat. Nec fides eſt adhibenda ei, qui poſt

Con-

Confeſſionem ſe facturum promittit, quod ante Confeſſionem de obligatione ſua cogitans, non fecit quod commode facere poterat.

Dices: S. Carol. docet tales pro prima vice abſolvi poſſe. R. S. Carolum intelligendum eſſe de his, qui vel huic obligationi non attenderunt, vel qui abſque gravi incommodo Confeſſionem ſuam differre non poſſunt.

5. Qui publicum dantes ſcandalum, illud tollere non curant, prout contingit mulieribus immodeſte luxurioſeque veſtitis; tum quia quandiu ſcandalum non tollitur, aſſidue nocere cenſetur; tum quia peccatorum ſcandaloſorum Abſolutio verum eſt ſcandalum.

6. Qui omnino voluntarie degunt in occaſione proxima & præſenti peccati, ſive hæc ſit proxima per ſe, ſive ſit proxima tantum per accidens; quia tales nedum propoſitum non peccandi de cetero non habent, ſed cenſentur potius verum peccandi propoſitum habere: qui enim vult cauſam, ex quo effectus ordinarie ſequitur, vult ipſummet effectum. Circa quod, ad mox dicendorum pleniorem intelligentiam

Obſervandum eſt, quod per occaſionem peccati intelligatur id quod ad peccatum nos protrahere poteſt. Alia eſt remota, quæ aliquando, ſed raro, ad peccatum inducit; quo ſenſu nulla ferme res est in mundo, quæ omnibus hominibus occaſionem peccati remotam non ſuppeditet: alia proxima, quæ frequenter & ordinarie ad peccatum impellit. Porro occaſio proxima alia dicitur per ſe & abſoluta, quæ ex natura ſua ſemper aut fere ſemper homines fragiles ad peccatum inducit: alia dicitur per accidens & reſpectiva, quæ quidem nata non eſt ut frequenter homines ad peccatum inducat, ſed tantum ratione ſpecialis indiſpoſitionis cujuſdam hominis particularis, qui in ea occaſione peccare conſuevit. Denique hæc ultima

occa-

occasio, vel absens est, vel præsens. Præsens censetur, si in ipsa domo vel professione Pœnitentis occurrat: absens vero, si non occurrat, sed quærenda sit, ut Ludi, Choreæ, &c. His observatis.

Quær. 2. Quibusnam differenda sit Absolutio?

R. Sequentibus esse differendam.

1. Ignorantibus Mysteria fidei ad salutem necessaria necessitate præcepti; dum jam a præcedentibus Confessariis moniti ea addiscere neglexerunt. Idem dicendum de Patribus & Matribus familias, qui suos filios, filias, servos, & ancillas ea addiscere minime curagunt.

2. Differenda est Absolutio his, qui nonnisi levia atque æquivoca exhibent dolotis signa; & tempus ipsis est assignandum, per quod ad Confessionem diligentius se disponant: caute tamen est procedendum erga rudes & simplices homines, dum metus est, ne amplius ad Confessionem accedant. Tunc enim, inquit D. Carolus, Sacerdos interrogationibus, instructionibus, ac exhortationibus eorum indispositionibus supplere debet.

3. Differenda est Absolutio his, qui post promissionem factam de mediis ad reconciliationem adhibendis, semel aut iterum promisso non steterunt.

4. Item his qui fide data de re aliqua restituenda, ipsam, vel una vice, refellerunt.

5. Differenda est Absolutio versantibus in occasione proxima absente, & proxima præsente, sed involuntaria: involuntariam dico, quam peccans dimittere non est liber, ut Filius familias, qui famulam, quacum peccat, e domo Patris non potest expellere, vel quivis alius qui ab ea sese expedire non potest, absque gravi scandalo, gravissimoque detrimento, aut gravissima infamia.

6. Differenda est Absolutio consuetudinario recidivo, qui jam eadem peccata confessus, nulla vel modica emendationis signa dedit; maxime si de hac prava sua consuetudine monitus & correptus,

ptus, remedia contra ulteriorem relapsum neglexerit. Quod si una tantummodo vice pravam consuetudinem suam fuerit confessus, nec fuerit umquam monitus, nec ulla fuerint præscripta remedia contra recidivam, hac vice, post sufficientem datam monitionem & remedia præscripta, poterit absolvi.

7. Differenda est Absolutio ei, qui post perpetratum immane peccatum, homicidium verbi gratia, adulterium, &c. absque ulla interposita mora, vel saltem parvâ, unius scilicet, aut alterius diei, ad Sacramentum accedere, & Absolutionem sibi statim impendi præsumit. In his siquidem gravioribus peccatis, maxime luxuriæ, procrastinanda est Absolutio ad arbitrium prudentis Confessarii, ut hi insignes peccatores oratione ac bonis operibus contritionem firmumque propositum obtinere satagant.

Quær. 3. Quisnam peccati consuetudinem & habitum induisse censeatur?

R. Fatentur omnes Theologi consuetudinariis protrahendam esse Absolutionem, donec emendationis signa dederint; sed vix unum reperies, qui clare exponat quis consuetudinarius sit censendus. Dicendum est igitur triplicem distingui posse peccandi habitum seu consuetudinem, inchoatam nimirum, provectam, & consummatam seu inveteratam. Regulariter loquendo, prima formatur tribus aut quatuor actibus repetitis: secunda, duplo pluribus; tertia quadruplo repetitis. Dixi *Regulariter loquendo*: quia sæpenumero citius habitus pravi efformari possunt, tum propter maximam naturæ corruptæ ad aliquod peccatum proclivitatem; tum propter magnam actus pravi eliciti intensionem. Sic videmus per unicum actum virtutis heroicum, quandoque ipsiusmet virtutis habitum acquiri. Quocirca qui semel, & iterum in completam lapsus est luxuriam, aut quis semel & ite-

iterum intensissimum actum odii in proximum emisit; censendus est saltem inchoate consuetudinarius. Idem cum proportione de ceteris peccatis dicendum venit.

Quær. 4. Quis habitum aut consuetudinem exuisse sit censendus?

R. Regulariter loquendo, inveteratus consuetudinarius censetur sufficienter emendatus, & habitum suum pravum exuisse; si ad statum habitus inchoati transierit; id est si prius peccans duodecies, deinceps per notabile temporis spatium non peccet nisi ter, aut quater. Item provectus consuetudinarius censetur sufficienter emendatus, & habitum exuisse, qui per supradictum notabile temporis spatium deinceps minime peccat. Inchoatus vero consuetudinarius diuturniori tempore indiget, ut plena ejus & perfecta appareat emendatio. Non censendus est igitur inveteratus consuetudinarius sufficienter emendatus, (idem dic cum proportione de provecto) qui ad statum habitus provecti tantummodo transit; quia habitus jam formatus actibus pluries repetitis facile conservatur per alios subsequentes. Dixi *per notabile temporis spatium*; sed quantum? Id præcise assignari minime potest; sed habenda est ratio, tum ad naturam peccati, tum ad proclivitatem quam ad illud habet peccator, tum ad occasiones quæ sæpius illud committendi frequentius rariusque occurrunt. Peccator siquidem, vel morbo correptus, vel in carcere detentus, vel longum iter faciens, & sic ab occasione semotus, certa emendationis signa exhibere utique non potest. Id totum Confessarii prudentiæ ac sagacitati committendum est.

Quær. 5. Quandiu differenda sit Absolutio consuetudinario recidivo?

R. Habendam esse rationem. 1. Ad magis vel minus intensam Contritionem, firmiusque vel minus firmum propositum. 2. Ad diuturniorem, vel minus diuturnum habitum. 3. Ad majorem, vel mi-

minorem fidelitatem in aſſumendis vel obſervandis contra recidivam remediis. 4. Ad urgentiorem vel minus urgentem Abſolutionis neceſſitatem. 5. Ad notabilem, vel non notabilem circumſtantiarum mutationem. Hinc

*Reſol.* 1. Qui magna exhibet Contritionis firmique propoſiti ſigna, Abſolutio ipſi non tandiu eſt procraſtinanda; immo qui extraordinaria exhiberet, ſtatim abſolvi poſſet, adhibitis gravibus pœnitentiis & ſalutaribus remediis.

*Reſolv.* 2. Diutius protrahenda eſt Abſolutio provecto conſuetudinario, quam inchoato, & inteſtato quam provecto; immo inchoato ſolummodo conſuetudinario ſemel & iterum, adhibitis remediis, poteſt impendi.

*Reſolv.* 3. Qui remedia contra recidivam neceſſaria notabiliter neglexit, non debet abſolvi, donec eadem fideliter adimpleverit, a quacumque teneatur conſuetudine. Siquidem ſignum eſt evidens, ſufficientem Contritionem, ſufficienſque propoſitum non habere.

*Reſolv.* 4. Probabile mortis periculum ſufficiens eſt neceſſitas ad impendendam Abſolutionem, a quacumque conſuetudine Pœnitens detineatur. Nec præceptum confitendi in Paſchate, nec obligatio communicandi ſtatutis diebus in quadam ſocietate, ſufficiens eſt neceſſitas ad Abſolutionem concedendam conſuetudinariis, ſaltem provectis, multo minus inveteratis: igitur protrahenda eſt juxta præſcriptas regulas, perinde ac ſi nulla adeſſet neceſſitas. Periculum autem gravis verique ſcandali aut gravis infamiæ Sacerdotem adducere poteſt, non ut inveterato, & provecto conſuetudinario abſque mora Abſolutionem impendat, ſed ut citius ipſam conferat. Si v. gr. ad Nuptias celebrandas tempus urgeret.

*Reſolv.* 5. Conſuetudinarius, qui in Monaſterium vel Seminarium ſe recipit, ut Statum Religioſum

vel

R. Quandoque posse ac debere, ad breve tempus. Potest differri, dum stricte loquendo pœnitens sufficienter quidem est dispositus, sed non ita perfecte; & melius est, ne propter dispositionis imperfectionem in graviora labatur peccata, prudensque Confessarius judicat severiori indigere correptione, ut cautius & attentius in via perfectionis procedat. Debet differri, dum Pœnitens eorum peccatorum venialium nulla aut modica contritionis signa exhibere videtur; dum maxime nullum aliud gravius peccatum, quo ad contritionem excitetur, exponit. Dixi *ad breve tempus*; ne ex Absolutionis privatione diuturniori longe gravius malum spirituale excipiat.

Quær. 8. Utrum absolvendus sit moribundus, qui coram Sacerdote nulla exhibet Pœnitentiæ signa?

R. 1. Certum est Sacerdotem absolvere posse ac debere moribundum, qui coram ipso nulla quidem Pœnitentiæ signa edere valet, sed qui coram saltem uno adstante, ea de re testimonium ferente, priusquam obmutesceret, hæc signa exhibuit. Ratio est, quia testimonium adstantis, qui tunc erga Pœnitentem se habet quasi ejus Interpres, ejusdem vices supplet, & pro ipso contritionem, & confessionem exterius prodere censetur; non quidem perfectam, & integram, sed confusam atque imperfectam, quæ in mortis articulo proculdubio ad valorem Sacramenti sufficit. Rationi accedit auctoritas CC. Carthaginens. IV. Araufic. I. cap. 11. S. Leon. in Epistol. 91. Rit. Rom. de Sacram. Pœnit. omniumque Patrum docentium, tunc Sacerdotem absque incunctatione moribundo Absolutionem impendere teneri.

R. 2. Probabile videtur absolvendum esse, saltem sub conditione, moribundum, licet nulla prius Pœnitentiæ signa dæmonstraverit, modo adsint qui testentur ipsum Catholice, licet non cum de-

bita integritate; nec ſine gravibus peccatis, vixiſſe, Miſſam audiſſe, & Sacramenta quandoque frequentaſſe. Hujus ſententiæ probabilitas deſumitur 1. ex D. Auguſt. qui lib. 1. de Adult. Conjugiis c. 26. docet, Cathecumeno ſubito ſenſibus deſtituto, *etiamſi voluntas ejus incerta eſt*, Baptiſma conferendum eſſe, additque c. 28. eamdem eſſe reconcilationis cauſam, ſi forte Pœnitentem vitæ periculum præoccupaverit. 2. Ex Sacerdotali Rom. ubi hæc opinio verbis expreſſis docetur, & praxis ſuadetur poſt D. Antoninum. 3. Ex plurimorum Doctorum teſtimonio hanc ſententiam publice profitentium; Greg. XV. in ſuo Memoriali, quod ante exaltationem ſuam edidit, nec poſt ipsam retractare cogitavit. Homob. Salmer. Baſſ. &c. ad centenarium uſque numerum; quos referre longius eſſet. 4. Ex ratione non contemnenda. Si enim certum eſt, moribundum abſolvi poſſe, cum quiſpiam voluntatis ejus præhabitæ exhibet teſtimonium; non minus certum videtur & abſolvi poſſe eum, de quo refertur vitam duxiſſe Catholicam, in qua Abſolutionis deſiderium, ſaltem in articulo mortis elicitum, includitur. Ex quo deſiderio Sacerdoti implicite manifeſtato, probabiliſſime inferre poteſt ac debet moribundum de facto tunc dare, vel ſaltem paulo ante aliqua Pœnitentiæ ſigna de ſe ſenſibilia dediſſe, licet ob morbi ligamentum non cognita. Hinc brevitatis gratia prætermiſſis adverſariorum argutiis, quæ hanc opinionem improbabilem reddere non valent,

*Reſolv.* Sacerdotem ex ſtricta Charitatis obligatione, & quandoque ex juſtitia, dum nempe Paſtoris exercet officium, ſupradicto moribundo Abſolutionis beneficium, ſaltem ſub conditione, impendere teneri; nec ſufficere ut ipſi Extremam Unctionem conferat, quia non omnino certum eſt hoc Sacramentum primam gratiam, per accidens,

con-

conferre poſſe. Ratio hujus reſolutionis eſt, quia quilibet fratri ſuo in extrema neceſſitate conſtituto, prout licite poteſt, ſubvenire tenetur. Atqui, ſecundum omnes Theologos in Sacramentorum confectione materiam probabilem ſub conditione uſurpare licitum eſt, dum extrema urget neceſſitas, & nulla alia haberi poteſt. Ergo.

℟. 3. Minime licere Abſolutionem impendere moribundis obmuteſcentibus, quos Chriſtiane vixiſſe præſumi non poteſt; quique & ethnicam potius quam chriſtianam vitam duxerunt; prout ſunt Apoſtatæ, Hæretici, publici Concubinarii, Uſurarii, ſimileſque impii, qui per totius vitæ curriculum vix ullum dedere pietatis ſignum. Ratio eſt, quia nullum apparet rationabile fundamentum ſuſpicandi, inſtante morbo graviſſimo, inveteratam ſuam malam voluntatem ſubito immutaſſe, aut aliquod pœnitentiæ ſignum tunc velle exhibere, cujus probabili intuitu exponi poſſit Abſolutio. Nec refert, quod ſub conditione ipſam conferendo, provideri videatur reverentiæ Sacramenti: nam inde ſequeretur formam Baptiſmi, ſub eadem conditione, cum vino aut ſabulo licite applicari poſſe, quod nemo ſomniavit.

Quær. tandem quid facto opus ſit, dum Sacerdos advertit ſe Abſolutionem rite non impendiſſe?

℟. Diſtinguendo: vel enim defectus eſt dubius, vel certus. Si dubius, pro ipſo ſtat præſumptio; ideo non eſt quod ſeipſum aut Pœnitentem anxiet. Si defectus ſit certus, vel Sacramenti invaliditatem importat, vel non;

In primo caſu, ad ſe citius Pœnitentem revocet, dum abſque ſcandalo aut gravi incommodo fieri poteſt; vel ſi id fieri nequeat, ab ipſo petat & obtineat facultatem de ejus Confeſſione ſecum loquendi, modo tamen ægre hanc petitionem non laturum prævideat. Quod ſi vel Pœnitentem non agnoſcat, vel eum revocare non poſ-

sit, vel facultatem de ejus Confessione loquendi concedere renuerit, & hanc petitionem ægre laturum prævideatur; post factam peccati sui Pœnitentiam, totum Divinæ misericordiæ committat.

In secundo autem casu, dum defectus invaliditatem Sacramenti non importat, sed Confessarium Pœnitentem in errorem induxit; supradictis utatur mediis, ad ipsum de errore monendum, nisi forte speret brevi ad se pro Confessione iterum rediturum. Quod si non redierit, & supradicta media adhiberi non possint, post factam Pœnitentiam quiescere debet: nisi forte error, in quem Pœnitentem induxit, in damnum tertiæ personæ vertatur; tunc enim Confessarius ad restitutionem, quam non fecit Pœnitens, tenebitur.

## QUÆSTIO III.

*Quænam in Ministro Absolutionis requiratur prudentia, maxime ad sibi deposita reticenda.*

*Not.* 1. A Deo necessaria est in Confessario prudentia, ut ejus cæteræ dotes absque ea nedum sint inutiles, sed & quandoque sint nocivæ. In multis ipsa præluceere debet. 1. In dignoscendis Pœnitentis dispositionibus, ut more periti Medici superinfundat vinum aut oleum, & utrumque, juxta cujuslibet morbi exigentiam. 2. In disquirendis peccatis, quæ Pœnitens vel non novit, vel ipsum declarare pudet; ut interrogando ne sit nimius maxime erga peccata venerea, ad quorum particulares circumstantias minus necessarias descendere non debet; ne etiam parcus, ut aliquid necessarium prætermittatur. 3. In præscribendis contra peccata remediis salutaribus, habita ratione ad naturam criminum, nec non ad conditionem, ætatem, & sexum Pœnitentium.

4. In

4. In excitanda filiali confidentia, ſinceraque contritione; pro quibus motiva parata, quaſi ad manum, ſemper habere debet. In quibus omnibus ſi Confeſſarius notabiliter delinquat, gravis peccati conſcius evadit. Sed in nullo tam neceſſaria eſt prudentia, quam in ſervando Confeſſionis Sigillo, de quo hic nobis agendum incumbit. Circa quod

*Not.* 2. Sigillum Confeſſionis ſic dicitur ab inſtrumento, quo litteræ obſignantur, ne arcana in his contenta revelentur; eſtque obligatio caute celandi quæ in Confeſſione Sacramentali fuerunt accepta. Hujus obligationis gravitas adeo clara eſt & cordibus omnium adeo infixa, ut in univerſa Antiquitate nullum reperias Hæreticum, qui docere fuerit auſus, aliquando licere in Confeſſione depoſita, vel directe, vel indirecte, revelare. Hæc ſacrilega nequitia noſtro miſerando ſæculo erat reſervata, ubi quoſdam Phanaticos devotos non puduit docere, licitum eſſe atque opportunum, ad grave malum avertendum & peccati Complices, & ipſamet Pœnitentis graviſſima peccata, ſaltem indirecte, revelare. Cum circa hanc materiam multa ſint elucidanda, diverſas quæſtiones ſigillatim & ordinate diſponemus.

Quær. 1. Quo jure obligat Confeſſionis Sigillum?

R. Triplici jure obligat, naturali, Divino, & Eccleſiaſtico.

1. Jure naturali, ratione Charitatis diſtricte præcipientis, ut *prout volumus, ut faciant nobis homines, & nos faciamus illis ſimiliter*. Ratione fidelitatis, qua tenemur ſecretum cum fiducia nobis depoſitum diligenter ſervare. Ratione juſtitiæ, ſecundum quam debemus promiſſis fideliter ſtare. Confeſſarius ſiquidem Confeſſionem non excipit, niſi cum pacto tacito revelata inviola-

biliter celandi, nec ea Pœnitens eidem revelat, niſi ſub hac tacita conditione.

2. Jure Divino naturaliter conſequente inſtitutionem & naturam Sacramenti Pœnitentiæ. Inſtitutionem dico, quatenus qui peccata declarari juſſit, eo ipſo juſſit eorum omnimodam celationem, ſine qua hominibus odioſum atque oneroſum fieret Sacramentum. Naturam dico, quatenus huic Sacramento eſſentiale eſt, ut homo homini quaſi Deo ſoli confiteatur; & ſimul ſignificet quod operatur, quod omnino tecta ſunt, quæ in ipſo Sacramentaliter ſunt depoſita. Ex quo fit, ut qui ſecretum ſibi commiſſum revelat, mendacem hanc efficiat ſignificationem.

3. Jure Eccleſiaſtico, ut habetur c. *Sacerdos* diſt. 6. *de Pœnitentia*, & cap. *Omnis utriuſque ſexus*. Hinc

*Reſolv.* Confeſſionis Sigilli violatorem duplicis peccati mortalis, ſpecie diſtincti, reum eſſe; unum multa implicita involvens, nempe contra juſtitiam naturalem: alterum contra Religionem, violando rem ſacratiſſimam, graviſſimamque Sacramento inferendo injuriam.

Quær. 2. Quanta ſit hujus Sigilli obligatio?

R. Tantam eſſe primo, ut in ea nulla prorſus detur materiæ levitas; ita ut quidpiam, etiam leviſſimum, in Confeſſione depoſitum directe vel indirecte revelare, quod aliqualiter Confeſſionem odioſam reddere poteſt, ſemper ſit mortale, graviſſimumque ſacrilegium. 2. Tanta eſt, ut nullo caſu ſit diſpenſabilis, ob injuriam poſitive Deo, & ipſius Sacramento illatam; quod utique malum eſt intrinſecum, proindeque nullo fine bono excuſabile, juxta illud Apoſt. *Non ſunt facienda mala, ut eveniant bona.* 3. Tanta eſt, ut ſit perpetua, nec minus obliget poſt mortem, quam in vita Pœnitentis ob rationes ſupra allatas, quæ ſemper vigent. Ideo ſi mediante ſola Confeſſione puellam

jam gravidam eſſe cognoviſſet, peccatum ejus abſque nefando ſacrilegio revelare non poſſet; ut ex corpore ejus mortuo infans extraheretur ac baptizaretur. Hinc

*Reſol.* 1. Sacerdos de Confeſſione Pœnitentis interrogatus, reſpondere poteſt ac debet abſque hæſitatione, etiam ſub juramento, ſe talia non audiiſſe, cum quatenus homo nihil de facto audierit, ſed quatenus Miniſter Dei, cujus perſonam geſſit.

*Reſol.* 2. Qui ex Confeſſione novit grave damnum imminere, vel alicui innocenti, vel ſibimet, vel Eccleſiæ, vel Reipublicæ, 1. Pœnitentem monere debet, graviter teneri ad hujuſce facti revelationem, qua jam ante Confeſſionem, ut patet, tenebatur; & ſi noluerit, Abſolutionem ei denegare. 2. Debet, ſi poſſit, ipſemet huic malo obviare; modo tamen id poſſit abſque ullo, vel minimo, periculo quamdam ſiniſtram ſuſpicionem ingerendi contra eos, qui privilegio Sigilli Sacramentalis gaudent, aut ipſis ruborem, moleſtiam, aut gravamen, etiam leviſſimum, afferendi. Si enim citra hoc periculum id præſtare nequeat, potius mortem oppetere, omniaque mala in ſeipſo, & in aliis perpeti tenetur, quam ullatenus legem Secreti infringere.

Quær. 3. Undenam oriatur Sigilli obligatio, & quoſnam afficere cenſeatur?

R. 1. Oritur ex ſola & omni Sacramentali Confeſſione, quomodolibet, mediate, vel immediate, implicite, vel explicite, indirecte, vel directe, illicite, vel licite, ſacrilege, vel pie, inutiliter, vel utiliter, remote, vel proxime facta, Sacerdoti vero, aut putativo, in ordine ad Abſolutionem obtinendam. Hinc

*Reſol.* 1. Sigillum minime obligare, ſi facta ſit Confeſſio dumtaxat animo decipiendi, tentandi aut irridendi Confeſſarium & Sacramentum,

de qua ſola atque unica intentione omnino certum eſſe neceſſe eſt ; ſi enim aliquod adſit dubium, utrum aliqualis acceſſerit intentio ſecundaria Abſolutionem obtinendi, Sacramento favendum eſt.

*Reſol.* 2. Si quis extra Confeſſionem ſecretum aliquod alteri committit, addendo ſe illud committere ſub Confeſſionis Sigillo, nulla inde oritur Sigilli Sacramentalis obligatio, ſed tantummodo naturalis. Hæc namque ſacra obligatio non pro libitu, ſed ex inſtitutione Chriſti imponitur.

*Reſol.* 3. Confeſſio facta Laico aut Clerico, ut tali cognito, non ad Sacramentale Sigillum, ſed ſolummodo ad naturale obligat ; niſi forte facta fuiſſet, ut poſthac Sacerdoti aperiretur, aut ſi confitens erronee putaret Clericum habere poteſtatem a peccatis abſolvendi.

*Reſol.* 4. Qui ſe Sacerdotem fingeret, aut tamquam admiſſum ad Confeſſiones excipiendas ſeſe exhiberet, cum revera non eſſet, ad Sacramentale Sigillum teneretur.

*Reſol.* 5. Si quis ante, vel poſt, vel extra Confeſſionem, cum Sacerdote de peccatis ſuis colloquium miſceat, in ordine ad bonum ſuum ſpirituale: aut ſi quis ante, vel poſt Confeſſionem, pro reſervatis ſuperiori ſe ſiſtat, tunc ſtricte obligat Sacramentale ſigillum; quia hæc remote, vel diſpoſitive, vel indirecte, vel completive ad Sacramentalem pertinent Confeſſionem.

Dx. 2. Sigillum Sacramentale obligat illos omnes & ſingulos, qui ex Confeſſione Sacramentali, aut cum ordine ad illam, ſive mediate, ſive immediate, indirecte, ſive directe, verbis, aut ſignis aliquam ſigilli materiam noverunt. Hinc

*Reſol.* Ad Sigillum teneri 1. Confeſſionis Interpretem. 2. Qui Confeſſionali vicinus, etiam inculpabiliter & præter voluntatem, aliquid audivit, immo & eum, qui vultu, aut geſtu, tum Sacerdotis,

dotis, tum Pœnitentis, quilpiam percepit, aut conjecturavit. 3. Illum ad quem ſive licite, ſive illicite, & ſub quocumque prætextu, mediate, vel immediate, delata eſt Confeſſio; etiamſi jam per mille perſonas ſucceſſive tranſiiſſet. 4. Illos qui ſcriptam Confeſſionem invenerunt, legerunt, aut legi audierunt; quod abſque mortali ſacrilegio fieri nequit. Ratio eſt, quia res ad quoſcumque pervenit, cum onere ſuo tranſit. Hinc

*Reſol.* 2. Judices, ac Superiores eo ipſo, quo noverint materiam judicii, aut correptionis ex ſola Confeſſione fuiſſe cognitam, quoquomodo fuerit cognita, licite, vel illicite, proxime, aut remote &c. ſive hæc ſolum pœnitentem, vel complices reſpiciat, ut mox probabitur, tenentur ſub graviſſimo ſacrilegio rem intactam relinquere, & pari modo ſe gerere, ac ſi nihil omnino nec cognoviſſent, nec audiviſſent.

*Reſol.* 3. Hos omnes ſive privatos homines, ſive Judices, ſive Superiores, aut teſtes, aut alios quoſcumque, ad quos pervenit quolibet modo Confeſsionis cognitio, nec inter ſe, multo minus cum ipſo pœnitente colloquium miſcere poſſe, abſque ſacrilega ſigilli Sacramentalis infractione. Hinc

*Reſol.* 4. Quam turpiter errent Confeſſarii, qui de pœnitentium ſuorum Confeſſione ſimul colloquuntur; ſub prætextu, quod utrique facta fuerit eadem Confeſſio. Nefarii ſacrilegi non advertunt quidem, ſe teneri poſt auditam Confeſſionem perinde ſe gerere ac ſi nihil prorſus audiſſent; ſed cum deberent ſcire & advertere, eorum ignorantia, aut inadvertentia a graviſſimo peccato ipſos non excuſat.

Quær. 4. Quænam ſit ſigilli materia, vel quænam cadant ſub ſigillo?

R. Omnia omnino, etiam minima, quæ de ſe, nedum reddunt, & nata ſunt reddere Confeſſionem, vel

vel leviſſime, odioſam. Ex hoc indubitato, & ab omnibus, tamquam de fide, recepto principio,

*Reſol.* 1. Peccata mortalia, & venialia, nec non & imperfectiones, tum in genere, tum in ſpecie, cum ſuis omnibus circumſtantiis cadunt ſub ſigillo, ut patet. Non frangeret tamen ſigillum, qui in genere diceret talem nonnihil venialia, & imperfectiones confiteri, quia per hoc Sacramentum non redderetur exoſum.

*Reſol.* 2. Peccatorum objecta cadunt ſub ſigillo; ut ſi quis confiteatur ſe interfeciſſe talem puellam gravidam.

*Reſol.* 3. Defectus pœnitentis, quicumque ſint, ſive naturales, ſive civiles, ſive morales, v. gr. quod pœnitens ſit ſcrupuloſus, rudis, ingenio tardus, pauper, ignobilis, imperitus &c. & in his omnibus nulla datur parvitas materiæ.

*Reſol.* 4. Pœnitentia pœnitenti impoſita cadit ſub ſigillo; niſi forte ita ſit levis, ut nihil niſi quod devotorum ordinariam Confeſſionem indicare poſſit.

*Reſol.* 5. Pœnitentium indiſpoſitio cadit ſub præcepto. Ideo ſigillum infringit, qui quovis modo indicat Abſolutionem ſe denegaviſſe, etiamſi ipſemet pœnitens id publice revelaret; quia id natum eſt Confeſſionem odioſam reddere, quod utique a pœnitentis declaratione non pendet. Quod ſi ſchedulam, Confeſſionis teſtem, pœnitenti concedere urgeatur, teſtari poteſt ac debet ſe Confeſſionem talis excepiſſe, ſi ex hujus teſtimonii denegatione ſiniſtra ſuſpicio ingeri poſſet. Quæ atteſtatio pariter omnibus abſolutis, vel non abſolutis conferre debet; ne diverſus atteſtationis modus ſuſpicionem ſiniſtram ingerat.

*Reſol.* 6. Peccata publica, alias Confeſſario ignota, cadunt ſub ſigillo; quia, licet forſan eorum revelatio pœnitenti non ſit injurioſa, ſemper injurioſa eſt Sacramento; cum, ut mox dictum

eſt,

eſt, independenter ab hac publicitate nata ſit reddere Sacramentum exoſum. Dixi *alias Confeſſario ignota*; nam ſi aliunde noverit, ea ſcientia extra-ſacramentali uti licebit, modo propter in Confeſſione audita non affirmet, nec ullum adſit ſcandali periculum; prout ſi ſuſpicionem ingereret, ſe ſcientia uti Sacramentali.

*Reſol.* 7. Licet, per ſe loquendo, perfectiones, virtutes &c. non cadant ſub ſigillo; per accidens tamen cadere poſſunt: ſi nempe ex earum manifeſtatione alii peccatores inde poſſent vituperari. Ideo ſigillum infringeret, qui paucis auditis diceret talem non depoſuiſſe niſi venialia.

*Reſol.* 8. Rei ſunt fractionis ſigilli, & ſacrilegii, qui auditis Confeſſionibus dicunt grave crimen perpetratum eſſe, aliquem abuſum regnare in tali Monaſterio, tali loco, Parochia, Communitate, aut Societate: immo qui & de his ac ſimilibus in Confeſſione cognitis colloquia miſcens, etiam cum aliis Confeſſariis, qui hæc probe noverunt: quia hæc omnia Communitati ſunt infamativa, de ſeque nata exoſam reddere Confeſſionem.

*Reſol.* 9. Sigillum infringunt Sacerdotes, qui coram rudibus, ac ſimplicibus, ruſticis, ſervis, mulierculis &c. imprudenter narrant hæc & hæc in Confeſſione audiiſſe, iſtud, vel illud accidiſſe, licet in genere loquantur nec ullam vel Communitatem, vel perſonam directe, vel indirecte deſignent, quia hæc & ſimilia nata ſunt exoſam Confeſſionem rudibus, ac ſimplicibus reddere. Immo a crimine non ſunt innoxii Sacerdotes, qui ex levitate aut petulantia facile & abſque neceſſitate de auditis in Confeſſione cum quibuslibet aliis colloquia miſcent, ob periculum imminens ſigillum infringendi, ut ex multis experientiis compertum habemus.

Quær. 5. Utrum peccata, imperfectiones, defe-

ctus, indispositione &c. Complicis, aut cujusvis alterius personæ cadant sub sigillo, non secus ac peccata, imperfectiones &c. ipsiusmet pœnitentis?

℟. Affirmative, juxta communissimam atque certissimam Doctorum sententiam. Ratio est. 1. Quidquid Sacramentaliter fuit depositum, ab ipsomet Sacramento manet sigillatum: ideoque sub quovis prætextu, aut quovis prætenso bono fine revelari non potest, quin vera ac positiva Sacramento inferatur injuria. 2. Eo ipso, quo peccatum Complicis sacramentaliter est sigillatum, Complex jus plenum acquirit ad peccati sui occultationem; quo jure absque gravissima injuria fraudari non potest. 3. Hæc revelatio institutioni Sacramenti est contraria, cum Christus Dominus ipsum non instituerit nisi ad Absolutionem Pœnitentis; ideo qui Sacramento uteretur ad alium finem, quantumvis apparenter bonum, sacrilegii reus fieret, quatenus ipso abuteretur, vel indebite uteretur. 4. Hæc revelatio nata est reddere Sacramentum exosum, & homines ab ipso retrahere; non solum quia cognito complice aut altera Persona peccatrice, deveniri tandem potest ad cognitionem Pœnitentis; sed quia odiosa fit ipsimet Complici, qui nihil non moveret, ut alterum suum Complicem a Confessione deterreret, vel ipsum ab ea deterrere tentaret. Hinc

*Resolv.* 1. Omnia omnino, quæ supra diximus, & mox dicturi sumus de ipsomet Pœnitente erga Sigilli Sacramentalis obligationem, dicenda esse de Complice, aut quavis altera persona in Confessione Sacramentali, vel prudenter, vel imprudenter, vel absque necessitate, vel cum necessitate revelata.

*Resolv.* 2. Confessarius, qui ex Confessione novit peccatum Pœnitentis qui de ipso non se accusat, non potest, citra immane sacrilegium, absimili modo se gerere, tum in faciendis interrogationibus,

nibus, tum in impendenda vel non impendenda Abſolutione, quam ſi peccatum ejus neſciret. Circa quod

Quær. 6. An Confeſſario notitia confeſſionali quandoque uti liceat?

R. Poſſe uti, quando talis uſus nec Sacramento injurioſus, nec his qui Sigilli privilegio gaudere debent, injucundus eſſe poteſt; non autem licet in contraria ſuppoſitione, ut patet ex dictis. Hinc

*Reſol.* 1. Licitum eſſe Confeſſario, citra directam vel indirectam ſigilli violationem, beneficium præſtare Pœnitenti, pro ipſo orare, Caſus intricatos perpendere, Doctoribus exponere, modo nullum ſit ſuſpicionis ſiniſtræ ingerendæ periculum a quibuſdam actionibus Pœnitenti nocivis abſtinere, imo Confeſſionem ejus declinare propter nimis intricatam ejus conſcientiam: modo tamen id Pœnitens non advertat, & inde non confundatur, nec rubore afficiatur.

*Reſolv.* 2. Nefas eſſe Confeſſario ob quantumvis gravem cauſam uti notitia in Confeſſione habita, ſi inde ſigilli privilegio gaudentes moleſtiam, gravamen, confuſionem, vel ruborem, etiam leviſſimum, ex hoc nefario uſu, nunc, aut in futurum ſuſcipere poſſint. Ratio eſt evidens; quia nempe ſi hoc liceret, Confeſſio odioſa, & oneroſa redderetur, & facile propter hoc homines ab ea deterrerentur.

Reſolutionem prodat Decret. Clem. VIII. datum ann. 1594. quo mandat, ut *tam Superiores pro tempore exiſtentes, quam Confeſſarii, qui poſtea ad Superioris gradum fuerint promoti, caveant diligentiſſime, ne ea notitia, quam de aliorum peccatis in Confeſſione habuerint*, (in quibus verbis comprehenduntur ſane omnes ſigillo Sacramentali gaudentes; ubi ſiquidem lex non diſtinguit, nec nos diſtinguere debemus) *ad exteriorem gubernationem*

*mian-*

*utantur*: cujus De reti ratio alia nulla eſt, quam quod praxis contraria Sacramentum redderet, aut reddere poſſet exoſum.

Quær. 7. An Confeſſarius, de Pœnitentis licentia, ſermonem habere poſſit de auditis in Confeſſione, ſive cum aliis, ſive cum ipſo Pœnitente extra Tribunal? Nam certum eſt intra Tribunal id poſſe, ſi neceſſitas Sacramenti, aut Pœnitentis utilitas id poſtulaverit.

℟. 1. Confeſſario licet, cum Pœnitentis licentia, de peccatis ejus ipſum vel alios alloqui, modo hæc licentia actualis ſit, formalis, expreſſa, plane libera, & rationabilis; nec enim ſufficit vel tacita, vel interpretativa, vel ſperata, vel præſumpta, vel aliquo modo involuntaria, vel tandem inutilis aut irrationabilis. Satis patet, hanc licentiam debere eſſe actualem, & formalem & expreſſam. Sed obſervandum eſt 1. Involuntariam eſſe, proindeque invalidam, ſi fuerit quaſi extorta precibus importunis aut metu quodam reverentiali ipſius Confeſſarii, aut ejus dolo, ſub prætextu inculcatæ a Confeſſario obligationis, quæ vix in nullo caſu reperibilis eſſe poteſt; maxime dum agitur de revelando alieno peccato, quod numquam licere mox probavimus. Advertendum eſt 2. Licentiam irrationabilem eſſe, proindeque nullam, non ſolum abſque gravi neceſſitate concedatur, ſed & ſi vergat in contemptum aut injuriam Sacramenti, & ſi nata ſit illud reddere exoſum. Sic juxta omnes Theologos, nullo excepto, non liceret Confeſſario revelare, ſe Pœnitenti Abſolutionem denegaſſe, & cauſas denegationis aperire; licet Pœnitens ipſemet, nedum permitteret, ſed ex graviſſima urgente neceſſitate ad id Confeſſarium obnixe rogaret, & impenſiſſime ſollicitaret.

℟. 2. Nullo prorſus caſu licitum eſt aliena peccata revelare in Confeſſione depoſita, etiam de formali expreſſa ac pleniſſime libera Pœnitentis licen-

ceotia. Hæc aſſertio ex ſupradictis quæſt. 5. neceſſario ſequitur. Nam ſi verum ſit 1. Omnia Sacramentaliter depoſita ab ipſo Sacramento eſſe ſigillata. 2. Si eo ipſo Complex, aut tertia perſona, per hoc jus acquirat ad peccati ſui occultationem. 3. Si hæc revelatio Sacramenti inſtitutioni ſit contraria. 4. Si hæc nata ſit Sacramentum exoſum reddere; conſequens eſt Pœnitentem juri quidem ſuo renuntiare poſſe, non vero juri Sacramenti, nec juri Complicis; proindeque hanc renuntiationem invalidam eſſe, & prorſus irritam, nec abſque nefando ſacrilegio Sacerdotem ea uti poſſe.

Quær. 8. Utrum poſita Pœnitentis obligatione reum quendam denuntiandi, tum ad ejus correctionem, tum ad avertendum grave & imminens malum, Confeſſarius Pœnitentem ſuum inducere poſſit, ut peccatum vel Complicis, vel alterius Perſonæ extra ſacrum Tribunal ſibi aperiat; quo ipſemet Confeſſarius reum ſic extra ſacramentaliter cognitum denuntiare poſſit?

℟. Hanc praxim omnino eſſe damnabilem, quatenus de ſe natam populum ſcandalizare, & fundatam ſuſpicionem ingerere Confeſſionis ſigillum infringi, proindeque Sacramentum exoſum reddere. Ideo, inquit D. Bona 4. diſt. 20. p. 2. art. 2. q. 2. *Debet Sacerdos Pœnitentem ſuum* denuntiatorem *conſtituere, & non ſe nuntium facere: & ſic vitabitur ſcandalum, & non rumpitur Sigillum Confeſſionis.* Nec eſt quod hic nobis objiciatur Bulla Greg. XV. præcipientis Confeſſarios ad turpia ſollicitantes denuntiari; tum quia hæc Bulla in Gallia nec publicata fuit, nec uſu recepta, tum quia hæc Bulla nullatenus jubet, ut ipſemet Confeſſarius ſollicitantes denuntiet aut hujus criminis denuntiatorem ſe ſe conſtituat. Ideoque juxta ipſammet Bullam perfecte munus ſuum explebit, ſi Pœnitentem moneat graviter ad denuntiationem teneri,

neri, & Absolutionem ei deneget, si absque legitima causa monito acquiescere detrectaverit.

Quær. 9. Utrum ipsemet Pœnitens ad sigillum teneatur?

R. Licet Pœnitens Sigillo Sacramentali proprie non teneatur, sed secreto tantum naturali; certum est tamen Sacramento non modicam injuriam inferre, si absque necessitate, aut utilitate, contra Confessarii voluntatem justam, ejus dicta aut facta imprudenter revelet.

Quær. Ultimo: An absolvi possit Pœnitens negans peccatum a Confessario extra sacramentaliter cognitum?

R. Si ipsemet Confessarius de visu & auditu hoc peccatum cognoverit, vel si illud acceperit a duobus vel tribus testibus omni exceptione majoribus, non est absolvendus. Quod si illud peccatum resciverit vel a non plena fide dignis, vel ab uno tantummodo teste omni exceptione majore, absolvendus est, saltem sub conditione.

## CAPUT VI.

### *De satisfactione.*

Not. 1. SAtisfactionem multipliciter sumi, posse. 1. Generaliter pro cujusvis debiti solutione. 2. Specialius pro quavis pœna, qua injuria Deo illata quodammodo compensatur; & hæc, vel in solam peccati vindictam a lege æterna infligitur, vocaturque *Satisfactio*, prout sunt supplicia, quæ damnati in Inferno, & justi in Purgatorio patiuntur; vel ad Pœnitentem redimendum a graviori supplicio, quod meruit, infligitur; diciturque proprie *Satisfactio*, quæ iterum duplex est. Alia non Sacramentalis, quæ sponte a Pœnitente assumitur; Sacramentalis altera, quæ pro peccatis confessis a Sacerdote injungitur.

Not.

*Not.* 2. De Fide certum eſt ex Trident. ſeſſ. 14. c. 7. & can. 12. non ſemper totam pœnam peccato debitam cum culpa remitti, licet tanta poſſit eſſe Contritio, ut utraque totaliter remittatur. Hujus veritatis catholicæ illuſtre, inter cetera, habemus exemplum in Davide, cui de peccato ſincere dolenti culpa quidem remiſſa fuit, non pœna; non quidem ſolummodo, ut docent Lutherani & Calviniſtæ, ad populi ædificationem; ſed in vindictam peccati, quia præciſe *blaſphemare fecerat inimicos Domini*. Hinc jure merito infertur, ipſomet jure divino poſt Baptiſmum lapſos ad aliquam pro delictis ſuis imponendam ſatisfactionem ſtricte teneri, juxta illud præceptum Evangelicum: *Facite fructus dignos Pœnitentiæ*. Ideoque Contritio inanis & falſa dicitur, quam votum Deo ſatisfaciendi non comitatur; nec Pœnitentiæ Sacramentum integrum cenſetur, quod aliqua reali ſatisfactione non perficitur. Unde

Dico: Confeſſarius ſatisfactionem aliquam Pœnitenti injungere, & Pœnitens eam, modo rationabilis ſit, acceptare & adimplere ſub gravi peccato, tenetur.

*Prob.* 1. Pars. Confeſſarius in Tribunali ſimul eſt Miniſter Chriſti, Judex, Medicus & Magiſter Pœnitentis. Ut Miniſter Chriſti, tenetur plene atque integre miniſterium ſibi commiſſum implere: ut Judex, tenetur de peccatis perpetratis vindictam ſumere: ut Medicus tenetur vulnera ægroti ſui curare: ut Magiſter, tenetur Diſcipulum ſuum vim Pœnitentiæ docere. Quæ omnia graviſſimam obligationem imponere perſpicuum eſt.

*Prob.* 2. Pars ex probatione prioris. Nam obligatio præcipiendi, & debitum obediendi adeo eſſentialiter ſunt correlativa, ut unum ſine altero eſſe nequeat. Neque enim ſuperior præcipere tenetur, ſi ejus præcepto ſubditus obtemperare non teneatur. Ergo ſi gravit ſic Confeſſarii obligatio Pœnitentiam injungendi, gravis eſt

Pœni-

Pœnitentis obligatio eamdem acceptandi & adimplendi. Hinc

*Resolv.* 1. Mortalis peccati, immo & ſacrilegii conſcium eſſe Sacerdotem, qui ex culpabili negligentia Pœnitentiam injungere prætermittit.

Dixi *ex negligentia*; quia ſi Pœnitens adeo eſt infirmus, ut nullam adimplere poſſit, non eſt quod ipſi ullam imponat. Sed caſus eſt metaphyſicus; moraliter loquendo nullus reperiri poteſt qui vel leviſſimum virtutis actum, etiam externe, adimplere non valeat. Huc accedit ex Catechiſmo Romano citato quod Confeſſarius, qui nonniſi leviſſimam ægroto injunxit Pœnitentiam, teneatur aliam graviorem *indicere*, *quam*, *ſi convaluerit*, *opportuno tempore peragat*.

*Reſolv.* 2. Ejuſdem gravis peccati ac Sacrilegii conſcium eſſe Pœnitentem, qui vel rationabilem Pœnitentiam a Sacerdote impoſitam ſuſcipere detrectat, vel qui ex voluntate determinata, aut ex notabili negligentia ipſam non implet, licet hæc leviſſima foret, & pro venialibus tantum impoſita.

*Dixi* 1. *rationabilem*: non enim Reus injuſtæ & impoſſibili Judicis ſententiæ tenetur ſe ſubmittere.

*Dixi* 2. contra nonnullos Doctores, *licet hæc leviſſima foret*; tum quia tanta eſt obligatio Pœnitentis, quanta Sacerdotis, ob eſſentialem utriuſque correlationem. Ergo ſi Sacerdos leviſſimam Pœnitentiam ſub gravi peccato imponere tenetur, ita & Pœnitens ſub eodem peccato ipſam adimplere; tum quia Pœnitens non minus tenetur quam Sacerdos, ad præſtandam Sacramenti integritatem; tum quia eo inexcuſabilior eſt Pœnitens, quo facilius hanc levem adimplere poteſt Pœnitentiam. Ideoque ejus omiſſio ſecretum Sacramenti contemptum in omittente arguit. Circa hanc materiam plurimæ occurrunt quæſtiunculæ, hic breviter exponendæ.

Quær.

Quær. 1. Quando & quomodo injungenda ſit Pœnitentia?

℟. Injungendam eſſe poſt abſolutam Confeſſionem & ante Abſolutionem, ut præſcribunt Ritualia; tum quia ſatisfactio, ſicut & confeſſio & contritio, eſt quaſi materia Sacramenti, ſupra quam forma proferri debet; tum quia ex humili ſatisfactionis acceptatione uberior ſit fructus Abſolutionis; tum quia ſcire opus eſt utrum Pœnitens eam acceptare velit, priuſquam abſolvatur, & ſic cognoſcatur Contritionis ejus ſinceritas. Porro modo imperativo imponenda eſt, non modo deprecatorio, falſæ urbanitatis gratia, cum hujus impoſitio de ſe actus ſit judicialis. Nonnulla tamen addi poſſunt per modum conſilii; quorum impletio vim habet pœnæ diminuendæ, nedum ex ipſa boni operis natura, ſed etiam virtute Clavium.

Quær. 2. Quænam ſit ſatisfactionis materia?

℟. Eam eſſe quævis opera pœnalia, ſive interna, ſive externa, ſive aliunde præcepta, ſive non præcepta. Ratio primi eſt; quia Pœnitentia dicit neceſſario pœnam, cum pœnitere nihil aliud ſignificet quam pœnam tenere. Præcipua autem ſatisfactionis opera, ad quæ cetera reducuntur, ſunt Oratio, Jejunium, & Eleemoſyna, in qua merito includuntur preces fundendæ, tam pro vivis, quam pro defunctis. Ratio ſecundi eſt; quia quodlibet internum pietatis opus pœnam habet & natum eſt, mederi vulneribus animæ. Ratio tertii eſt; quia ex Trident. pro peccatis Deo ſatisfacere poſſumus, etiam per pœnas & afflictiones nobis ab ipſo inflictas. Verumtamen Confeſſarius ex Eccleſiæ intentione tenetur ſemper aliqua opera indebita injungere. Dum ob quandam rationem aliunde debita injungit, quando clare non exprimit Confeſſarius ſe opus jam præceptum injungere, cenſendus eſt opus liberum injunxiſſe, juxta praxim Eccleſiæ.

Quær.

Quær. 3. Qualis ratio eſt habenda in injungenda ſatisfactione?

R. Ratio eſt habenda 1. Ad numerum & qualitatem criminum, adeo ut qui pro graviſſimo peccato pœnitentiam notabiliter leviorem, quam par eſt, injungeret, mortaliter peccaret, fieretque juxta Trident. ſeſſ. 14. c. 8. *alienorum peccatorum particeps*; tum quia per hanc crudelem indulgentiam jus divinum violaret; tum quia per hanc ignaviam & mollitiem peccata nutriret ac foveret. Attamen

2. Habenda eſt ratio ad naturam Sacramenti, quod juxta Trid. cit. c. 8. non eſt *forum iræ vel pœnarum*, cum ejus primarius finis ſolvere ſit potiu. quam ligare. Ideo potius medicinales pœnæ, quam punitivæ ſunt imponendæ: ſuperbis orationes, voluptuoſis jejunium & mortificationes, avaris eleemoſynæ & opera charitatis, &c.

3. Habenda eſt ratio qualitatis pœnitentis, conditionis, ſexus, & ætatis. Siquidem ſenſus ipſe communis ſuggerit, quæ conveniunt Clericis ac Religioſis, ſæpius incongrua eſſe Laicis; quæ apta ſunt ignobilibus, artificibus, famulis, nociva eſſe nobilibus: idem dic de ceteris.

4. Habenda eſt ratio diſpoſitionum pœnitentis, ne Sacerdos lignum fumigans, quem accendere deberet, nimia ſeveritate penitus extinguat. Ideo inquit S. Carol. *Talem imponat pœnitentiam qualem a Pœnitente præſtari poſſe judicet; proinde aliquando, ſi ita expedire viderit, illum interroget an poſſit, anve dubitet pœnitentiam ſibi injunctam peragere: alioquin eam mutabit aut minuet.* Sed prius pœnitenti exponere non prætermittat obligationem, tum ipſius Confeſſarii, tum ipſius pœnitentis in injungendis & adimplendis gravibus pro gravioribus criminibus pœnitentiis.

Quær. 4. An & quomodo mutari poſſit Pœnitentia in Sacramento impoſita?

R. 1.

℟. 1. Ipſemet Pœnitens commutare non poteſt pœnitentiam ſibi impoſitam, etiam in meliorem, cum in ſe Juriſdictionem non habeat. 2. Confeſſarius nec valide, nec licite Pœnitentiam, pro reſervatis impoſitam, commutare poteſt; dum in reſervata Juriſdictionem non habet. 3. Confeſſarius extra Tribunal mutare non poteſt Pœnitentiam vel a ſe, vel ab alio impoſitam, cum hæc mutatio actus ſit judicialis; quapropter Pœnitens, qui Pœnitentiam ab altero Confeſſario vult immutari, tenetur ipſi iterum peccata ſua deponere. 4. Graviter peccat Confeſſarius Pœnitentiam ab alio impoſitam permutans abſque gravi ratione, eaque evidente; dum nempe vel mutatæ ſunt circumſtantiæ quæ pœnitentem efficiant pœnitentiæ adimplendæ impotentem; vel dum exceſſus eſt notabilis, vel dum imprudentiſſime pœnitentia fuit impoſita.

Quær. 3. Quinam ſint Pœnitentiæ Sacramentalis effectus?

℟. 1. Nec gratiæ juſtificantis augmentum, nec novas gratias actuales ex opere operato cauſat, quia hic effectus ſoli Sacramento competit; ſatisfactio autem non eſt de eſſentia Sacramenti, quod jam proprium ſuum produxit effectum ante Pœnitentiæ adimpletionem. 2. Ex opere operato pœnam remittit temporalem, eoque majorem vel minorem, quo major vel minor eſt pœnitentis diſpoſitio, quia ſatisfactio ab ipſomet Chriſto Domino cum Sacramento inſtituta eſt ad remiſſionem peccatorum: quidquid autem a Chriſto Domino fuit inſtitutum, ex opere operato ſuum effectum ſortitur.

Quær. 6. Quandonam implenda ſit ſatisfactio?

℟. 1. Eo tempore, quo a Confeſſario fuit determinata, ſi adfuerit hujus determinationis aliqua

qua causa. Quod si tempus non fuerit determinatum, adimplenda est quamprimum commode fieri potest; adeo ut qui absque causa notabiliter eam procrastinaret, peccati mortalis conscius esset; cum tempus adimpletionis, non secus ac ipsamet impletio, cadat sub præcepto.

N. 2. Adimplenda est in statu gratiæ, non quod Pœnitens præcepto non satisfaciat, novumque peccatum committat, eam in statu peccati mortalis adimplendo, quia ipsum opus, non modus implendi cadit sub præcepto, ut alibi cum D. Th. docuimus; sed quia juxta eumdem D. Thom. aliosque Doctores & Catechism. Rom. p. 2. c. 5. nullus, nisi justus & amicus Dei, ipsi satisfacere valet. Certum est enim satisfactionem ab acceptatione Dei omnino pendere, cum ad æqualitatem numquam fieri possit. Atqui inimicus Dei indignus est, ut ejus satisfactio ab ipso acceptetur. Ergo &c. Nec obstat quod Pœnitentes in primæva Ecclesia poenitentiam saltem ex parte implerent, priusquam absolutione donarentur. Hæ siquidem poenitentiæ ante absolutionem explendæ tantummodo imponebantur, ad Ecclesiæ ædificationem, ad peccatores exercendos, & ad magis ac magis excitandam Pœnitentium contritionem. Deinde dici potest poenitentiam Sacramentalem jam peractam, per contritionem aut legitimam absolutionem, sublato obice, ad effectum suum producendum forsan, more aliorum Sacramentorum, revivisceere.

N. 3. Nullatenus est necesse ut prius poenitentia adimpleatur, quam absolutio impendatur. Id siquidem nulla lex sancivit, & doctrina contraria a Sixto IV. & Alex. VIII. fuit damnata. Expedit tamen aliquando ut nisi post adimpletam Pœtentiam Pœnitens absolvatur, dum nempe præcedentes neglexit; vel dum metus est ne sibi impositas, negligat; vel demum dum id videtur ne-

cess-

ceſſarium ad excitandam ejus contritionem, vel ad ipſum a recidivis avertendum.

Quær. 7. An Pœnitens per ſeipſum pœnitentiam impoſitam adimplere teneatur?

R. Affirmative; niſi forſan Confeſſarius ex juſta cauſa ipſi concedat ut per alium eam ex parte adimpleat. Ratio eſt, quia hæc obligatio perſonalis eſt. Adde, Pœnitentia ab alio expleta, ſacramentalis non eſſet, proindeque Sacramentum non integraret. Ideo jure merito ſententia contraria ab Alex. VII. fuit damnata. Quod autem de licentia Confeſſarii poſſit Pœnitens per alium partem aliquam pœnitentiæ ſibi impoſitam adimplere, id probat Sanctorum communio. Unde ex juſta cauſa, nempe Pœnitentis infirmitate aut fragilitate, poteſt Confeſſarius, poſt gravem impoſitam pœnitentiam, onus in ſe ſuſcipere explendi ejus partem aliquam, ut poenitens ad peccatorum ſuorum gravitatem attentius advertat, & ſic ad contritionem & poenitentiam excitetur.

Quær. 8. Quid facto opus ſit Poenitenti, qui pœnitentiæ ſibi impoſitæ oblitus eſt?

R. Regularirer loquendo, tenetur Confeſſarium, cum jam confeſſus eſt, aut alterum adire, eique ſtatum ſuum, ſaltem ſummatim & confuſe, aperire, ut de novo ei pœnitentiam imponat. Quod ſi tamen poenitentia aut pars poenitentiæ, quæ perſolvenda reſtat, levis ſit; poterit Poenitens huic ſupplere per aliquid ſimile. Ubi obiter advertendum eſt differendam eſſe abſolutionem Pœnitentibus, qui ex gravi negligentia poenitentias ſibi impoſitas adimplere non curant, donec eas perſolverint, niſi tamen charitas & prudentia aliud dictaverint. Indicat ſiquidem hæc gravis negligentia, pœnitentem nullo aut non ſufficienti dolore attritum eſſe.

Quær.

Quær. 9. Quænam olim fuerint pœnitentiæ Canonibus pœnitentialibus impoſitæ?

℟. 1. Primævæ Eccleſiæ Pœnitentium habitus erant pullæ veſtes, cinere conſperſæ, ſacci, & cilicia. Præterea jejuniis, vigiliis, orationibus ac auſteritatibus plurimis exercebantur, a deliciis, conviviis, balneis, hominumque congreſſibus arcebantur, immo nec militare, nec conjugia inire ipſis erat licitum.

2. Quatuor pœnitentiæ claſſes ipſis erant decurrendæ, priuſquam ad Sacram Synaxim admitterentur. 1. *Flentium*, qui ab Eccleſiæ foribus excluſi, ſe reos palam confitebantur, & genibus provoluti fideles Eccleſiam ingredientes rogabant, ut apud Deum & Eccleſiam pro ipſis intercederent. 2. *Audientium*, qui intra fores Eccleſiæ admittebantur, verſabanturque juxta januam poſt Catechumenos; ſed cum ipſis foras expellebantur, ante Myſteriorum celebrationem. 3. *Proſtrantium*, qui in loco Eccleſiæ provectiori collocabantur, ibique manus impoſitionem, & ſimul onus multarum pœnitentiarum ſibi impoſitarum ſuſcipiebant. Poſt Epiſcopi Concionem, & ante Miſſæ Offertorium ab Eccleſia pellebantur. 4. *Coſiſtentium*, qui cum Populo fideli ad finem uſque Sacrificii perſiſtebant, ſed Euchariſtiæ participatione privati erant.

3. Pro ſingulis peccatis gravior vel levior, juxta gravitatem vel levitatem eorum, indicta erat ſpecialis pœna.

Qui Fidem negaverat, decem annis pœnitentiam agebat.

Perjurus per totam Quadrageſimam in pane & aqua jejunabat, & per totam vitam ſuam omnibus ſextis Feriis.

Qui ad falſo jurandum alium impulerat, quadraginta diebus in pane & aqua jejunabat, & ſeptem annis in pœnitentia perſiſtebat.

Blaſ-

Blaſphemus ſeptem Feriis ſextis in pane, & aqua jejunabat, & ſeptem diebus Dominicis præ foribus Eccleſiæ ſtabat more *flentium*.

Qui die feſto aut Dominico opus ſervile fecerat, tribus diebus in pane & aqua pœnitentiam agebat.

In Eccleſia tempore divinorum Officiorum confabulans, decem diebus in pane & aqua jejunabat.

Qui quatuor Temporum jejunium infregerat, per dies quadraginta in pane & aqua jejunabat.

Qui parentes ſuos injuria affecerat, tribus annis in pane & aqua pœnitentiam agebat, & qui eos percuſſerat, annis ſeptem.

Homicida ad januam Eccleſiæ cum flentibus per totam vitam perſeverabat; nec niſi in articulo mortis divinam Euchariſtiam ſuſcipiebat.

Fratri ſuo reconciliari detrectans, in pane & aqua jejunabat, donec reconciliatus erat.

Fornicator pœnitentiam agebat duobus annis, adulterus quinque, Sodomita & Beſtialis decem, Inceſtuoſus duodecim.

Mulier fucis & pigmentis utens, ut aliis placeret viris, tribus annis pœnitentiam agebat.

Reus furto in re minus gravi, uno anno pœnitebat, in graviori & cum rapina, aut uſura, tribus, anno uno in pane & aqua.

Falſarius, aut falſum præſtans teſtimonium, in pane & aqua per totam vitam pœnitentiam agebat.

Plura apud auctores videantur, quæ pœnitentibus opportunum erit exponere, ut ad contritionem moveantur faciliuſque pœnitentias a Confeſſario impoſitas excipiant.

## QUÆSTIO I.

### De Sacramenti Pœnitentiæ effectibus.

*Not.* 1. SAtis constat ex dictis in hujus Dissertationis discursu, hujus Sacramenti effectus esse primo Gratiæ habitualis infusionem, cum ceteris comitantibus donis gratuitis. 2. Omnis culpæ omnium peccatorum, etiam gravissimorum, remissionem. 3. Pœnæ æternæ pro eis debitæ condonationem, non tamen semper totam temporalem. Duo solummodo hic examinanda supersunt: utrum merita ante peccatum acquisita, & per peccatum amissa, per subsequentem pœnitentiam reviviscant; & utrum peccata remissa per novum relapsum redeant. Circa quod

*Not.* 2. Quintuplicis generis esse posse opera nostra, vel enim sunt *viva*, quæ nempe ex principio vitæ, charitate scilicet, & gratia prodeunt, & quæ vitam æternam merentur; vel *mortua*, quæ licet de se bona sint, utpote quæ facta fuerint circa objectum bonum & ex fine moraliter honesto, non tamen ex motivo charitatis prodeunt, nec vita digna sunt æterna; vel *mortifera* seu mortalia, quæ animæ mortem spiritualem inferunt; vel *mortificata*, quæ quidem ex motivo charitatis facta sunt, & de se merentur vitam æternam, non sunt tamen remuneratione digna, propter indignitatem hominis qui peccatum mortale commisit; vel *revivificata*, quæ cum prius viva essent, & posthac per peccatum mortale mortificata, iterum propter gratiam redeuntem vita æterna digna facta sunt. His notatis,

Dico I. Opera viva per peccatum mortificata per pœnitentiam reviviscunt, juxta omnem gratiæ gradum, quem ante peccatum habebant, & juxta totum jus ad gloriam, quod merebantur.

*Prob.*

*Prob.* Ex Joel 2. ubi Deus peccatorem ad pœnitentiam invitans promittit se ipsi redditurum *annos, quos comedit locusta, brucus, & rubigo & eruca*, id est ut SS. Patres interpretantur, omnia merita, quæ per peccatum amiserunt. Item ex Ezech. 33. *Impietas impii non nocebit ei in quacumque die conversus fuerit*. Noceret autem, si merita præterita non reviviscerent. *Item ex* Apost. Galat. 3. ubi Galatis exprobrans eorum infidelitatem, ait: *Tanta passi estis sine causa*, id est frustra, *si tamen sine causa*; quem locum SS. Patr. Chrysost. Ansel. Hieron. exponentes dicunt: *Sine causa*, id est *sine utilitate vestra, supposito quod in hoc errore perseveretis; non sine causa, si resipiscitis*. Adstipulantur D. Thom. & D. Bonavent. cum ceteris Theologis, ita ut temeraria & in Fide periculosa videatur sententia contraria.

*Confirm.* De Fide est, Deum per pœnitentiam peccatum perfecte condonare. Atqui perfecte peccatori non condonaret, si in peccatorum suorum vindictam ipsum privaret aliquo gradu gratiæ, & amicitiæ suæ, quem prius obtinuerat. Ergo.

Dico II. Peccata prius remissa per Pœnitentiam, nec quoad culpam, nec quoad pœnam absolute redeunt, per peccatum ipsum subsequens.

*Prob.* Ex Psalm. 102. *Quantum distat ortus ab occidente, longe fecit a nobis iniquitates nostras*: & Mich. 7. *Projicies in profundum maris omnia peccata nostra*. Ex quibus ac similibus textibus convincitur, æternam atque absolutam esse peccatorum remissionem. Deinde si peccata jam remissa per subsequens peccatum redirent, rediret etiam peccatum originale, quod deinde irremissibile fieret, cum nec per Baptismum, qui iterari non potest, nec Pœnitentiam, quæ non est instituta nisi pro peccatis personalibus actualibus, nec per Contritionem, quæ nulla est citra pœnitentiæ votum, remitti posset.

Quær. Utrum ex peccato pœnitentiam ſubſequente arguatur, neceſſario præcedentem Confeſſionem nullam fuiſſe, & peccata in eis confeſſa dimiſſa non fuiſſe?

℟. Nequaquam. Ratio D. Thom. eſt 3. p. q. 84. artic. 10. *quia numquam veritas prioris actus excluditur per actum contrarium ſubſequentem; ſicut enim vere cucurrit, qui poſtea ſedet; ita vere pœnituit, qui poſtea peccat.* Intellige, ſuppoſito quod de facto cucurrerit, ac pœnituerit. Deinde ſi ex peccato conſequente neceſſario argueretur pœnitentiam nullam fuiſſe, ſequeretur, quod qui veram ſemel feciſſet pœnitentiam, de cetero peccare non poſſet, quod eſt hæreticum. Item ſequeretur, Sacramentum Pœnitentiæ pluries iterari non poſſe, nec debere, contra Trid. expreſſam definitionem ſeſſ. 14. cap. 2. & 4. & can. 4. Unde *ſi peccaverit quis*, ait Chryſoſt. *quotidie confiteatur peccatum; tametſi millies peccaverit, perſtat millies confiteri.* Homil. 6. de Pœnitentia. Fatendum eſt tamen, frequentem ſtatim poſt pœnitentiam relapſum, ſignum eſſe probabile Contritionem non fuiſſe veram, nec propoſitum firmum. Hinc recidivis ac conſuetudinariis jure merito differtur Abſolutio.

## DISSERTATIO V.

### *De Extrema Unctione.*

QUatuor capitibus hanc Diſſertationem abſolvemus. 1. Erit de eſſentia & exiſtentia Extremæ Unctionis. 2. De ejus materia & forma. 3. De Miniſtro ejus ac ſubjecto. 4. De effectibus ac ritibus ejus.

CA-

## CAPUT I.

### *De Eſſentia, & Exiſtentia Extremæ Unctionis.*

*Not.* HOc Sacramentum varia ex Antiquis ſortiri nomina. 1. Dicitur *Unctio infirmorum*, quia non datur niſi periculoſe ægrotantibus. 2. Dicitur *Oleum ſanctum*, ex materia ejus remota. 3. Dicitur *Sacramentum Pœnitentiæ conſummativum*, quia inſtitutum eſt ad delendas peccatorum reliquias. 4. Dicitur *Extrema Unctio*, quia omnes alias nobis collatas, tum in Baptiſmo, tum in Confirmatione, tum in Ordine ſubſequitur. Hujus exponenda eſt definitio, & contra Hæreticos, Lutheranos, Calviniſtas, probanda eſt exiſtentia.

Dico I. Extrema Unctio recte definitur: *Sacramentum a Chriſto Domino inſtitutum ad ſanitatem animæ & corporis, ſi expedierit, infirmis conferendam, per Sacerdotis unctionem & orationem.*

*Prob.* Et exponitur concluſio. Dicitur 1. *Sacramentum*, ut mox probabitur, quod locum habet generis. 2. Dicitur *a Chriſto inſtitutum*, cujus ſolius eſt, non autem Eccleſiæ, Sacramenta inſtituere. 3. Dicitur *ad ſanitatem animæ conferendam*, per gratiam ſcilicet ſanctificantem, aliaque auxilia ſpecialia. 4. Dicitur, *corporis, ſi expedierit*; id eſt ad ſalutem animæ, quæ per hoc Sacramentum principaliter intenditur. 5. Dicitur *Infirmis*, per quod hujus Sacramenti ſubjectum inſinuatur. 6. Dicitur *per Sacerdotis unctionem & orationem*. Quæ verba ſimul exprimunt hujus Sacramenti Miniſtrum, materiam, & formam.

Dico II. Extrema Unctio verum eſt novæ Legis Sacramentum.

*Prob.* 1. Ex Scriptura Jac. 5. *Infirmatur quis in vobis? inducat Presbyteros Eccleſiæ & orent ſu-*

neri, & Abſolutionem ei deneget, ſi abſque legitima cauſa monito acquieſcere detrectaverit.

Quær. 9. Utrum ipſemet Pœnitens ad ſigillum teneatur?

℟. Licet Pœnitens Sigillo Sacramentali proprie non teneatur, ſed ſecreto tantum naturali; certum eſt tamen Sacramento non modicam injuriam inferre, ſi abſque neceſſitate, aut utilitate, contra Confeſſarii voluntatem juſtam, ejus dicta aut facta imprudenter revelet.

Quær. Ultimo: An abſolvi poſſit Pœnitens negans peccatum a Confeſſario extra ſacramentaliter cognitum?

℟. Si ipſemet Confeſſarius de viſu & auditu hoc peccatum cognoverit, vel ſi illud acceperit a duobus vel tribus teſtibus omni exceptione majoribus, non eſt abſolvendus. Quod ſi illud peccatum reſciverit vel a non plena fide dignis, vel ab uno tantummodo teſte omni exceptione majore, abſolvendus eſt, ſaltem ſub conditione.

## CAPUT VI.

### *De ſatisfactione.*

Not. 1. SAtisfactionem multipliciter ſumi poſſe. 1. Generaliter pro cujuſvis debiti ſolutione. 2. Specialius pro quavis pœna, qua injuria Deo illata quodammodo compenſatur; & hæc, vel in ſolam peccati vindictam a lege æterna infligitur, vocaturque *Satisfactio*, prout ſunt ſupplicia, quæ damnati in Inferno, & juſti in Purgatorio patiuntur; vel ad Pœnitentem redimendum a graviori ſupplicio, quod meruit, infligitur; diciturque proprie *Satisfactio*, quæ iterum duplex eſt. Alia non Sacramentalis, quæ ſponte a Pœnitente aſſumitur; Sacramentalis altera, quæ pro peccatis confeſſis a Sacerdote injungitur.

Not.

*Not.* 2. De Fide certum eſt ex Trident. ſeſſ. 14. c. 7. & can. 12. non ſemper totam pœnam peccato debitam cum culpa remitti, licet tanta poſſit eſſe Contritio, ut utraque totaliter remittatur. Hujus veritatis catholicæ illuſtre, inter cetera, habemus exemplum in Davide, cui de peccato ſincere dolenti culpa quidem remiſſa fuit, non pœna; non quidem ſolummodo, ut docent Lutherani & Calviniſtæ, ad populi ædificationem; ſed in vindictam peccati, quia præciſe *blaſphemare fecerat inimicos Domini*. Hinc jure merito infertur, ipſomet jure divino poſt Baptiſmum lapſos ad aliquam pro delictis ſuis imponendam ſatisfactionem ſtricte teneri, juxta illud præceptum Evangelicum: *Facite fructus dignos Pœnitentiæ*. Ideoque Contritio inanis & falſa dicitur, quam votum Deo ſatisfaciendi non comitatur; nec Pœnitentiæ Sacramentum integrum cenſetur, quod aliqua reali ſatisfactione non perficitur. Unde

Dico: Confeſſarius ſatisfactionem aliquam Pœnitenti injungere, & Pœnitens eam, modo rationabilis ſit, acceptare & adimplere ſub gravi peccato, tenetur.

*Prob.* 1. Pars. Confeſſarius in Tribunali ſimul eſt Miniſter Chriſti, Judex, Medicus & Magiſter Pœnitentis. Ut Miniſter Chriſti, tenetur plene atque integre miniſterium ſibi commiſſum implere: ut Judex, tenetur de peccatis perpetratis vindictam ſumere: ut Medicus tenetur vulnera ægroti ſui curare: ut Magiſter, tenetur Diſcipulum ſuum vim Pœnitentiæ docere. Quæ omnia graviſſimam obligationem imponere perſpicuum eſt.

*Prob.* 2. Pars ex probatione prioris. Nam obligatio præcipiendi, & debitum obediendi adeo eſſentialiter ſunt correlativa, ut unum ſine altero eſſe nequeat. Neque enim ſuperior præcipere tenetur, ſi ejus præcepto ſubditus obtemperare non teneatur. Ergo ſi gravis ſit Confeſſarii obligatio Pœnitentiam injungendi, gravis eſt

Pœni-

Pœnitentis obligatio eamdem acceptandi & adimplendi. Hinc

*Reſolv.* 1. Mortalis peccati, immo & ſacrilegii conſcium eſſe Sacerdotem, qui ex culpabili negligentia Pœnitentiam injungere prætermittit.

Dixi *ex negligentia*; quia ſi Pœnitens adeo eſt infirmus, ut nullam adimplere poſſit, non eſt quod ipſi ullam imponat. Sed caſus eſt metaphyſicus; moraliter loquendo nullus reperiri poteſt qui vel leviſſimum virtutis actum, etiam externe, adimplere non valeat. Huc accedit ex Catechiſmo Romano citato quod Confeſſarius, qui nonniſi leviſſimam ægroto injunxit Pœnitentiam, teneatur aliam graviorem *indicere*, *quam*, *ſi convaluerit*, *opportuno tempore peragat*.

*Reſolv.* 2. Ejuſdem gravis peccati ac Sacrilegii conſcium eſſe Pœnitentem, qui vel rationabilem Pœnitentiam a Sacerdote impoſitam ſuſcipere detrectat, vel qui ex voluntate determinata, aut ex notabili negligentia ipſam non implet, licet hæc leviſſima foret, & pro venialibus tantum impoſita.

*Dixi* 1. *rationabilem*: non enim Reus injuſtæ & impoſſibili Judicis ſententiæ tenetur ſe ſubmittere.

*Dixi* 2. contra nonnullos Doctores, *licet hæc leviſſima foret*; tum quia tanta eſt obligatio Pœnitentis, quanta Sacerdotis, ob eſſentialem utriuſque correlationem. Ergo ſi Sacerdos leviſſimam Pœnitentiam ſub gravi peccato imponere tenetur, ita & Pœnitens ſub eodem peccato ipſam adimplere; tum quia Pœnitens non minus tenetur quam Sacerdos, ad præſtandam Sacramenti integritatem; tum quia eo inexcuſabilior eſt Pœnitens, quo facilius hanc levem adimplere poteſt Pœnitentiam. Ideoque ejus omiſſio ſecretum Sacramenti contemptum in omittente arguit. Circa hanc materiam plurimæ occurrunt quæſtiunculæ, hic breviter exponendæ.

Quær.

Quær. 1. Quando & quomodo injungenda ſit Pœnitentia?

℟. Injungendam eſſe poſt abſolutam Confeſſionem & ante Abſolutionem, ut præſcribunt Ritualia; tum quia ſatisfactio, ſicut & confeſſio & contritio, eſt quaſi materia Sacramenti, ſupra quam forma proferri debet; tum quia ex humili ſatisfactionis acceptatione uberior ſit fructus Abſolutionis; tum quia ſcire opus eſt utrum Pœnitens eam acceptare velit, priuſquam abſolvatur, & ſic cognoſcatur Contritionis ejus ſinceritas. Porro modo imperativo imponenda eſt, non modo deprecatorio, falſæ urbanitatis gratia, cum hujus impoſitio de ſe actus ſit judicialis. Nonnulla tamen addi poſſunt per modum conſilii; quorum impletio vim habet pœnæ diminuendæ, nedum ex ipſa boni operis natura, ſed etiam virtute Clavium.

Quær. 2. Quænam ſit ſatisfactionis materia?

℟. Eam eſſe quævis opera pœnalia, ſive interna, ſive externa, ſive aliunde præcepta, ſive non præcepta. Ratio primi eſt; quia Pœnitentia dicit neceſſario pœnam, cum pœnitere nihil aliud ſignificet quam pœnam tenere. Præcipua autem ſatisfactionis opera, ad quæ cetera reducuntur, ſunt Oratio, Jejunium, & Eleemoſyna, in qua merito includuntur preces fundendæ, tam pro vivis, quam pro defunctis. Ratio ſecundi eſt; quia quodlibet internum pietatis opus pœnam habet & natum eſt, mederi vulneribus animæ. Ratio tertii eſt; quia ex Tridento pro peccatis Deo ſatisfacere poſſumus, etiam per pœnas & afflictiones nobis ab ipſo inflictas. Verumtamen Confeſſarius ex Eccleſiæ intentione tenetur ſemper aliqua opera indebita injungere. Dum ob quandam rationem aliunde debita injungit, quando clare non exprimit Confeſſarius ſe opus jam præceptum injungere, cenſendus eſt opus liberum injunxiſſe, juxta praxim Eccleſiæ.

Quær.

Quær. 3. Qualis ratio eſt habenda in injungenda ſatisfactione?

R. Ratio eſt habenda 1. Ad numerum & qualitatem criminum, adeo ut qui pro graviſſimo peccato pœnitentiam notabiliter leviorem, quam par eſt, injungeret, mortaliter peccaret, fieretque juxta Trident. ſeſſ. 14. c. 8. *alienorum peccatorum particeps*; tum quia per hanc crudelem indulgentiam jus divinum violaret; tum quia per hanc ignaviam & mollitiem peccata nutriret ac foveret. Attamen

2. Habenda eſt ratio ad naturam Sacramenti, quod juxta Trid. cit. c. 8. non eſt *forum iræ vel pœnarum*, cum ejus primarius finis ſolvere ſit potiu. quam ligare. Ideo potius medicinales pœnæ, quam punitivæ ſunt imponendæ: ſuperbis orationes, voluptuoſis jejunium & mortificationes, avaris eleemoſynæ & opera charitatis, &c.

3. Habenda eſt ratio qualitatis pœnitentis, conditionis, ſexus, & ætatis. Siquidem ſenſus ipſe communis ſuggerit, quæ conveniunt Clericis ac Religioſis, ſæpius incongrua eſſe Laicis; quæ apta ſunt ignobilibus, artificibus, famulis, nociva eſſe nobilibus: idem dic de ceteris.

4. Habenda eſt ratio diſpoſitionum pœnitentis, ne Sacerdos lignum fumigans, quem accendere deberet, nimia ſeveritate penitus extinguat. Ideo inquit S. Carol. *Talem imponat pœnitentiam qualem a Pœnitente præſtari poſſe judicet; proinde aliquando, ſi ita expedire viderit, illum interroget an poſſit, anve dubitet pœnitentiam ſibi injunctam peragere: alioquin eam mutabit aut minuet.* Sed prius pœnitenti exponere non prætermittat obligationem, tum ipſius Confeſſarii, tum ipſius pœnitentis in injungendis & adimplendis gravibus pro gravioribus criminibus pœnitentiis.

Quær. 4. An & quomodo mutari poſſit Pœnitentia in Sacramento impoſita?

R. 1.

℟. 1. Ipſemet Pœnitens commutare non poteſt pœnitentiam ſibi impoſitam, etiam in meliorem, cum in ſe Juriſdictionem non habeat. 2. Confeſſarius nec valide, nec licite Pœnitentiam, pro reſervatis impoſitam, commutare poteſt; dum in reſervata Juriſdictionem non habet. 3. Confeſſarius extra Tribunal mutare non poteſt Pœnitentiam vel a ſe, vel ab alio impoſitam, cum hæc mutatio actus ſit judicialis; quapropter Pœnitens, qui Pœnitentiam ab altero Confeſſario vult immutari, tenetur ipſi iterum peccata ſua deponere. 4. Graviter peccat Confeſſarius Pœnitentiam ab alio impoſitam permutans abſque gravi ratione, eaque evidente; dum nempe vel mutatæ ſunt circumſtantiæ quæ pœnitentem efficiant pœnitentiæ adimplendæ impotentem; vel dum exceſſus eſt notabilis, vel dum imprudentiſſime pœnitentia fuit impoſita.

Quær. 3. Quinam ſint Pœnitentiæ Sacramentalis effectus?

℟. 1. Nec gratiæ juſtificantis augmentum, nec novas gratias actuales ex opere operato cauſat, quia hic effectus ſoli Sacramento competit; ſatisfactio autem non eſt de eſſentia Sacramenti, quod jam proprium ſuum produxit effectum ante Pœnitentiæ adimpletionem. 2. Ex opere operato pœnam remittit temporalem, eoque majorem vel minorem, quo major vel minor eſt pœnitentis diſpoſitio, quia ſatisfactio ab ipſomet Chriſto Domino cum Sacramento inſtituta eſt ad remiſſionem peccatorum: quidquid autem a Chriſto Domino fuit inſtitutum, ex opere operato ſuum effectum ſortitur.

Quær. 6. Quandonam implenda ſit ſatisfactio?

℟. 1. Eo tempore, quo a Confeſſario fuit determinata, ſi adfuerit hujus determinationis aliqua

qua causa. Quod si tempus non fuerit determinatum, adimplenda est quamprimum commode fieri potest; adeo ut qui absque causa notabiliter eam procrastinaret, peccati mortalis conscius esset; cum tempus adimpletionis, non secus ac ipsamet impletio, cadat sub præcepto.

Nº. 2. Adimplenda est in statu gratiæ, non quod Pœnitens præcepto non satisfaciat, novumque peccatum committat, eam in statu peccati mortalis adimplendo, quia ipsum opus, non modus implendi cadit sub præcepto, ut alibi cum D. Th. docuimus; sed quia juxta eumdem D. Thom. aliosque Doctores & Catechism. Rom. p. 2. c. 5. nullus, nisi justus & amicus Dei, ipsi satisfacere valet. Certum est enim satisfactionem ab acceptatione Dei omnino pendere, cum ad æqualitatem numquam fieri possit. Atqui inimicus Dei indignus est, ut ejus satisfactio ab ipso acceptetur. Ergo &c. Nec obstat quod Pœnitentes in primæva Ecclesia poenitentiam saltem ex parte implerent, priusquam absolutione donarentur. Hæ siquidem poenitentiæ ante absolutionem explendæ tantummodo imponebantur, ad Ecclesiæ ædificationem, ad peccatores exercendos, & ad magis ac magis excitandam Pœnitentium contritionem. Deinde dici potest poenitentiam Sacramentalem jam peractam, per contritionem aut legitimam absolutionem, sublato obice, ad effectum suum producendum forsan, more aliorum Sacramentorum, reviviscere.

Nº. 3. Nullatenus est necesse ut prius poenitentia adimpleatur, quam absolutio impendatur. Id siquidem nulla lex sancivit, & doctrina contraria a Sixto IV. & Alex. VIII. fuit damnata. Expedit tamen aliquando ut nisi post adimpletam Pœtentiam Pœnitens absolvatur, dum nempe præcedentes neglexit; vel dum metus est ne sibi impositas, negligat; vel demum dum id videtur ne-

ces-

ceſſarium ad excitandam ejus contritionem, vel ad ipſum a recidivis avertendum.

Quær. 7. An Pœnitens per ſeipſum pœnitentiam impoſitam adimplere teneatur?

R. Affirmative; niſi forſan Confeſſarius ex juſta cauſa ipſi concedat ut per alium eam ex parte adimpleat. Ratio eſt, quia hæc obligatio perſonalis eſt. Adde, Pœnitentia ab alio expleta, ſacramentalis non eſſet, proindeque Sacramentum non integraret. Ideo jure merito ſententia contraria ab Alex. VII. fuit damnata. Quod autem de licentia Confeſſarii poſſit Pœnitens per alium partem aliquam pœnitentiæ ſibi impoſitam adimplere, id probat Sanctorum communio. Unde ex juſta cauſa, nempe Pœnitentis infirmitate aut fragilitate, poteſt Confeſſarius, poſt gravem impoſitam pœnitentiam, onus in ſe ſuſcipere explendi ejus partem aliquam, ut pœnitens ad peccatorum ſuorum gravitatem attentius advertat, & ſic ad contritionem & pœnitentiam excitetur.

Quær. 8. Quid facto opus ſit Pœnitenti, qui pœnitentiæ ſibi impoſitæ oblitus eſt?

R. Regulariter loquendo, tenetur Confeſſarium, cum jam confeſſus eſt, aut alterum adire, eique ſtatum ſuum, ſaltem ſummatim & confuſe, aperire, ut de novo ei pœnitentiam imponat. Quod ſi tamen pœnitentia aut pars pœnitentiæ, quæ perſolvenda reſtat, levis ſit; poterit Pœnitens huic ſupplere per aliquid ſimile. Ubi obiter advertendum eſt differendam eſſe abſolutionem Pœnitentibus, qui ex gravi negligentia pœnitentias ſibi impoſitas adimplere non curant, donec eas perſolverint, niſi tamen charitas & prudentia aliud dictaverint. Indicat ſiquidem hæc gravis negligentia, pœnitentem nullo aut non ſufficienti dolore attritum eſſe.

Quær.

Quær. 9. Quænam olim fuerint pœnitentiæ Canonibus pœnitentialibus impoſitæ?

R. 1. Primævæ Eccleſiæ Pœnitentium habitus erant pullæ veſtes, cinere conſperſæ, ſacci, & cilicia. Præterea jejuniis, vigiliis, orationibus ac auſteritatibus plurimis exercebantur, a deliciis, conviviis, balneis, hominumque congreſſibus arcebantur, immo nec militare, nec conjugia inire ipſis erat licitum.

2. Quatuor pœnitentiæ claſſes ipſis erant decurrendæ, priuſquam ad Sacram Synaxim admitterentur. 1. *Flentium*, qui ab Eccleſiæ foribus excluſi, ſe reos palam confitebantur, & genibus provoluti fideles Eccleſiam ingredientes rogabant, ut apud Deum & Eccleſiam pro ipſis intercederent. 2. *Audientium*, qui intra fores Eccleſiæ admittebantur, verſabanturque juxta januam poſt Catechumenos; ſed cum ipſis foras expellebantur, ante Myſteriorum celebrationem. 3. *Proſtrantium*, qui in loco Eccleſiæ provectiori collocabantur, ibique manus impoſitionem, & ſimul onus multarum pœnitentiarum ſibi impoſitarum ſuſcipiebant. Poſt Epiſcopi Concionem, & ante Miſſæ Offertorium ab Eccleſia pellebantur. 4. *Coſiſtentium*, qui cum Populo fideli ad finem uſque Sacrificii perſiſtebant, ſed Euchariſtiæ participatione privati erant.

3. Pro ſingulis peccatis gravior vel levior, juxta gravitatem vel levitatem eorum, indicta erat ſpecialis pœna.

Qui Fidem negaverat, decem annis pœnitentiam agebat.

Perjurus per totam Quadrageſimam in pane & aqua jejunabat, & per totam vitam ſuam omnibus ſextis Feriis.

Qui ad falſo jurandum alium impulerat, quadraginta diebus in pane & aqua jejunabat, & ſeptem annis in pœnitentia perſiſtebat.

Blaſ-

Blaſphemus ſeptem Feriis ſextis in pane, & aqua jejunabat, & ſeptem diebus Dominicis præ foribus Eccleſiæ ſtabat more *flentium*.

Qui die feſto aut Dominico opus ſervile fecerat, tribus diebus in pane & aqua pœnitentiam agebat.

In Eccleſia tempore divinorum Officiorum confabulans, decem diebus in pane & aqua jejunabat.

Qui quatuor Temporum jejunium infregerat, per dies quadraginta in pane & aqua jejunabat.

Qui parentes ſuos injuria affecerat, tribus annis in pane & aqua pœnitentiam agebat, & qui eos percuſſerat, annis ſeptem.

Homicida ad januam Eccleſiæ cum flentibus per totam vitam perſeverabat; nec niſi in articulo mortis divinani Euchariſtiam ſuſcipiebat.

Fratri ſuo reconciliari detrectans, in pane & aqua jejunabat, donec reconciliatus erat.

Fornicator pœnitentiam agebat duobus annis, adulterus quinque, Sodomita & Beſtialis decem, Inceſtuoſus duodecim.

Mulier fucis & pigmentis utens, ut aliis placeret viris, tribus annis pœnitentiam agebat.

Reus furto in re minus gravi, uno anno pœnitebat, in graviori & cum rapina, aut uſura, tribus, anno uno in pane & aqua.

Falſarius, aut falſum præſtans teſtimonium, in pane & aqua per totam vitam pœnitentiam agebat.

Plura apud auctores videantur, quæ pœnitentibus opportunum erit exponere, ut ad contritionem moveantur faciliuſque pœnitentias a Confeſſario impoſitas excipiant.

## QUÆSTIO I.

### *De Sacramenti Pœnitentiæ effectibus.*

*Not.* 1. SAtis constat ex dictis in hujus Dissertationis discursu, hujus Sacramenti effectus esse primo Gratiæ habitualis infusionem, cum ceteris comitantibus donis gratuitis. 2. Omnis culpæ omnium peccatorum, etiam gravissimorum, remissionem. 3. Pœnæ æternæ pro eis debitæ condonationem, non tamen semper totam temporalem. Duo solummodo hic examinanda supersunt: utrum merita ante peccatum acquisita, & per peccatum amissa, per subsequentem pœnitentiam reviviscant; & utrum peccata remissa per novum relapsum redeant. Circa quod

*Not.* 2. Quintuplicis generis esse posse opera nostra, vel enim sunt *viva*, quæ nempe ex principio vitæ, charitate scilicet, & gratia prodeunt, & quæ vitam æternam merentur; vel *mortua*, quæ licet de se bona sint, utpote quæ facta fuerint circa objectum bonum & ex fine moraliter honesto, non tamen ex motivo charitatis prodeunt, nec vita digna sunt æterna; vel *mortifera* seu mortalia, quæ animæ mortem spiritualem inferunt; vel *mortificata*, quæ quidem ex motivo charitatis facta sunt, & de se merentur vitam æternam, non sunt tamen remuneratione digna, propter indignitatem hominis qui peccatum mortale commisit; vel *revivificata*, quæ cum prius viva essent, & posthac per peccatum mortale mortificata, iterum propter gratiam redeuntem vita æterna digna facta sunt. His notatis,

Dico I. Opera viva per peccatum mortificata per pœnitentiam reviviscunt, juxta omnem gratiæ gradum, quem ante peccatum habebant, & juxta totum jus ad gloriam, quod merebantur.

*Prob.*

*Prob.* Ex Joel 2. ubi Deus peccatorem ad pœnitentiam invitans promittit ſe ipſi redditurum *annos, quos comedit locuſta, brucus, & rubigo & eruca*, id eſt ut SS. Patres interpretantur, omnia merita, quæ per peccatum amiſerunt. Item ex Ezech. 33. *Impietas impii non nocebit ei in quacumque die converſus fuerit*. Noceret autem, ſi merita præterita non reviviſcerent. *Item ex* Apoſt. Galat. 3. ubi Galatis exprobrans eorum infidelitatem, ait: *Tanta paſſi eſtis ſine cauſa*, id eſt fruſtra, *ſi tamen ſine cauſa*; quem locum SS. Patr. Chryſoſt. Anſel. Hieron. exponentes dicunt: *Sine cauſa*, id eſt *ſine utilitate veſtra, ſuppoſito quod in hoc errore perſeveretis*; *non ſine cauſa, ſi reſipiſcitis*. Adſtipulantur D. Thom. & D. Bonavent. cum ceteris Theologis, ita ut temeraria & in Fide periculoſa videatur ſententia contraria.

*Confirm.* De Fide eſt, Deum per pœnitentiam peccatum perfecte condonare. Atqui perfecte peccatori non condonaret, ſi in peccatorum ſuorum vindictam ipſum privaret aliquo gradu gratiæ, & amicitiæ ſuæ, quem prius obtinuerat. Ergo.

Dico II. Peccata prius remiſſa per Pœnitentiam, nec quoad culpam, nec quoad pœnam abſolute redeunt, per peccatum ipſum ſubſequens.

*Prob.* Ex Pſalm. 102. *Quantum diſtat ortus ab occidente, longe fecit a nobis iniquitates noſtras*: & Mich. 7. *Projiciet in profundum maris omnia peccata noſtra*. Ex quibus ac ſimilibus textibus convincitur, æternam atque abſolutam eſſe peccatorum remiſſionem. Deinde ſi peccata jam remiſſa per ſubſequens peccatum redirent, rediret etiam peccatum originale, quod deinde irremiſſibile fieret, cum nec per Baptiſmum, qui iterari non poteſt, nec Pœnitentiam, quæ non eſt inſtituta niſi pro peccatis perſonalibus actualibus, nec per Contritionem, quæ nulla eſt citra pœnitentiæ votum, remitti poſſet.

## CAPUT I.

### *De Eſſentia, & Exiſtentia Extremæ Unctionis.*

*Not.* HOc Sacramentum varia ex Antiquis ſortiri nomina. 1. Dicitur *Unctio infirmorum*, quia non datur niſi periculoſe ægrotantibus. 2. Dicitur *Oleum ſanctum*, ex materia ejus remota. 3. Dicitur *Sacramentum Pœnitentiæ conſummativum*, quia inſtitutum eſt ad delendas peccatorum reliquias. 4. Dicitur *Extrema Unctio*, quia omnes alias nobis collatas, tum in Baptiſmo, tum in Confirmatione, tum in Ordine ſubſequitur. Hujus exponenda eſt definitio, & contra Hæreticos, Lutheranos, Calviniſtas, probanda eſt exiſtentia.

Dico I. Extrema Unctio recte definitur: *Sacramentum a Chriſto Domino inſtitutum ad ſanitatem animæ & corporis, ſi expedierit, infirmis conferendam, per Sacerdotis unctionem & orationem.*

*Prob.* Et exponitur concluſio. Dicitur 1. *Sacramentum*, ut mox probabitur, quod locum habet generis. 2. Dicitur *a Chriſto inſtitutum*, cujus ſolius eſt, non autem Eccleſiæ, Sacramenta inſtituere. 3. Dicitur *ad ſanitatem animæ conferendam*, per gratiam ſcilicet ſanctificantem, aliaque auxilia ſpecialia. 4. Dicitur, *corporis, ſi expedierit*; id eſt ad ſalutem animæ, quæ per hoc Sacramentum principaliter intenditur. 5. Dicitur *Infirmis*, per quod hujus Sacramenti ſubjectum inſinuatur. 6. Dicitur *per Sacerdotis unctionem & orationem*. Quæ verba ſimul exprimunt hujus Sacramenti Miniſtrum, materiam, & formam.

Dico II. Extrema Unctio verum eſt novæ Legis Sacramentum.

*Prob.* 1. Ex Scriptura Jac. 5. *Infirmatur quis in vobis? inducat Presbyteros Eccleſiæ & orent ſu-*

*per eum ungentes eum oleo in nomine Domini, & oratio fidei ſalvabit illum, & ſi in peccatis ſit, remittentur ei.* Ex quibus verbis omnia ad Sacramentum requiſita evidenter colliguntur. 1. Quod ſit ſenſibile ſignum nempe *unctio*, & *oratio*. 2. Gratiæ promiſſio, *Salus* nimirum & *remiſſio peccatorum*. 3. Quod divinitus fuerit inſtitutum; idque denotant verba, *in nomine Domini*. 4. Permanenter inſtitutum: loquitur ſiquidem Apoſtolus pro omni tempore, & pro quolibet infirmo.

*Prob.* 2. Ex continua & antiquiſſima Eccleſiæ praxi & traditione nobis per majores noſtros antiquiores manifeſtata. Hujus namque Sacramenti meminerunt Orig. Homil. 2. in Lev. qui dicit per hanc Unctionem conſummari Pœnitentiam: D. Chryſ. Homil. 3. de Sacerd. qui Sacerdotibus tribuit poteſtatem per eamdem Unctionem remittendi peccata: Innoc. I. qui reſpondens Decentio, hujus Sacramenti ſubjectum, materiam, & Miniſtrum exponit: D. Auguſt. in Speculo, qui docet præceptum eſſe infirmis, ut vocent Presbyteros, a quibus ungantur ad eorum delenda peccata: D. Gregor. Magn. in Sacram. qui poſt expoſitam hujus Sacramenti naturam, Ritum indicat benedictionis olei ad ungendum infirmum. Accedit auctoritas CC. Cabil., Mogunt. Florent. & Trident. ſeſſ. 14. c. 1. ut videre eſt apud Controverſiſtas.

Quær. Quandonam a Chriſto Domino hoc Sacramentum fuerit inſtitutum?

*R.* Licet ex Trident. conſtet ſeſſ. 14. c. 1. ipſum fuiſſe a Chriſto Domino, & quidem immediate, inſtitutum (licet iſtud *immediate* omnino de Fide non ſit) a D. Jacobo promulgatum; de tempore tamen hujus inſtitutionis non conſtat. Nonnulli cenſent, dum Chriſtus Diſcipulos ſuos miſit, Marc. 6. ut infirmos ungerent oleo, & ſanarentur: ſed huic ſententiæ contrarium eſt Trid. docens fuiſſe tunc tantummodo inſinuatum: adde

quod

quod Diſcipuli ungebant Judæos omnes nondum Baptizatos. Probabilius dicitur Extremam Unctionem a Chriſto Domino fuiſſe inſtitutam poſt inſtitutionem Pœnitentiæ, cujus eſt complementum; ſcilicet poſt Reſurrectionem, ubi juxta Leonem Magnum, *magna Diſcipulis confirmata ſunt Sacramenta; & magna revelata myſteria.*

## CAPUT II.

### *De materia, & forma Extremæ Unctionis.*

*Not.* HIc ſermonem inſtitui de materia tum remota, tum proxima, & de forma tum deprecatoria, tum indicativa.

Dico I. Materia hujus Sacramenti remota, eſt Oleum olivarum ab Epiſcopo, vel a Presbytero de ejus commiſſione benedictum; idque de neceſſitate Sacramenti.

*Prob.* 1. pars ex verbis ipſiuſmet Apoſtoli, hoc Sacramentum de mandato Domini promulgantis: *Ungentes eum Oleo*, eoque olivarum, quod ſolum verum oleum intelligitur, dum nihil additur; quia cum de alio oleo ſermo eſt, dicitur *Oleum nucum*, *Oleum amygdalarum*, &c. Confirmatur ex perpetua Eccleſiæ praxi, & Traditione, quam teſtantur plurimi Patres ſuperius citati, & poſt ipſos Flor. in Decreto, & Trid. ſeſſ. 14. cap. 1. Ratio congruentiæ ſumitur ex Olei qualitatibus, quod linitivum eſt, penetrativum, diffuſivum, proindeque aptum ad gratiam hujus Sacramenti ſignificandam.

*Prob.* 2. pars ex iiſdem Conciliis, quæ in aſſignanda hujus Sacramenti materia ſemper addunt, *ab Epiſcopo benedictum*: quod ab ipſis non additur dum Baptiſmi materiam aſſignant, licet neceſſarium ſit de neceſſitate præcepti ut aqua ſit benedicta. Ergo ſignum eſt, benedictionem Olei ab

Episcopo, vel a Sacerdote ad hoc commisso, necessariam esse necessitate Sacramenti in Extrema Unctione. Ratio autem cur Oleum Extremæ Unctionis bendici necesse est, non autem aqua Baptismi, est, quia aqua contactu Corporis Christi, dum baptizari dignatus est, fuit consecrata; non autem Oleum, ut ostendatur non suapte natura, sed virtute Christi, in cujus nomine benedicitur, virtutem sanctificandi obtinere.

Porro licet de necessitate præcepti sit, ut Oleum eodem anno sit benedictum: certum est ex Congregat. Episcoporum declaratione habitæ ann. 1590. posse Sacerdotem, & in necessitate teneri uti Oleo veteri, licet non hoc anno benedicto. Immo plurimi censent in extrema necessitate, dum nempe infirmus nec dare potuit, nec umquam signa dedit Pœnitentiæ, adhiberi posse Oleum ab Episcopo non benedictum, quia de Fide non est hanc benedictionem de Sacramenti necessitate esse necessariam, & non pauci sunt Doctores contrarium docentes. Ideo cum in extrema necessitate Sacerdos materiam probabilem, & dubiam usurpare possit, recte concluditur, tunc cum Oleo ab Episcopo non benedicto licite administrari posse, immo & debere.

Dico II. Materia hujus Sacramenti proxima, est unctio quinque saltem sensuum, de necessitate Sacramenti. Necessitate autem tantum est præcepti, 1. Ut unctio fiat in utroque cujuslibet sensus organo, id est in utraque manu, utroque oculo, &c. 2. Ut fiat immediate nullo adhibito instrumento. 3. Ut in septem partibus fiat, in pedibus scilicet, & renibus. 4. Ut unctio fiat per modum Crucis. 5. Ut unctionum ordo servetur, prius oculos, postea aures, &c. inungendo.

*Prob.* prima pars, de qua sola potest esse dubium. 1. Auctoritate omnium ferme veterum Theologorum, maxime D. Bonav. & D. Thom. Supp. q. 32.

q. 32. 6. 2. Quia jubet Eccleſia, ut Sacerdote ſubito deficiente ante completas quinque unctiones, per alium perficiantur. 3. Quia certum eſt, ex adverſariis ipſiſmet, omnino neceſſarium quintuplicem ſenſum in forma exprimi. Ergo & quintuplicem unctionem fieri.

Dico III. Forma Extremæ Unctionis eſt eſſentialiter deprecatoria.

*Prob.* Auctoritate ſupracitator. D. Bonav. & D. Thom. & ex ipſomet D. Jacobo, qui hujus Sacramenti inſtitutionem in oratione conſtituit, & praxis perpetua utriuſque Eccleſiæ, tum Latinæ, tum Græcæ hanc veritatem confirmat. Nec refert quod Leo X. hanc Venetorum formam approbaverit: *Ungo te Oleo ſancto, ut hac unctione protectus fortiter ſtare valeas*, quia licet hæc forma ſtatim videatur indicativa per *ungo te*, ſit tamen deprecativa per vocem *ut*, quæ optando, proindeque deprecando profertur. Hinc

*Reſol.* Verba *Indulgeat tibi Dominus*, eſſe formæ eſſentialia. Item *per iſtam unctionem*; ita ut qui inungeret, nec ea adhiberet, Sacramentum non conficeret; non ſecus ac qui baptizans non diceret: *Ego te baptizo*, nihil efficeret. Item eſſentiale eſſe concluditur ex concluſione præcedenti, quod quinque ſenſus exprimantur; quia Sacramenti effectus neceſſario in forma debet exprimi. Cetera autem verba, nempe ly *Sanctam*, & *ſuam piiſſimam miſericordiam*, non cenſentur eſſe eſſentialia. Ad id autem quod dicitur, Formam Græcorum, quæ cenſetur valida, de unctione nullam mentionem facere, reſpondendum eſt implicitam de ea fieri mentionem per verba, *medice*, & *ſana*.

## CAPUT III.

### *De Extremæ Unctionis Miniſtro, & ſubjecto.*

*Not.* CIrca Extremæ Unctionis Miniſtrum multipliciter erravere Heterodoxi. 1. Nonnulli cum Lutheranis & Calviniſtis docuerunt hoc miniſterium Laicis perinde ac Sacerdotibus competere. 2. Alii ex adverſo docuerunt, ſolis Preſbyteris cum Epiſcoporum excluſione convenire. 3. Quidam voluerunt in Sacerdote eſſentialiter requiri Juriſdictionem. 4. Ceteri contenderunt non unicum, ſed plures Sacerdotes, ad hanc cæremoniam eſſe vocandos. Quoad hujus Sacramenti ſubjectum, Lutherani & Calviniſtæ ſanctam Eccleſiam irrident, quod ſanitatis Sacramentum dare nolit, niſi deſperata jam valetudine. Contra quos

Dico I. Hujus Sacramenti Miniſter validus omnis eſt & ſolus Sacerdos, iſque unicus; licitus autem ſolus Parochus, vel ab ipſo deputatus.

*Probatur* concluſio per partes. Dicitur 1. *Omnis Sacerdos*, a fortiori Epiſcopus, ut definivit Innoc. I. Epiſt. ad Decent. probatque ratio; nam qui Sacerdotii perfectionem habet, proculdubio poteſt omnia quæ a Sacerdote fieri poſſunt. Omnis, inquam, Sacerdos, etiam degradatus & excommunicatus; quia hujus Sacramenti adminiſtratio actum judicii interni minime importat.

2. Dicitur *ſolus Sacerdos*, non Laicus, aut Clericus; cum ſolos Presbyteros vocare jubeat Apoſtolus; quod vocabulum *Presbyteros* male contorquent Hæretici ad ſignificandos Laicos ſeniores, ut perpetua Eccleſiæ praxi & traditione nobis notum eſt, & definierunt poſt Inn. I. Conc. Flor. & Trid. Quod ſi Laicos aliquando Oleo unxiſſe legatur;

uu-

unctiones illas minime Sacramentales fuiſſe, ſed ex devotione factas eſſe conſtat.

3. Dicitur *unicus Sacerdos*, non plures ut cap. *Quæſivit*, de verb. ſignif. definitum eſt, & univerſalis perpetuaque convincit Eccleſiæ praxis; licet opportunum ſit ut plures accedant Sacerdotes, ut preces ſuas cum Sacerdote miniſtrante conjungant.

4. Dicitur Miniſter licitus *ſolus Parochus*, *aut alius ab ipſo commiſſus*, non ſuſpenſus, extra ſcilicet neceſſitatis caſum; qua urgente quilibet Sacerdos illud Sacramentum miniſtrare poteſt, licet a Clementina id Religioſis prohibeatur, ſub pœna excommunicationis ipſo facto incurrendæ, quæ Clementina intelligitur extra neceſſitatis caſum.

Dico II. Subjectum hujus Sacramenti eſt homo Baptizatus, aliquando ratione uſus, periculoſe ægrotans.

*Prob.* per partes. Dicitur 1. *Homo Baptizatus*, quia Baptiſmus eſt omnium janua Sacramentorum. Dicitur 2. *Aliquando ratione uſus*; quia Extrema unctio eſt remiſſiva peccati, quod abſque uſu rationis non committitur; adde quod ejus ſuſceptio, ſaltem interpretative, debeat eſſe voluntaria. Dicitur 3. *ægrotans*; cum ex D. Jacobo, nonniſi pro ægrotis hoc Sacramentum fuerit inſtitutum. Ideo ab ejus ſuſceptione excluduntur Criminoſi ad mortem damnati, Milites prœlium adeuntes, &c. Dicitur 4. *periculoſe*; quia juxta Interpretes verbum Græcum, quo Apoſtolus uſus eſt, ſignificat non ſimpliciter ægrotum. Idque probat univerſæ Eccleſiæ traditio a CC. Florent. & Trid. firmata.

Quær. 1. Quandonam teneatur Sacerdos hoc Sacramentum adminiſtrare?

R. Parochus Sacerdos nedum ſub mortali teneatur illud ſubditis ſuis adminiſtrare per ſe aut per alium, quando illud poſtulant; ſed etiam curam gerere ut illud recipiant, cum Paſtoris ſit bono

gregis ſui ſtudioſe invigilare. Idem venit dicendum, ut patet, de Superiore Regulari, curam animarum habente. Fatendum tamen eſt, juſtam gravemque cauſam ab obligatione Paſtorem excuſare, qualis eſſet mortis evidens periculum, modo tamen infirmus jam Pœnitentiæ & Euchariſtiæ Sacramentum ſuſceperit: nam ſi neutrum recepiſſet, Paſtor contra juſtitiam & Charitatem graviſſime peccaret, qui Extremam unctionem ſubdito ſuo infirmo adminiſtrare denegaret. Simplex autem Sacerdos non peccaret, niſi contra Charitatem, lethaliter tamen; quia præceptum Charitatis jubet nos ut pro fratribus noſtris animas noſtras ponamus. Ratio hujus obligationis, tum Paſtoris, tum ſimplicis Sacerdotis eſt, quia infirmus, etiam non ſuſceptis Pœnitentiæ, & Euchariſtiæ Sacramentis, per Attritionem cum Extremæ unctionis Sacramento ſalutem probabiliſſime poteſt obtinere. Hinc

*Reſolv.* Quam graviter peccent Paſtores ex incuria aut negligentia hoc Sacramentum ſubditis ſuis ægrotis adminiſtrare diu protrahentes; cum aliunde minime ſit neceſſarium ut ægrotus omnino deficiat, longeque ſit opportunius tempus prævenire quam differre; ut ipſemet ægrotus omnino mentis compos Sacramentum valeat ſuſcipere, ut patet.

Quær. 2. An ægrotus teneatur ſub gravi peccato hoc Sacramentum ſuſcipere?

℟. Regulariter loquendo ſub gravi peccato tenetur, non quod præceptum vel Divinum vel Eccleſiaſticum illud ſecipiendi ſtricte graviterque urgeat; ſed quia in tanto periculo conſtitutus, auxilium tam utile negligere non poteſt, citra hujus Sacramenti contemptum, & Fidelium ſcandalum; quod utique peccatum eſt mortale ex genere ſuo.

Quær. 3. Quænam ad hujus Sacramenti ſuſceptionem diſpoſitiones requirantur?

℟. Sta-

R. Statum gratiæ requiri, ut licite ſuſcipiatur, cum de ſe ſit Sacramentum vivorum. Non requiritur tamen neceſſario, ut præcedat Confeſſio. Ideo ſufficit Extremam unctionem ſuſcepturo, qui nec opportunitatem nec facultatem habet confitendi, ut quantum fieri poterit ad Contritionem ſe excitet; eo magis, quo Sacramentum iſtud ſupplementum ſit, & conſummatio Pœnitentiæ, quam abſque Contritione, vel ſaltem Attritione, ſuſcipere non licet.

## CAPUT IV.

### *De Effectibus ac Ritibus Extremæ-Unctionis.*

*Not.* Effectus hujus Sacramenti duplicis ſunt generis; alii per ſe a Sacramento prodeunt, alii per accidens.

Dico I. Quinque ſunt recenſendi effectus ab Extrema unctione per ſe producti.

*Prob.* & exponitur concluſio. 1. Effectus eſt augmentum gratiæ ſanctificantis, qui effectus cum omnibus vivorum Sacramentis ipſis communis eſt. 2. Eſt peccatorum venialium tum ad culpam, tum ad pœnam, & mortalium quoad pœnam condonatio, juxta cujuslibet recipientis diſpoſitionem, ut ipſa hujus Sacramenti forma denotat: *Indulgeat tibi Dominus*; & ait Apoſtolus: *Si in peccatis ſit, remittentur ei*. 3. Et peccati reliquiarum abſterſio, propenſionis ſcilicet ad malum, torporis ad faciendum bonum, debilitatis mentis, qua quis difficilius ad cœleſtia ſe erigit. Id promiſit Deus per Apoſtolum ſuum dicentem: *Alleviabit eum Dominus*. Adde quod Sacramentum iſtud ex ſua inſtitutione Pœnitentiæ ſit conſummativum, perfectaque peccati curatio. 4. Sunt auxilia gratiæ ſpecialia tum ad ſuperandas Dæmonis tentationes, tum ad ſpem noſtram erigendam,

tum

tum ad levius tolerandam morbi moleſtiam, mortiſque acerbitatem, quæ omnia in ſupradictis verbis comprehenduntur: *Alleviabit eum Dominus*. 5. Tandem eſt ipſamet corporis ſanatio, ſi ad ſalutem animæ expedierit, Apoſtolo dicente: *Oratio fidei ſalvabit infirmum*. Omnes autem iſti effectus a Trident. ſeſſ. 14. cap. 2. can. 2. a Catech. Rom. p. 2. c. 6. a D. Carol. Inſtruct. de Extr. D. Thom. & D. Bonav. fuſe recenſentur.

Dico II. Extrema unctio, per accidens, peccatorum mortalium eſt remiſſiva.

*Prob.* Auctoritate D. Carol. mox citati: *Poteſt fieri*, inquit, *ut ignorante eo qui commiſit, vel non valente confiteri, peccatum mortale remaneat; in quo delendo ita hoc Sacramento juvatur, ut fieri poſſit eum per hoc Sacramentum ſalvari, qui alioquin fuiſſet damnatus*. Nec immerito hæc docet S. Epiſcopus; cum abſque limitatione & reſtrictione dicatur ab Apoſtolo: *Si in peccatis ſit, remittentur ei*; & in forma expreſſe pronuntietur: *Indulgeat tibi Dominus quidquid*, citra ullam exceptionem, *deliquiſti*. Ubi nec Dominus nec Eccleſia diſtinguunt, non eſt quod nos diſtinguere debeamus. Ideo dicendum eſt, quod licet hoc Sacramentum de ſe & ex primaria ſua inſtitutione ſit Sacramentum vivorum, fiat ſecundario & per accidens Sacramentum mortuorum.

Quær. 1. Quinam ſint Ritus hujus Sacramenti; & an gravis ſit eos obſervandi obligatio?

R. Quælibet Diœceſis ſuos quoque Ritus habet, pro rei gravitate diligenter obſervandos. Ideo qui citra urgens periculum orationes, in hoc Sacramento adminiſtrando præſcriptas, ex negligentia prætermitteret, a peccato mortali non eſſet excuſandus. Quoad Pſalmos Pœnitentiales dum ob mortis inſtantis periculum prætermittuntur, ſi poſt Sacramenti adminiſtrationem ſupervivat infirmus, ſupereſt ſemper eos recitandi, ſaltem ſub

venia.

veniali, obligatio; cum ſint ab Eccleſia in adminiſtrando Sacramento realiter præſcripti, & eorum recitatio arbitraria non ſit cæremonia.

Quær. 2. Utrum & quoties hoc Sacramentum ſit iterabile?

R. Cum de fide certum ſit ex Tridentino, Extremam unctionem characterem non imprimere, eadem fide certum eſt ſæpius iterari poſſe, valide ſimul, & licite, non tamen eodem perſeverante mortis periculo; adeo ut qui in eodem periculo illud bis adminiſtraret, mortaliter peccaret, & nihil efficeret. Ratio eſt, quia ex ipſamet Chriſti Domini inſtitutione non ſunt multiplicanda Sacramenta ſine neceſſitate. Atqui Sacramentum in eodem periculo miniſtrandi nulla eſt neceſſitas; cum prima collatio ad omnia auxilia ægroto neceſſaria conferenda ſufficiat. Ergo. Hinc Tridentin. ait ſeſſ. 14. c. 3. *Infirmi poſt hanc ſuſceptam unctionem, ſi convaluerint*, etſi forſitan non perfecte, modo mortis periculum evaſerint, *iterum hujus Sacramenti ſubſidio juvari poterunt, cum in aliud ſimile vitæ diſcrimen inciderint.*

## DISSERTATIO VI.

### *De Ordinis Sacramento.*

IN hac Diſſertatione, Ordinandis maxime neceſſaria, brevitate ac perſpicuitate ſolita exponemus Ordinis eſſentiam, & exiſtentiam, variorum Ordinum numerum, materiam, & formam, Miniſtrum, Subjectum cum ejus diſpoſitionibus; poſtremo hujus Sacramenti effectus.

## CAPUT I.

### *De Ordinis Essentia, & Existentia.*

*Not.* MUltiplex est hujus nominis, *Ordo*, acceptio, generalis scilicet, specialis, specialior, & specialissima. Ordo generaliter sumitur pro debita ac convenienti quarumlibet rerum dispositione: Specialiter pro quovis gradu, Officio aut dignitate alios ab aliis in Republica distinguente: Specialius, pro aliquo gradu Ecclesiastico. Specialissime, pro actione, qua alicui aliquod in Ecclesia sacrum confertur ministerium, diciturque Ordinatio aut Consecratio. Non negavere quidem Lutherani cæterique Hæretici extare in Ecclesia quamdam Ordinationem, qua nonnulli ad quædam Ministeria obeunda deputantur; sed negarunt hanc verum esse Sacramentum, contendentes simplicem esse tantum deputationem ab universa Fidelium communitate, non permanenter, sed movibiliter instituendam. Contra quos

Dico I. Ordinatio verum est ac proprie dictum Novæ Legis Sacramentum.

*Prob.* 1. Ratione communiter in aliis Sacramentis probandis adhiberi solita; quia ex Scriptura Ordinatio omnia habet ad essentiam Sacramenti requisita. 1. Est Signum sensibile invisibilis gratiæ, ut patet. 2. Timoth. 2. *Admoneo te ut resuscites gratiam, quæ in te est per impositionem manuum mearum.* 2. A Christo Domino in ultima Cœna teste Tridentino fuit institutum, dum Luc. 23. dixit Apostolis suis: *Hoc facite in meam commemorationem*, ipsisque, & eorum successoribus auctoritatem Sacerdotalem contulit. 3. Perenniter fuit institutum ad confectionem Eucharistiæ, & ad offerendum Sacrificium ad consummationem usque sæculi perseveraturum; juxta Malach. pro-

phe-

phetiam : *In omni loco ſacrificatur , & offertur nomini meo oblatio munda* . Et , Ecce Ego , ait ipſemet Dominus , *vobiſcum ſum uſque ad conſummationem ſæculi* .

*Prob.* 2. Ex tradit. apoſtolica , & Patrum conſenſu , Dionyſ. Ignat. Cypr. Ambroſ. Chryſoſt. &c. Inter quos unum hic proferre ſufficiat Auguſtin. lib. 2. cont. Epiſt. Parm. cap. 13. Baptiſmus , & jus ipſum conferendi , nempe Ordinatio , *Utrumque Sacramentum eſt , & quadam Conſecratione utrumque homini datur : illud cum Baptizatur , iſtud cum conſecratur ... Si utrumque Sacramentum eſt , quod nemo dubitat ... neutri Sacramento injuria facienda eſt* . Accedit multorum CC. auctoritas , Chalced. Florent. in Decreto pro Armen. inſtruct. & Trid. ſeſſ. 23. can. 3.

Dico II. Ordinatio rite definitur : *Sacramentum , quo Ordinato traditur ſpiritualis poteſtas , tum ad Euchariſtiam conficiendam & diſpenſandam , tum ad in ea conficienda adminiſtrandum , tum ad alia miniſteria ſacra obeunda* .

*Prob.* & explicatur definitio . Dicitur 1. *Sacramentum* , ut mox probatum eſt , tenetque in definitione generis locum . Dicitur 2. *Quo ſpiritualis poteſtas* , per quod ab aliis Sacramentis differt , in quibus recipitur quidem gratia , ſed nulla in alios miniſterialis poteſtas traditur . Dicitur 3. *Ad Euchariſtiam conficiendam & diſpenſandam* ; quia hic eſt omnis Ordinationis finis principalis , ad quem ceteri reducuntur . Dicitur 4. *Ad in ea adminiſtrandum* , ut inſinuentur munia Ordinum Presbyteratu inferiorum . Dicitur 5. *Tum ad alia miniſteria ſacra obeunda* , quibus verbis Ordinatorum munia directe ad Euchariſtiam non pertinentia deſignantur , ut peccatorum Abſolutio , Dæmonum exorciſmus , Pſalmorum cantus , &c.

## CAPUT II.

### *De numero Ordinationum.*

*Not.* CIrca Ordinationum numerum, in confeſſo eſt apud omnes Catholicos primo, novem in Eccleſia extare Ordinationes: Primam tonſuram, Exorciſtatum, Lectoratum, Oſtiariatum, Acolytatum, Subdiaconatum, Diaconatum, Presbyteratum, & Epiſcopatum. 2. Presbyteratum verum eſſe ac proprie dictum Sacramentum; cum enim tamquam de fide a Tridentino fuerit definitum, Ordinationem eſſe vere, & proprie dictum Sacramentum, conſequens eſt etiam ex fide Presbyteratum, qui inter Ordinationes præcipuum locum obtinet, & cui omnia, ut patet, ad Sacramenti rationem eſſentialia perfecte conveniunt, eadem qualitate donari. De ceteris autem Ordinationibus inter Theologos gravis controverſia, circa quam

*Dico*: Ceteræ Ordinationes, tonſura excepta, vera ſunt ac proprie dicta Sacramenta, ab invicem diſtincta; concluſio per partes probabitur.

*Prob.* de Epiſcopatu: quia omnia ad rationem Sacramenti eſſentialia obtinet. 1. Eſt ſenſibile ſignum, ut ſatis patet. 2. Gratia Spiritus ſancti per ipſum confertur, in ea ſiquidem ordinatione non ſecus ac in Sacerdotali dicitur: *Accipite Spiritum ſanctum*; & admonet Apoſtolus Diſcipulum ſuum 1. Timoth. 4. ne negligat gratiam, quæ ſibi data eſt cum impoſitione manuum Presbyterii; id eſt Epiſcoporum, ut exponit D. Chryſ. quæ gratia nova eſt ac diſtincta ab ea, quæ confertur in Presbyteri Ordinatione, nec dici poteſt iſtius confirmativa. 3. Epiſcopatus perenniter fuit inſtitutus a Spiritu ſancto Act. 20. qui *voluit Epiſcopos regere Eccleſiam Dei*. 4. Per Epiſcopatum poteſtas confer-

fertur ſpecialis confirmandi, chriſma conficiendi, Sacerdotes & Clericos ordinandi, &c. quam, omnibus aliis excluſis, vi Ordinationis ſuæ, proindeque inauferibiliter, Epiſcopi obtinent. Ergo.

Confirmatur 1. ex SS. Patribus Epiſcopalem Ordinationem a Presbyterali ſemper & ubique diſtinguentibus. 2. Quia ſententia contraria favere videtur hæreſi Arii docentis, ut refert Div. Epiphan. Hær. 74. unum eſſe Ordinem Epiſcopi & Presbyteri. 3. Hæc Sententia videtur adverſari fidei Catholicæ docenti, ipſomet jure Divino Epiſcopos Presbyteris eſſe ſuperiores. Si enim eadem ſit Epiſcoporum, & Presbyterorum Ordinatio, nullam eſſe inter eos vi ipſiuſmet Ordinationis, proindeque jure divino, ſubordinationem, videbitur.

*Prob.* de Diaconatu ex Trident. ſeſſ. 23. can. 4. anathematizante eum, qui dixerit per Sacram Ordinationem non dari Spiritum Sanctum ac proinde fruſtra Epiſcopus dicere: *Accipite Spiritum ſanctum*. Atqui in Ordinatione Diaconi Epiſcopus dicit: *Accipite Spiritum Sanctum*. Ergo non fruſtra dicit. Ergo Diacono datur Spiritus ſancti gratia. Ergo verum eſt Sacramentum, cum aliunde ſit cæremonia ſenſibilis inſtituta a Chriſto Domino, qui, ut definivit Tridentinum citat. can. 6. Hierarchiam conſtantem Epiſcopis, Presbyteris, & Miniſtris, ipſemet ordinavit.

*Confirm.* Ex Scriptura, quæ Diaconatus ſolemnem mentionem facit, nec non ex SS. Patribus, maxime Anaſt. II. expreſſe dicentis per Ordinem Sacerdotii, & Diaconatus gratiam Sacramenti confertur.

*Probatur* de Subdiaconatu, aliiſque Minoribus Ordinibus ex ſupracitato Tridentino. Nam enumeratis ſeptem Ordinibus dicit indefinite Ordinem eſſe verum Sacramentum: propoſitio autem indefinita cenſetur univerſalis. Item Florentinum, poſtquam de Ordine dixit verum eſſe Sacramentum,

ſub

ſub hoc genere Subdiaconatum & cetera ponit, tamquam ſpecies Ordinis; quidquid autem eſſentialiter convenit generi, convenit & ſpeciebus ejus.

*Confirm.* Per has omnes Ordinationes habetur quidquid Sacramento eſt eſſentiale, ſignum ſenſibile, gratia & poteſtas ſpecialis, character, proindeque initerabilitas, nec ipſis deeſt Divina inſtitutio, ut mox probavimus ex Trid. docente, Chriſtum Dominum diverſos Hierarchiæ gradus perenniter inſtituiſſe.

*Prob.* De prima Tonſura, quod hæc non ſit Sacramentum, ex Trid. ſeſſ. 23. cap. 2. inter Ordines eam non annumerante. Ratio eſt, quia per Tonſuram primam nulla confertur poteſtas: Unde jure merito dicitur ad Ordines præparatio ac diſpoſitio, quatenus inquit Trid. *qui jam Clericali Tonſura ſunt inſigniti, per Minores* Ordines *ad Majores aſcendant.* Quod ſi autem Tonſura ab Innoc. III. Ordo Clericalis dicatur, & a Sixto V. character vocetur, ea ſtricte non intelliguntur; ſed Ordo hic ſumitur pro aliquo ſtatu, & character pro quadam diſtinctione externa.

Quær. Quinam fuerint olim Chorepiſcopi, & nunc temporis quinam ſint Cardinales?

R. Chorepiſcopos olim fuiſſe primarios Presbyteros, & quaſi Decanos, qui in Villis ac in parvis Oppidis Epiſcoporum, tamquam eorum Vicarii, in multis vices agebant, ſub auctoritate eorumdem Epiſcoporum; inter hos Chorepiſcopos nonnulli aderant Ordinati Epiſcopi, quibus concedebatur facultas, non quidem Presbyteros & Diaconos, ſed Subdiaconos & minores Clericos ordinandi, & cetera hujuſmodi, pro libitu Epiſcopi principalis Civitatis.

Quoad noſtros Cardinales, certum eſt non jure Divino, ſed ſolummodo Pontificio inſtitutos fuiſſe, licet plurimi Auctores Cardinalatum ab ipſomet

S. Pe-

S. Petro, ejuſque Succeſſoribus derivatum eſſe contendant. Eorum officium eſt in regenda Eccleſia Summum Pontificem conſilio ſuo & induſtria juvandi; ideoque dicuntur adjutores; prout inquiunt, D. Clemens juvabat S. Petrum, & D. Hieronymus S. Damaſum.

## CAPUT III.

### *De materia, & forma ſingulorum Ordinum.*

*Not.* 1. CUM omni Sacramento eſſentiale ſit materia & forma conſtare aut perfici, ſingulis Ordinibus, utpote veris ac proprie dictis Sacramentis, materiam & formam aſſignari neceſſe eſt, utramque diverſam pro ſingulorum Ordinum diverſitate. Circa has materias & formas plurimum variant auctores, in determinando quid in his eſſentiale ſit, quidve tantummodo accidentale, aut dumtaxat integrans, ad cujus intelligentiam.

*Not.* 2. In Ordinandis tum Epiſcopis tum Preſbyteris &c. ceremonias eſſe multiplices. In Epiſcopi Ordinatione quatuor concurrunt. 1. Impoſitio manuum trium Epiſcoporum dicentium: *Accipe Spiritum ſanctum &c.* 2. Unctio capitis, & manuum ejuſdem Epiſcopi facta per Conſecratorem Epiſcopum, cum his verbis: *Ungatur & conſecretur caput tuum, &c.* item, *Ungantur manus iſtæ &c.* 3. Baculi, & Annuli traditio cum his verbis. *Accipe Annulum Fidei, &c.* 4. Impoſitio libri Evangeliorum ſuper ſcapulas & cervicem Ordinati, cum his verbis: *Accipe Evangelium, & vide &c.*

In Sacerdotis Ordinatione ſex concurrunt præcipuæ Cæremoniæ. 1. Epiſcopus nihil dicens utramque manum ſuper caput cujuslibet Ordinandi ſucceſſive imponit, una cum adſtantibus Presbyteris.

2. So-

2. Solam dexteram, simul & semel, super omnes Ordinandos extendit dicens: *Oremus Fratres charissimi, &c.* 3. Ambas manus Ordinandi inungit oleo infirmorum. 4. Calicem cum vino, & Patenam cum Hostia illi porrigit, dicens: *Accipe potestatem &c.* 5. Peragitur Missæ Sacrificium, ubi Ordinatus cum Episcopo formam consecrationis pronuntiat. 6. Post Communionem iterum Episcopus solus ambas manus ejus capiti imponit dicens: *Accipe Spiritum sanctum, &c.*

In Diaconi Ordinatione duo concurrunt; nempe Traditio libri Evangeliorum cum hac forma: *Accipe potestatem legendi Evangelium, &c.* & manus impositio cum his verbis: *Accipe Spiritum sanctum, &c.* Item in Subdiaconi Ordinatione duæ concurrunt traditiones, Calicis vacui cum patena vacua, & Libri Epistolarum, cum formis correspondentibus.

Minorum autem Ordinum Ordinatio perficitur etiam instrumentorum traditione cum formis correspondentibus. In Ostiariatu traduntur ab Episcopo Claves Ecclesiæ, cum his verbis: *Sic agite quasi reddituri Deo rationem, &c.* In Lectoratu traditur liber nonnullas Novi & Veteris Testamenti lectiones continens, cum his verbis: *Accipite, & estote verbi Dei relatores, &c.* In Exorcistatu liber Exorcismorum, cum his verbis: *Accipite, & commendate memoriæ, & habete potestatem imponendi manus super Energumenos &c.* In Acolythatu duplex est traditio, Candelabri scilicet, cum cereo extincto, cum his verbis: *Accipe Ceroferarium cum cereo &c.* & Urceoli vacui, cum his verbis: *Accipite Urceolum ad suggerendum vinum & aquam in Eucharistiam in nomine Domini.* His expositis.

Dico, I. Essentialis Episcopatus materia est manuum impositio; cetera ad integritatem tantum pertinere videntur.

*Prob.*

*Prob.* Quia cetera non fuerunt uſurpata ſemper & ubique in Eccleſia, tum Græca tum Latina, ut convincunt Euchologia & Ritualia antiquiſſima, nec Concilium Carthaginenſe IV. hujus Ordinationis Ritum exponens, nec SS. Leo & Gregor. Magn. horum omnium unanimiter mentionem faciunt. Quoad formam, conſtat apud omnes eſſentialem eſſe, quæ in Pontificali Rom. refertur: *Accipe Spiritum Sanctum, &c.*

Dico II. Presbyteratus Ordinatio eſſentialiter perficitur duplici materia & forma, nempe 1. Traditione Calicis cum vino & Patenæ cum Hoſtia, & verbis poteſtatem offerendi Sacrificium exprimentibus. 2. Ultima manuum impoſitione ſolius Epiſcopi, cum forma exprimente poteſtatem peccata remittendi. Prima vero manuum impoſitio & cetera videntur tantum accidentalia & cæremonialia.

*Prob.* Quod priores ambæ manuum impoſitiones non ſint de eſſentia Ordinationis. 1. Quia prima non fit a ſolo Epiſcopo, ſed etiam a Presbyteris aſſiſtentibus, qui haud dubie hujus Sacramenti non ſunt Miniſtri, & ad id ſolum ſit uſurpata, ut communem Sacerdotii utilitatem ſignificet, maxime cum nulla ibi adhibeatur forma. 2. Quia per alteram ſubſequenaem manus impoſitionem, poteſtas Sacerdotalis minime confertur. Hæc ſiquidem confertur, dum poſt varias Orationes & Cæremonias plurimas interpoſitas, dicit Epiſcopus Calicem tradens Ordinando; *Accipe poteſtatem offerendi Sacrificium, &c.* quod ſane dicere non poſſet, ſi per antecedentem manuum impoſitionem hæc poteſtas jam eſſet collata. Idque Pontificale Romanum confirmat, cum etiam poſt factam illam manuum impoſitionem aſpirantes adhuc vocet *Ordinandos*; & nonniſi per traditionem Calicis, & Patenæ cum verbis ſupradictis, *Ordinatos* vocet.

*Prob.*

*Prob.* nunc duplicem materiam & formam eſſentialem eſſe. 1. Quia eſſentiale eſt Sacerdoti, quatenus tali, ut utramque poteſtatem habeat, conſecrandi & abſolvendi. Atqui nec prima materia & forma, nec ſecunda utramque dare poteſt; cum neutra utramque poteſtatem exprimat. Ergo duplex eſt neceſſaria. 2. Conc. Flor. Armenos inſtruens de materiis & formis Sacramentorum, expreſſe dicit materiam Presbyteratus eſſe *Traditionem Calicis cum vino, & Patenæ cum Pane.* Ergo hæc eſſentialis eſt. Quis enim dicat in tanti momenti inſtructione Concilium aliquid accidentale pro materia & forma Sacramenti, de quibus Armenos dubitantes volebat inſtruere, aſſignaverit? Deinde certum eſt ex omnibus Euchologiis ac Ritualibus, ſemper & ubique Presbyteratum fuiſſe collatum per manus impoſitionem, quod inſinuat Trid. ſeſſ. 14. c. 3. dicens Extremæ Unctionis Miniſtros eſſe *Epiſcopos aut Sacerdotes ab ipſis rite Ordinatos per impoſitionem manuum.* Ergo manus impoſitio eſt eſſentialis.

Dico III. Duplex etiam in Diaconatus Ordinatione materia & forma eſſentialiter requiritur, nempe traditio libri Evangeliorum, & manuum impoſitio, cum formis correſpondentibus.

*Prob.* Quia habemus ex perenni Traditione ab Apoſtolis derivata, & uſque ad noſtra tempora ſemper, & ubique uſurpata, Ordinationem Diaconatus abſque manuum impoſitione minime fieri. Immo certum eſt antiquitus eam ſolam in hac Ordinatione fuiſſe uſurpatam, non quod inſtrumentorum traditio ſit inutilis, ſed quia in manuum impoſitione implicite continebatur: in proceſſu autem temporis hæc traditio ab Eccleſia expreſſe fuit determinata, quatenus collatæ poteſtatis magrs expreſſiva, ut patet ex Florentino, quod hanc ſolam expreſſit traditionem, non ut manuum impoſitionem excluderet, ſed ut magis ex-

preſ-

preſſivam redderet, & Armenos, ut mox dictum eſt, inſtrueret.

Dico IV. Sola traditio Calicis vacui & Patenæ vacuæ cum forma correſpondente, eſt eſſentialis Subdiaconatus Ordinationi.

*Prob.* 1. Quia nec traditionis libri Epiſtolarum Scriptores veteres, immo nec Magiſter Sententiarum, nec ipſemet D. Th. meminerunt, ex quo concluditur Cæremoniam eſſe accidentalem, a paucis adhinc ſæculis in Eccleſia invectam aut inſtitutam. Secus dicendum eſt de traditione libri Evangeliorum, quam diximus eſſe materiam Diaconatus eſſentialem; quia nempe munus legendi Evangelium Diaconus habet ex ipſiuſmet Chriſti inſtitutione, non autem ſubdiaconus munus Epiſtolas legendi.

Quoad Ordines Minores, non eſt quod hic immoremur; cum ſatis perſpicuum ſit inſtrumentorum traditionem cum forma correſpondente, ipſorum eſſe materiam, & formam eſſentialem, juxta Florentinum docens *Materiam Ordinis* in genere, proindeque cujuslibet, *eſſe illud, per cujus traditionem confertur Ordo*.

Quær. 1. Utrum de Sacramenti neceſſitate; inſtrumentorum contactus debeat eſſe phyſicus?

R. Contactum phyſicum, ſaltem mediatum, eſſe de neceſſitate Sacramenti, quia ſolus actus phyſicus formæ correſpondere poteſt, *Accipe*. Nullus ſiquidem accipere cenſetur inſtrumentum, qui ſaltem illud phyſice non tangit. Deinde hoc evincit praxis Eccleſiæ & Epiſcoporum ſcrupuloſa ſollicitudo, ut ab omnibus Ordinandis realiter attingantur inſtrumenta tradita. Dixi *ſaltem mediatum*; nam qui cum velo ea tangeret, licet illicite, valide tamen tangeret, cum eo non obſtante, vere ac realiter ea acciperet.

Quær. 2. Quænam ſint variorum Ordinum munia & officia?

℟. *Episcopi* est Clericos ordinare, Chrisma conficere, Chrismate ungere, Vestes & Vasa consecrare, Ecclesias dedicare. Leges condere. Sententias ferre, &c. uno verbo Ecclesiam Dei regere. *Sacerdotis* est Eucharistiam conficere; Sacramenta administrare, exceptis Ordine, & Confirmatione, dona Dei benedicere, Verbum Dei prædicare, &c. *Diaconi* est Sacerdoti sacrificanti immediate assistere ac ministrare, Evangelium in Missa solemni legere, ex commissione, saltem Parochi, solemniter Baptizare, saltem in gravi necessitate, de licentia Episcopi verbum Dei prædicare, ex commissione Parochi in necessitate Eucharistiam administrare. *Subdiaconi* est Missæ Sacrificio deservire, Patenam & Calicem Diacono ministrare, Epistolam in Missa solemni legere. *Acolythi* est cereos præparare, & accendere, & in Missa deferre urceolos cum vino & aqua præparare & Ministris offerre. *Exorcistæ* est Dæmones e corporibus obsessis exorcismis expellere. *Lectoris* est tempore officii Divini quædam ex utroque Testamento quæ legenda sunt, legere. *Ostiarii* est Templum aperire, & claudere, dignos admittere, indignos repellere.

Quær. 3. Quænam sint germanæ diversorum Ordinum definitiones?

℟. Omnes Ordines sunt definiendi per genus, nempe *Ordinationem*, & differentias proprias, scilicet per materias suas & formas, præcipuasque quibuslibet collatas Potestates. Sic presbyteratus est *Ordinatio, qua traditione Calicis cum vino & manuum impositione sub præscripta verborum forma confertur potestas Eucharistiam conficiendi, & a peccatis absolvendi.* Diaconatus est *Ordinatio, qua traditione libri Evangeliorum & impositione manuum, sub præscripta verborum formæ, confertur potestas Evangelium legendi & Sacerdoti sacrificanti immediate assistendi*; & sic de ceteris.

Prima

Prima autem Tonſura eſt *Sancta Cæremonia ab Epiſcopo facta: qua capillorum Tonſura aliqua ad ſtatum Clericalem deputator, & ad Ordines ſuſcipiendi diſponitur.*

## CAPUT IV.

### *De Ordinis Miniſtro.*

*Not.* HIC quæſtio eſt de Miniſtro tum ordinario, tum extraordinario ad conferendos Ordines in neceſſitate commiſſo.

Dico I. Ad Epiſcopi conſecrationem tres requiruntur Epiſcopi, non ſolum ex neceſſitate præcepti, ſed & neceſſitate Sacramenti; niſi Summus Pontifex hac in re diſpenſet.

*Prob.* 1. Ex perpetua atque invariabili praxi Eccleſiæ, tum Græcæ, tum Latinæ, ubi Epiſcopi ſemper & ubique trium Epiſcoporum miniſterio fuerunt ordinati. Ex hac ſiquidem concordantia ambarum Eccleſiarum, quæ in aliorum Sacramentorum adminiſtratione circa plurima diſcordant, indicium evidens deſumitur, ex divina inſtitutione, proindeque ex neceſſitate Sacramenti, neceſſarium eſſe trium Epiſcoporum miniſterium.

*Prob.* 2. Ex Aniceto, qui Ep. ad Epiſcop. referens ex Anacleto, D. Jac. Primum Hieroſolymitanum Epiſcopum ordinatum fuiſſe a SS. Petro, Jacobo, & Joan. ait: *Si non minus quam a tribus Apoſtolis tantus vir fuit ordinatus, patet profecto eos formam inſtituente Domino tradidiſſe, non a minus quam a tribus Epiſcopis Epiſcopum ordinari debere.*

Ubi notandum eſt, citati Pontificis mentem non eſſe, quod D. Jacobus per hanc cæremoniam vere in Epiſcopum fuerit ordinatus; nec enim ignorare poterat, Apoſtolum jam eſſe Epiſcopum:

ſed mens ejus eſt, quod Petrus, Jacobus, & Joannes, una ſimul ipſum talis loci, nempe Hieroſolymorum Epiſcopum inſtituentes, toti Eccleſiæ tradere voluiſſe formam a Domino inſtitutam pro ordinandis Epiſcopis; ex qua inſtitutione ineluctabiliter ſequitur, ipſam neceſſariam eſſe neceſſitate Sacramenti.

*Confirm.* Ex Joan. III. Epiſtol. un. T. 2. Conc. *Omnia*, inquit, *maxima Concilia affirmant, eum non eſſe Epiſcopum, qui minus quam a tribus Epiſcopis fuerit factus.* Accedit auctoritas Damaſi Papæ Epiſt. 5. *Quod Epiſcopi non ſint*, inquit, *qui minus quam a tribus ſunt ordinati Epiſcopi, omnibus patet.*

*Prob.* Nunc quod ea in re Summus Pontifex diſpenſare poſſit, tum quia certum videtur Apoſtolos per orbem terrarum diſperſos initio Eccleſiæ in Epiſcoporum conſecratione duos alios non adhibuiſſe, ipſoſque ſolos poteſtate plenaria, qua non ſecus ac Petrus, excepta tamen ſuperioritate, pollebant, Epiſcopos creaſſe; tum quia ex probatiſſimis Hiſtoriis certum habemus plures Summos Pontifices ea in re diſpenſaſſe.

Dico II. Solus Epiſcopus eſt proprius atque ordinarius Miniſter Sacramenti Ordinis.

*Prob.* 1. Ex Scriptura, ubi videmus Ordinationes omnes ab Apoſtolis factas Diaconorum Act. 6. Presbyterorum Act. 14. &c. 2. Ex perpetua Eccleſiæ Traditione, ſecundum quam Synod. Alex. de cauſa Athanaſii teſtatur Ischyram Presbyterum non eſſe, quia a Collutho non Epiſcopo fuerat ordinatus. Ex variis CC. maxime Florent. & Trident. ſeſſ. 23. c. 6. & can. 7.

Dixi, *proprius atque ordinarius*: nam licet, juxta communiorem ſententiam, Epiſcopus etiam ex Papali diſpenſatione valide non poſſit Sacerdotem conſecrare, cum hujus facti nullum exemplum, aut experimentum umquam in Eccle-

ſia

ſia viſum fuerit; concedunt tamen fere omnes Theologi ex ſupradicta diſpenſatione ſimplicem Sacerdotem, non ſolum Subdiaconos ceteroſque minores Clericos, ſed & ipſoſmet Diaconos valide ordinare poſſe. Pro cujus probatione factum refertur Innoc. VIII. qui in Bulla data ann. 1463. quibuſdam Abbatibus Ciſtercienſibus facultatem conceſſit Monachis ſuis omnes Ordines, uſque ad Diaconatum incluſive, conferendi: *Ne extra Clauſtrum hinc inde diſcurrere cogerentur.*

## CAPUT V.

### *De Ordinis ſubjecto, ejuſque effectibus.*

*Not.* INter varias in ſubjecto diſpoſitiones ad rite Ordines ſuſcipiendos requiſitas, quædam ſunt requiſitæ neceſſitate Sacramenti, & quædam neceſſitate præcepti: circa quas,

Dico I. Tres ſunt diſpoſitiones neceſſitate Sacramenti requiſitæ.

*Prob.* & exponuntur hæ diſpoſitiones.

1. *Baptiſmus*, quia, ut ſæpius dictum eſt, ex inſtitutione Divina hoc Sacramentum aliorum omnium eſt janua.

2. *Sexus virilis*, item ex Chriſti Domini inſtitutione, qui nequidem Matrem ſuam inter omnes ſanctiſſimam, doctiſſimam, & prudentiſſimam, ordinare voluit. Nec legitur umquam a mundi exordio, etiam apud infideles, mulieres Sacrificia obtuliſſe & in ſacris miniſtraſſe. Id ſolum a quibuſdam Hæreticis Pepuſianis factitatum eſſe legitur: ſed propter hoc tamquam infames omnibus fuerunt habiti.

3. *Intentio*; in his ſaltem qui habent, vel aliquando rationis uſum habuerunt; ita ut qui prorſus reluctaretur, nec rem, nec characterem Sacramenti reciperet; ut probatur c. *Majores, de Bapt.*

Quod ſi quis abſolute ordinari vellet, licet ſecundum quid eſſet invitus, ob metum incuſſum in virum conſtantem cadentem, valida quidem eſſet Ordinatio; ſed is voto caſtitatis, nec obligatione Divini Officii perſolvendi teneretur, ſi metus eſſet injuſte incuſſus; ſecus autem ſi juſte. Dixi, *qui vel aliquando rationis uſum habuerunt*. Nam valide, licet, illicite ordinaretur puer baptizatus ante uſum rationis, idem dic de amentibus; quia hoc Sacramentum non in actuali exercitio, ſed in collata quadam facultate conſiſtit. Puer tamen ordinatus, nec ad votum caſtitatis, nec ad Divinum Officium recitandum teneretur, niſi poſt adeptum rationis uſum ſponte ratam Ordinationem ſuam habuiſſet.

Dico II. Decem ſunt diſpoſitiones, ac conditiones, neceſſitate præcepti requiſitæ.

1. *Status gratiæ*, cum enim Ordines vera ſint Sacramenta, & quidem vivorum, citra ſacrilegium immane in mortali peccato ſuſcipi nequeunt.

2. *Immunitas ab omni irregularitate*, de qua T. 1. diximus.

3. *Scientia ſufficiens*, major, vel minor, juxta majorem, vel minorem Ordinis ſuſcipiendi dignitatem. Nec enim ea litteratura ſufficit, quæ ab irregularitate Ordinandorum reddat immunem; ſed ſub gravi peccato requiritur mediocris ſaltem ſcientia eorum quæ ad Ordinem ſuſcipiendum ſpectant.

4. *Confirmatio*, & *prima Tonſura* jam ſuſcepta; prout ſancivit Trident. ſeſſ. 23. cap. 4.

5. *Congruæ ſuſtentationis titulus*, vel ex Beneficio, vel ex penſione, vel ex proprio Patrimonio, vel ex profeſſione paupertatis Evangelicæ, qua nullus certior eſt titulus, dum religioſe obſervatur.

6. *Tempus Ordinationum* a jure ſtatutum; non quidem pro prima Tonſura, quæ qualibet die legitime conferri poteſt, ſed pro Ordinibus.

6. *Temporum interſtitia*, quæ conſiſtunt in hoc quod Minoribus Ordinibus initiati, *nonniſi poſt* an-

*annum* Eccleſiaſtice ſumptum, *a ſuſceptione poſtremi gradus minorum Ordinum ad Sacros Ordines promoventur*. Docent tamen communiter Doctores ex juſta cauſa legitimaque conſuetudine, Minores Ordines una cum Tonſura, immo cum Subdiaconatu licite ſuſcipi poſſe. Secus dicendum eſt de Majoribus Ordinibus, quos ſi quis duos ſimul una die ſuſciperet, aut miniſtraret, ſuſpenſionem incurreret.

8. *Ordinata Ordinum ſuſceptio*, id eſt, quod inferior Ordo prius ſuſcipiatur, & poſt hunc ſuperior; ita ut qui per ſaltum unum Ordinem ſuſciperet, ab utroque ſcilicet ſic ſuſcepto, & a ſuperiore ſuſcipiendo ſuſpenſus eſſet.

9. *Ordinis ſuſceptio a proprio Epiſcopo*, Siquidem non licet Epiſcopo ſubditum alienum ordinare, abſque licentia, ſeu litteris dimiſſoriis proprii ejus Epiſcopi, juxta ſtatutum Trid. ſeſſ. 23. c. 8. de reform.

Proprius autem Epiſcopus dicitur vel ratione originis, dum Ordinandus in ejus Diœceſi natus eſt, vel dicitur ratione fixi parentum ſuorum domicilii; vel ratione domicilii, quod in quodam loco dicuntur habere, qui ibi manent, cum propoſito ibidem conſtanter manendi; vel ratione Beneficii, quod Ordinandus in Diœceſi poſſidet, niſi aliud fuerit ſtatutum.

Porro non ſolum Epiſcopi, ſed & Capitulum Sede vacante, & Superiores Regulares Dimiſſorias litteras concedere poſſunt, cum his conditionibus, quod Capitulum id non poſſit niſi per annum Sedes vacaverit; aut Ordinandus in tali circumſtantia ſit poſitus, ut ſi non eſſet ordinatus, Beneficium receptum, vel recipiendum amitteret; & quod Superiores Regulares ſolummodo ſubditis ſuis litteras Dimiſſorias licite poſſint concedere ad Epiſcopum Diœceſanum, non ad alium, niſi Diœceſanus abfuerit, & Ordinationes non habiturus ſit. Idque ex Decreto Clement. VIII. ann. 1596. ſub pœna Officii & Dignitatis, ſeu adminiſtrationis,

ac vocis activæ & passivæ privationis, aliisque pœnis ad arbitrium Summi Pontificis incurrendis.

His conditionibus *Ætatem legitimam*, de qua dum de Irregularitate, non adjicimus; sed obiter notabimus Mendicantes, sub prætextu privilegiorum sibi concessorum, ante ætatem legitimam Ordines sine crimine suscipere non posse. Fuere quidem olim ipsis circa ætatem ad Ordines suscipiendos concessa privilegia a Joan. XXII. & Jul. II. sed expresse a Trid. sess. 23. c. 12. sunt revocata. Quoad eos, qui absque Ecclesiæ necessitate aut utilitate, circa ætatis defectum a Sede Apostolica dispensationem obtinent, sub obtentu devotionis, qua minime flagrant; verendum est ne eorum audacia ac præsumptio ipsis coram Supremo Judice in crimen vertatur.

Quær. Quinam sint Ordinis effectus?

℟. Triplicem esse. 1. Gratiæ habitualis augmentum, sicut & aliorum Sacramentorum vivorum. 2. Gratia Sacramentalis seu auxilia specialia ad functiones & officia cuilibet Ordini propria rite persolvenda. 3. Character indelebilis, quo fit ut nullus Ordo etiam ex Minoribus iterari possit; cum nullus sit qui specialem non conferat potestatem novamque non importet specialem consecrationem: quæ consecratio, utpote de se & ex natura sua perpetua, a nullo potest auferri. Ideo licet propter nonnulla immania crimina honor locusque Ordini conveniens ab Ecclesia quandoque auferatur; non aufertur tamen interna potestas; vi cujus etiam excommunicati ac degradati, valide semper, licet non licite, Ordinis a se suscepti functiones persolvunt.

Nec refert quod Ordinationes ab Episcopo degradato factæ in jure censeantur irritæ, & Sacramenta a Sacerdote hæretico collata nullam dicantur gratiam conferre; cum Ordinationes illæ non censeantur irritæ quoad potestatem per has de facto

&o collatam, ſed quoad hujus poteſtatis uſum legitimum: nec illa Sacramenta nullam de ſe gratiam conferre dicantur, ſed propter peccatum a Sacerdote hæretico ſcienter ac voluntarie ea ſuſcipientium.

Ceterum inter varios Ordinis effectus non incongrue recenſetur Cœlibatus obligatio, ſacris Ordinibus affixa; ſecundum quam his Ordinibus præditi, nec Matrimonium contrahere, nec Matrimonio prius contracto uti poſſunt. Hanc divini juris non eſſe, ſed tantummodo Traditionis apoſtolicæ juriſque Eccleſiaſtici, docent communiter Doctores; quod evidentiſſime patet ex modo diverſo Legem hanc in Eccleſia Latina & Græca obſervandi. In Eccleſia namque Latina religioſe ſemper fuit obſervata, excepto tamen Subdiaconatu, qui ab initio hac lege non tenebatur, ut patet ex antiquioribus Conciliis Eliberit. Carthag. II. Tolet. I. &c. ſolos Epiſcopos, Presbyteros, & Diaconos in ea lege comprehendentibus. Sed tandem circa circiter D. Gregorii tempora in univerſa Eccleſia Latina conſuetudo vim legis habens obtinuit, ut nullus Subdiaconus ordinaretur, qui continentiam ſe ſervaturum non promitteret, quo factum eſt, ut deinceps Subdiaconatus inter ſacros Ordines annumeraretur.

Quod ad Græcam Eccleſiam ſpectat, Presbyteris Græcis facta eſt olim facultas utendi Matrimonio ante Ordinationem ſuam legitime inito; ſed numquam per Eccleſiam Catholicam, tum Latinam; tum Græcam, ipſis fuit licitum poſt Ordinationem ſuam uxorem ducere, & hoc ſacrilego uti Matrimonio.

Hæretici quidem, qui continentiæ gratiam habere nolunt, quique verbum iſtud capere non ſatagunt, nonnullas contra hanc legem Scripturas objiciunt. 1. Illud Apoſtoli: *Unuſquiſque uxorem ſuam habeat propter fornicationem*. 2. Idem Apo-

ſtolus dicit ſe poteſtatem habere mulierem circumducendi. 3. Idem præcipit, ut Epiſcopus vir ſit unius uxoris. Sed fruſtra hæc objiciuntur. Nam 1. Apoſtolus non jubet, ſed permittit communibus Fidelibus, ut uxores habeant. 2. Apoſtolus poteſtatem habebat quidem mulierem circumducendi, non uxorem, ſed *ſororem*, proindeque abſque Matrimonio. 3. Præcipit ut Epiſcopus ſit vir unius uxoris, non quod actu uxorem habere debeat, ſed quod ordinandus Epiſcopus non ſit Bigamus, id eſt duas uxores habuerit.

## DISSERTATIO VII.

### *De Matrimonio.*

MAtrimonium a Matre potius quam a Patre dicitur; quia prolis generatio, cujus gratia fuit inſtitutum, in Matre apparet, eſtque quaſi Matris munus. Vocatur adhuc *Connubium* a velo mulieris, quo quaſi nube obducitur; & *Conjugium* a jugo mutuo, quo vir ac mulier conjunguntur. Hic nobis ſunt exponenda Sponſalia, quæ Matrimonium præcedunt; Eſſentia, Exiſtentia quæ ipſum conſtituunt; Proprietates, & Effectus qui ex ipſo prodeunt; & demum Obſtantia, quæ ipſum impediunt.

## CAPUT I.

### *De Sponſalibus.*

*Not.* NOmen *Sponſalia* tripliciter ſumitur. 1. Pro muneribus Sponſæ obligatis. 2. Pro ipſomet Matrimonio rato non conſummato, ſeu pro Sponſalibus de præſenti; ſic qui jam nupſerunt, dicuntur Sponſi & Sponſæ. 3. Pro contractu Matrimonium præcedente, quo contrahen-

hentes mutuo ſibi *ſpondent*, ſeu promittunt Matrimonium, & hæc *Sponſalia* dicuntur eſſe de futuro. De his Sponſalibus nunc ſermo inſtituitur.

Dico: Sponſalia recte definiuntur: *Futuri Matrimonii promiſſio vera, libera, mutua, acceptata, ſigno externo expreſſa, inter Perſonas determinatas ac legitimas, illo Matrimonio conjungendas.*

*Prob.* Et expenitur per partes Concluſio.

Dicitur 1. *Promiſſio*, non ſimplex propoſitum. Ideo ſi quis mulieri diceret: *Decrevi*, vel *ſtatui te in uxorem ducere*, per hoc Sponſalia non contraheret.

Dicitur 2. *Vera*; nam, qui ficte promitteret, mortaliter quidem peccaret, utpote qui proximum in re gravi deciperet, teneretur que ſcandalum, & damnum reparare: ſed vi Sponſalium non teneretur contrahere, quia obligatio promittentis intentionem ſequitur; ideoque nulla cenſetur, ſi nulla ſeſe obligandi adfuerit intentio.

Dicitur 3. *Libera*; id eſt cum plena advertentia, & deliberatione perfecta; ita ut nec ulla deceptio, nec metus gravis injuſte incuſſus intercedat; quia cum Sponſalia veram contractus rationem habeant, humano modo debent celebrari, immo & ſponte prout ſonat verbum *Spondeo*: ideoque licet ceteri contractus ex metu gravi iniri naturaliter ſint validi, quatenus ſemper ſunt ſimpliciter voluntarii, attamen cum ex jure poſitivo Matrimonium ex metu gravi initum ſit irritum, idem dicendum eſt de Sponſalibus, quæ naturam ejus conſequuntur.

Dicitur 4. *Mutua*; ſiquidem hic contractus ex natura ſua non eſt ſimplex promiſſio, ſed repromiſſio, ſeu reciproca promiſſio. Ideo quantumvis Petro Berthæ promitteret ipſam in uxorem ſe ducturum, ſi Bertha Petro viciſſim idem non promitteret, Petrus vi Sponſalium eam ducere non teneretur; licet forſan ad id teneri poſſet ratione

ſimplicis promiſſionis. Ratio hujus eſt, quia contractus ſponſalitius eſt oneroſus, proindeque reciprocus.

Dicitur 5. *Acceptata*: quia, ut alibi dictum eſt, vana eſt promiſſio rei non acceptatæ.

Dicitur 6. *Signo externo expreſſa*; cum enim contrahentes per ſeipſos onus ſuſtinere debeant, per ſeipſos conſenſum expreſſum exhibere debent. Parentes tamen Sponſalia acceptare poſſunt pro filiis ſuis præſentibus & non contradicentibus, ut jure poſitivo ſtatutum eſt.

Dicitur 7. *Inter perſonas determinatas*. Unde ſi quis diceret: Promitto ducere illam vel iſtam, licet ambæ acceptarent, non eſſent Sponſalia.

Dicitur 8. *Legitimas*, id eſt quæ a jure Matrimonium inire non prohibentur; cum hoc tamen diſcrimine, quod poſt completum ſeptennium, valide initi poſſint Sponſalia; quia tunc ordinarie ſolet adeſſe rationis uſus, ad contrahendum neceſſarius.

Dicitur 9. *Illo Matrimonio conjungendas*: quia nec pro Filiis Impuberibus, nec pro Puberibus abſentibus valida Sponſalia contrahi poſſunt, niſi Impuberes poſt ſeptennium, & Puberes ſcienter libere conſentiant, vel ſaltem tacite approbent: qui tamen conſenſus tacitus minime ſufficeret ad validanda Sponſalia a Tutoribus, & Curatoribus pro Pupillis ſuis vel Minoribus contracta, ſed neceſſarius eſſet expreſſus. De Sponſalibus plurima quæruntur hic breviter expendenda.

Quær. 1. Utrum valida ſint Sponſalia conditionata?

Rſ. Cum diſtinctione; vel conditio appoſita honeſta eſt, vel inhoneſta. Quod ſi honeſta ſit, v. g. *Ducam te in uxorem, modo Parentes conſenſum præbeant*, tunc purificata conditione valida ſunt Sponſalia; & ea non purificata, evadunt irrita. Quod ſi conditio ſit inhoneſta, vel contra ſubſtan-

tiam

tiam Matrimonii pugnet, ut, *Ducam te in uxorem, ſi pharmacum generationem impediens ſumas*; tunc prorſus invalida ſunt Sponſalia; vel non pugnat contra ſubſtantiam Matrimonii, ut, *Ducam te in uxorem, modo hunc occidas*; tunc impleta conditione valida ſunt Sponſalia, & promittens ipſis ſtare tenetur, ut patet ex praxi Eccleſiæ compellentis defloratorem ducere Puellam, quam ſub Matrimonii promiſſione defloravit. Quod ſi appoſita ſit impoſſibilis conditio, non ſtant Sponſalia; quia Sponſus non cenſetur ſerio promiſiſſe.

Quær. 2. An & quando Sponſi Matrimonium inire teneantur?

℟. Tenentur 1. ſub gravi peccato, quia ex promiſſione reciproca utrimque acceptata juſtitiæ exoritur obligatio, quæ cum circa rem gravem verſetur, gravem utique parit obligationem. Tenetur 2. tempore præfixo; cum non ſolum promiſſionis impletio, ſed & impletionis tempus hujus contractus cenſeatur materia. Ideo qui notabiliter Matrimonium protraheret, mortaliter peccaret, etiam independenter a ſcandalo, compartis infamia, aut incontinentiæ periculo, quod ab hac procraſtinatione oriri poſſet: quo caſu etiam non diuturna procraſtinario mortalis utique foret. Tenentur 3. ſub gravi peccato, ſi tempus non ſit determinatum, inire Matrimonium quamprimum commode fieri poteſt; alioquin vana eſſet promiſſio, cum tandem impleri debeat, nec ullum aliud tempus rationabiliter aſſignari valeat.

Quær. 3. An pœna in Sponſalibus primo reſilienti appoſita, obliget in conſcientia?

℟. Non obligat, ſi juſte reſilierit, bene autem ſi injuſte. Ratio primi eſt, quia nulli, niſi propter culpam, pœna eſt imponenda: ſed qui juſte reſilit, non eſt in culpa. Ergo. Deinde quia hæc injuſta pœna libertatem lædit Matrimonii, cum poſſet aliquis, ne pœnam gravem ſolveret, infeliciſ-

liciſſimum contra ſuam rationabilem propenſionem inire Matrimonium. Adde quod jus tum Canonicum, tum civile hanc pœnam prohibeant ac irritent. Ratio ſecundi eſt, quia injuſte reſilienti nulla fit injuria: ſed potius ipſemet infert injuriam, propter quam mulctari juſtum & æquum eſt: cum nulla ratione, nulloque juris adminiculo injuſte fidem frangere ſit licitum: immo e contra jus Canonicum injuſte reſilientem, etiam per cenſuras, Matrimonium inire compellat.

Quær. 4. Quot modis diſſolvantur Sponſalia?

R. Multipliciter diſſolvi. 1. Mutuo ac libero Puberum contrahentium conſenſu. 2. Per Ordinis Sacri ſuſceptionem, non tamen per ejus votum, ſicut nec per votum ſubſequens Caſtitatis, aut Religionis: quia invalide promittitur Deo, quod jam homini promiſſum eſt. 3. Per ingreſſum Religionis, ſaltem quoad partem in ſæculo manentem, 4. Per ſubſequens Matrimonium. 5. Per ſuperveniens Matrimonii impedimentum. 6. Per unius partis fornicationem. 7. Per notabilem infirmitatem, aut deformitatem, aut paupertatem ſupervenientem. 8. Per capitales inter Sponſos ſubortas inimicitias. 9. Per longinquam unius partis peregrinationem, aut diuturnam abſentiam &c. Porro in his omnibus Eccleſiæ judicium non eſt neceſſario expectandum, ſi cauſa diſſolutionis Sponſalium manifeſta ſit vel publica, bene quidem ſi occulta.

Quær. 5. Quas ob cauſas Sponſalia Matrimonio præmittantur?

R. Multas ob cauſas præmittuntur. 1. Ut Matrimonium maturius ac deliberatius contrahatur. 2. Ut tempore intermedio Sponſus, & Sponſa ad Sacramentum recipiendum ſe diſponant. 3. Ne Sponſa ſtatim tradita, inquit Auguſtin. vilis a Marito habeatur. 4. Ut diligentior compartis morum, vitæ, & conditionis fiat inquiſitio. 5. Ut digno-

dignoſci poſſit, an adſit aliquod dirimens, vel impendiens obſtaculum.

Quær. 6. Quid de Proclamationibus, id eſt Bannis, ſit dicendum?

R. 1. Gravem eſſe proclamationum obligationem, quas Later. ſub Innoc. III. ſtatuit, ideoque eis prætermiſſis contrahens graviter peccare cenſetur, cum materia ſit gravis: non ſecus ac ille, qui falſum allegans ab eis illegitimam obtineret diſpenſationem. 2. Proclamationes ter fieri debent a proprio contrahentium Parocho, id eſt in cujus Parochia habitant, idque tribus diebus Dominicis, aut de præcepto feſtivis continuis, non tamen immediatis, & intra Miſſarum Solemnia. Quod ſi diverſæ ſint contrahentium Parochiæ, aut unus contrahentium duplex in diverſis Parochiis habeat domicilium, in utraque Parochia fieri debent proclamationes. 3. Quod ſi infra duos menſes poſt factas denuntiationes Matrimonium non celebretur, iterari debent, perinde ac ſi nullæ factæ fuiſſent. 4. Audita proclamatione, quilibet impedimenti, etiam occulti, conſcius ſub gravi peccato illud revelare tenetur, etiamſi ſub juramento illud occultare promiſiſſet, cum juramentum iniquitatis vinculum eſſe non poſſit. Dixi *quilibet*: ſive ſolus id ſciat, quia ad probationem non tenetur, ſed ſolius ſit Superioris de veritate inquirere: ſive alii etiam illud reſciant, niſi tamen illos ſufficienter jam denunciaſſe compertum eſſet.

## CAPUT II.

### *De Eſſentia, & Exiſtentia Matrimonii.*

TRia in hoc capite exponenda veniunt. Quid, & quale ſit Matrimonium: quæ materia ejus & forma, & quis ejus Miniſter: demum quinam requiratur conſenſus.

### QUÆSTIO I.

#### *Quid, & quale ſit Matrimonium.*

*Not.* 1. TRiplex dicitur Matrimonium. 1. Legitimum, quod inter perſonas a Lege non impeditas contrahitur, quale poteſt eſſe etiam inter non Baptizatos. 2. Ratum, quod a ſolis Fidelibus contrahitur, eſtque id ipſis Sacramentum, cujus ratione ſit ratum ſeu indiſſolubile, ad diſcrimen Matrimonii ab Infidelibus contracti, quod poſt alterutrius converſionem diſſolvi poteſt. 3. Conſummatum, cui acceſſit copula.

*Not.* 2. Matrimonium iterum dupliciter ſumi poteſt. 1. Prout eſt tranſiens contractus, quo vir & femina mutuo ſibi dant fidem. 2. Pro vinculo ex tali contractu inducto & moraliter inter Conjuges permanente. Quoquo modo accipiatur, de ipſo inquiritur quænam ſit ejus eſſentialis definitio, utrum ſit verum Novæ Legis Sacramentum, & an ſit licitum & præceptum; pro quibus ſolvendis,

Dico I. Matrimonium pro contractu ſumptum, rite definitur: *Contractus, quo vir & femina ſibi invicem legitime tradunt & accipiunt corporum ſuorum dominium perpetuum, ad uſum conjugalem.* Sumpto autem pro vinculo ex hoc contractu habitualiter permanente, recte definitur: *Viri ac*

*mu-*

*mulieris maritalis conjunctio inter legitimas perſonas individuam vitæ conſuetudinem retinens.*

*Prob.* & explicantur definitiones. In prima definitione contractus locum habet generis, cetera vero differentiæ. Quodlibet ſiquidem pactum inter virum & mulierem, quo ſibi invicem opera præſtare promittunt, non eſt Matrimonium. Propter eamdem rationem in ſecunda definitione dicitur, non qualiſcumque, ſed *maritalis* conjunctio, ad uſum ſcilicet conjugalem ordinata. In utraque definitione additur, *legitime* & *legitimas*: quia Matrimonium ratum ſeu firmum eſſe non poteſt, quod ab aliqua Lege eſt illicitum. Cetera in definitionibus enuntiata expoſitione non indigent, & ex dicendis clarius patebunt.

Dico III. Matrimonium eſt verum, ſoliuſque Novæ Legis Sacramentum.

*Prob.* 1. pars ex Apoſt. Eph. 5. *Propter hoc relinquet homo Patrem & Matrem ſuam, & adhærebit Uxori ſuæ; & erunt duo in carne una: Sacramentum hoc magnum eſt: ego autem dico in Chriſto, & in Eccleſia.* Nec valet dicere, hunc textum de ſigno mere repræſentativo unionis Chriſti Domini cum Eccleſia intelligendum eſſe. Concilia ſiquidem Senon. an. 1528. c. 39. & Trid. ſeſſ. 24. ipſum uſurpant ad probandum Matrimonium eſſe Sacramentum, & quidem jure merito, cum in hoc textu verba, *Hoc Sacramentum*, evidenter referantur ad id quod ipſa immediate præcedit, nempe inviolata conjunctio viri cum muliere; non autem unioni Chriſti cum Eccleſia.

*Confirm.* Ex conſenſu utriuſque Eccleſiæ, Occidentalis & Orientalis, etiam Schiſmaticæ, quæ ſemper Matrimonium inter Novæ Legis Sacramenta recenſuerunt, & etiamnum recenſent. Teſtantur Patres omnes, maxime Aug. lib. de Bon. Conjug. cap. 18. *In noſtratum quippe nuptiis plus valet Sanctitas Sacramenti, quam fœcunditas uteri:*

& lib.

& lib. de Fide & Oper. c. 7. *In Eccleſia*, inquit, *nuptiarum non ſolum vinculum, verum etiam Sacramentum commendatur*. Accedunt definitiones Conc. Conſtant. ſeſſ. 15. Florent. in Decret. pro Inſtruct. Armenor. & Trid. cit. Anathema dicentis in eos, qui contrarium ſentiunt.

*Prob.* 2. pars, nempe quod Matrimonium ſolius Novæ Legis, non autem Veteris aut Naturæ, ſit Sacramentum.

*Prob.* Quia de Fide eſt ex Trid. ſeſſ. 7. can. 1. omnia Sacramenta a Chriſto Domino fuiſſe inſtituta; & Baptiſmum omnium Sacramentorum januam eſſe: ergo Matrimonium non erat Sacramentum ante Chriſti Domini Adventum, priuſquam Baptiſmum inſtituiſſet. Quod ſi nonnulli Patres Infidelium Matrimonium Sacramenti nomine nobilitent, ſenſus eorum eſt, quod ſignum erat mere ſpeculativum rei ſacræ, unionis ſcilicet Chriſti cum Eccleſia, non verum ſignum practicum.

Dico III. Licitus eſt uſus Matrimonii; non tamen umquam præceptus, niſi initio mundi.

*Prob.* 1. pars, quæ de fide eſt contra varios Hæreticos Veteres nubere prohibentes, & a variis Conciliis Gangr. Bracar. &c. damnatos; ex Apoſt. Hebr. 13. Matrimonium dicente *Honorabile eſſe conjugium*; & eum bene facere *qui Matrimonio jungit virginem ſuam*. Accedit ipſiuſmet Chriſti Domini auctoritas, qui præſentia ſua nuptias in Cana Galileæ celebrantes cohoneſtavit. Quod ſi vero nonnulli ex Sanctis Patribus aliquam in uſu Matrimoniali turpitudinem videantur tribuere, non ipſimet uſui Matrimoniali tribuunt, ſed carnali concupiſcentiæ, quæ in ipſo exardeſcit, quæque ab Apoſtolo peccatum vocatur; quia videlicet ex antiquo prodit peccato, & ad peccatum nos inducit, licet ipſa, dum debite moderatur, formale non ſit peccatum.

*Prob.*

*Prob.* 2. pars exemplo Joſue, Eliæ, Jeremiæ, Danielis &c. qui cælibatum coluerunt. Unde Apoſtolus citatus ait: *Qui virginem ſuam Matrimonio non jungit, melius facit*; & ipſemet Chriſtus Dominus ait Matth. 19. *Eunuchos eſſe, qui ſe ipſos caſtraverunt propter Regnum Cælorum.*

Quær. 1. Quandonam Matrimonium fuit inſtitutum?

℟. Si Matrimonium pro contractu ſumatur, certum videtur ex Aug. l. 14. de Civit. c. 24. *Nuptias ante peccatum hominis Deum ipſum inſtituiſſe*, dum per os Adami dixit: *Dimittet homo Patrem & Matrem, & adhærebit uxori ſuæ.* Si vero ſumatur pro Sacramento, nonnulli cenſent inſtitutum fuiſſe dum nuptias in Cana Galilææ celebratas Chriſtus præſentia ſua honoravit, & ad eſſe Sacramenti elevavit, primoque ſuo miraculo confirmavit; ſed probabilius dicitur ipſum inſtituiſſe dum Matth. 19. ejus indiſſolubilitatem ſancivit aut ſolemniter confirmavit. Siquidem ſuavi ejus Providentiæ congruum erat, ut tunc, ad hanc Legem obſervatu difficilem obſervandam, gratiam Sacramentalem conferret aut repromitteret.

Quær. 2. Qua ratione Matrimonium dicatur magnum Sacramentum?

℟. Magnum dicitur, immo & maximum, non quidem ratione gratiæ ab ipſo collatæ, quæ omnium Sacramentalium eſt infima, ſed ratione ſignificationis. Triplicem namque habet ſignificationem. Significat 1. Unctionem Dei cum anima, quam Deus ipſemet fide, quæ per charitatem operatur, ſibi deſponſavit. 2. Unionem Chriſti cum Eccleſia, quam ſibi Sanguine ſuo comparavit. 3. Unionem Verbi divini cum humanitate, quam ſibi indiſſolubiliter aſſumpſit.

Quær. 3. Utrum Matrimonium inter baptizatum, & non baptizatum, verum ſit Sacramentum?

℟. Ne-

℟. Nequaquam: quia Sacramento Matrimonii eſſentiale eſt, ut ſit inter duos: ſed non poteſt eſſe inter duos, ſi unus, defectu Baptiſmi, Sacramenti non ſit capax: ergo. Deinde ſi tale Matrimonium eſſet Sacramentum, omnino foret indiſſolubile; tale autem Sacramentum non eſt indiſſolubile, ut conſtat ex Apoſtolo 1. Cor. 7. docente partem fidelem ab infideli licite ſeparari poſſe. Nec refert quod ſi ex duobus Fidelibus ſimul contrahentibus unus ſit in peccato, & aliter in gratia, iſte vere gratiam Sacramenti recipiet: magna ſiquidem eſt diſparitas inter Sacramentum ipſum, & effectum ipſius Sacramenti: Iſte dividi poteſt, ut de facto dividitur in eo qui v. g. in ſtatu mortali ordinatur, & qui characterem ſuſcipit, licet gratiam non recipiat; Sacramentum vero omnino eſt indiviſibile.

Quær. 4. Utrum matrimonium Infidelium ad rationem Sacramenti provehatur, dum baptizantur?

℟. Docent unaniniter Doctores, Matrimonium Infidelium, poſt Baptiſmum utriuſque partis ſuſceptum, ex legitimo ſaltem ratum fieri atque indiſſolubile; quia, ratione fidei in Baptiſmo ſuſceptæ, magis complete magiſque perfecte conjunctionem Chriſti cum Eccleſia indiſſolubilem ſignicat: ſed utrum verum ex hoc evadat Sacramentum, non conveniunt. Communior tamen ac probabilior ſententia eſt, Matrimonium inter non Baptizatos initum in Sacramentum tranſire poſt ſuſceptum Baptiſmum; modo coram Parocho & teſtibus ipſum ratificent, habeantque intentionem, ſaltem implicitam, hoc faciendi quod facit Eccleſia. Ita D. Th. 4. diſt. 39. quæſtiunc. 1. art. 2. ad 1. & ratio eſt, quia in hac Matrimonii ratificatione nihil deeſt ex neceſſariis ad rationem Sacramenti: adſunt ſiquidem materia & forma, Miniſter & intentio.

Dices: Deeſt corporum traditio, quia nullus dare

dare poteſt id quod jam dedit, cum jam in ſua poteſtate non ſit amplius.

℟. Nullus dare poteſt quod jam dedit, abſolute & ſimpliciter, conceditur; ſecundum quid, negatur. Nam 1. quod jam quis dedit iterum dare poteſt de conſenſu jam poſſidentis. 2. Dum quis abſolute donationem revocare potens, eam confirmat, virtualiter iterato donat. 3. Dum id donat ſub alia ratione, & ad alium effectum: quæ omnia, ut patet, locum habent in caſu propoſito.

## QUÆSTIO II.

### *De Materia, forma, & Miniſtro Matrimonii.*

*Not.* CUM Florentinum Concilium formam & materiam Matrimonii, ſicut aliorum Sacramentorum, non aſſignaverit, in eis aſſignandis Doctores in varias abiere ſententias, quas brevitatis gratia prætermittere neceſſe eſt. Igitur:

Dico I. Matrimonii remota materia ſunt contrahentium corpora; proxima eſt eorum ad actum conjugalem traditio: forma vero eſt mutua contrahentium acceptatio, verbis aut nutibus expreſſa.

*Prob.* 1. pars: Siquidem eadem eſt materia remota Sacramenti, quæ contractus Matrimonialis; circa quem Chriſtus Dominus nihil immutavit, niſi quod ad Sacramenti dignitatem eum elevaverit. Atqui materia remota contractus Matrimonialis ſunt contrahentium corpora; id enim eſt materia venditionis, quod venditur. Ergo.

*Prob.* 2. pars: Quia in omnibus Sacramentis materia proxima eſt materiæ remotæ applicatio. Atqui in Matrimonii Sacramento, nulla alia excogitari poteſt materiæ applicatio, quam corporum traditio. Ergo.

*Prob.*

*Prob.* 3. pars. Id enim forma dici del quod materiam determinat ad esse tale Sacrar tum. Atqui corporum traditorum acceptatio rum. traditionem determinat ad esse firmum & tum contractum, cum ex hac mutua accept ne prodeat omnis hujus contractus obligatio: nis siquidem promissio acceptatione firmatur, perficitur. Ergo.

Dico II. Hujus Sacramenti Minister non Parochus, sed ipsimet Contrahentes.

*Prob.* Conclusio, quæ est D. Th. 4. dist. 26 2. a. 1. ad 1. & D. Bonav. 4. d. 27. dub. 2. Conc. Flor. docente in Decret. mutuum con hentium consensum esse causam Sacramenti; quo sequitur ipsosmet consentientes Sacrament conficere. Sed qui Sacramentum conficit, i administrat. Ergo ipsimet contrahentes sunt h Sacramenti sibi invicem Ministri.

*Confirm.* ex Trid. docente sess. 24. c. 1. M monia olim clandestina, id est absque Paroch lebrata, rata validaque fuisse, donec Ecclesia irritaverit: ergo tunc temporis rata sunt & v da, independenter a Parocho, cum Ecclesia vum Sacramentum nec instituerit, nec instit potuerit. Deinde Christus Dominus Matrimoni ad Sacramenti dignitatem provehendo, nihil ipso immutavit, verusque semper ac legitimus c tractus remansit. Atqui hujus contractus ipsi Ministri sunt ipsimet contrahentes. Ergo & cramenti. Demum certum est apud omnes, qt doque ad validitatem Sacramenti sufficere præ tiam Parochi, etiam dissentientis, & contradic tis; quod utique falsum esset si hujus Mini Parochus esset, cum ad valorem Sacramenti cessario prærequiratur Ministri intentio.

Quær. An validum sit Matrimonium inter sentes celebratum?

R. Concedunt fere omnes Theologi valid qui

quidem eſſe in ratione contractus; ſed dubium eſt, utrum validum ſit etiam in ratione Sacramenti. Affirmans opinio, ſicut communior, ita & probabilior videtur; quia 1. nulla eſt ratio, cur Chriſtus Dominus ad Sacramenti dignitatem potius Matrimonium inter præſentes, quam inter abſentes elevaſſet; cum inter ſe niſi accidentaliter differant. 2. Matrimonium inter abſentes non minus materia, & forma intentioneque Miniſtri conſtat, quam inter præſentes. 1. Adſunt moraliter contrahentium corpora, quorum præſentia in Matrimonii celebratione non magis requiritur, quam in aliis contractibus. 2. Adeſt forma, ſcilicet conſenſus, vel per Procuratorem, vel per litteras, vel per Nuntium expreſſus. 3. Adeſt intentio Miniſtri, ideſt contrahentium, qui vel Procuratorem, Nuntium, aut litteras ad hunc finem tranſmiſerunt.

Non obſtat 1. huic concluſioni, quod quis etiam dormiens gratiam Sacramenti ſuſcipere poſſet, quia ibi nullum eſt inconveniens, cum gratia Sacramenti Pœnitentiæ a delirante, antea confeſſo & contrito, ſuſcipi poſſit. Non obſtat 2. quod quis dormiens Sacrilegium perpetrare poſſet, ſi nempe in peccato mortali exiſteret, dum per Procuratorem Matrimonium contraheret: tunc enim tantummodo illud perpetraret, dum ſomno ſe dando, prævideret tempore ſomni celebrandum fore Matrimonium.

*Obſerva in fine Tomi hujus N. V.*

QUÆ-

## QUÆSTIO III.

### *Qualis ad Matrimonium requiratur conſenſus.*

*Not.* 1. COncedunt omnes Theologi mut contrahentium conſenſum ita Matrimonii contractum neceſſarium eſſe, u potentia Dei, etiam abſoluta, nullus abſqu eſſe poſſit, cum id manifeſtam involvat cont ctionem: ſequeretur enim, ut patet, contra fieri & non fieri. Dixi *Contractum Matrim* nam ſi Matrimonium ſumatur prout eſt vincul certum eſt quod Deus Conjuges, etiam invitos gare poſſit; cum poteſtatem in eorum corpora l majorem habeat, quam ipſimet Conjuges. I autem poteſtatem p tuit quidem Deus Ecc ſuæ communicare; ſed id non permiſit ſuavis providentia, quæ quod perpetuum eſſe debe omnino liberum eſſe voluit, non violentum.

*Not.* 2. Circa Matrimonialem conſenſum nobis examinanda occurrunt, nempe obje ejus, & conditiones neceſſario requiſitæ. Du autem poteſt eſſe conſenſus objectum. 1. M atque irrevocabilis in corpora poteſtas. 2. R uſus ejuſdem poteſtatis, ſeu mutua copula. veniunt omnes Theologi conſenſum in poteſt ſuprad ctam omnino ad valorem Sacramenti quiſitam eſſe; cum is ad materiam Matrin ſubſtancialem ſpectet, nec ullum abſque ma poſſit adeſſe Sacramentum. Sed circa huju teſtatis uſum grave dubium exoritur, ad ſolve dum.

Dico I. Ad valorem Matrimonii conſenſ copul m minime requiritur.

*Prob.* Ex Matrimonio inter Beatam Virgine Sanctum Joſephum celebrato, quod verum

M

Matrimonium, licet neuter in copulam conſenſerit. Hujus autem Matrimonii vetitatem habemus, tum ex Evangelio ſæpius Mariam Joſephi Conjugem, & Joſephum ejus Virum vocante: tum ex Div. Aug. l. 23. contra Fauſtum ex D. Th. p. 3. q. 29. ar. 2. & aliis Patribus docentibus *Omnino verum fuiſſe Matrimonium Virginis Matris Dei & Joſeph*; quibus non adverſatur D. Hieron. dicens lib. adverſus Helvid. *Cum virum in Scriptura audimus, nuptiarum ſuſpicionem nobis ſubire non debere.* Loquitur namque S. Doct. de nuptiis ſtricte ſumptis, id eſt conſummatis, non de veris ac ratis nuptiis.

*Confirm.* Ratione. Quia quod Matrimonio non eſt eſſentiale, ab ipſo ſeparari poteſt, ſalva ejus eſſentia. Atqui copula actualis non eſt eſſentialis Matrimonio, ſed quid ipſo poſterius: alioquin, inquit D. Aug. l. 5. c. 9. contr. Julianum, *cum deſiterunt concumbere Conjuges, jam amplius Conjuges non eſſent.* Ergo actualis copula a Matrimonio ſeparari poteſt. Deinde quilibet vendere poteſt agri ſui dominium directum, retento ſibi ejuſdem agri dominio utili ſeu uſufructu. Ergo a pari Conjuges ſibi invicem tradere poſſunt dominium in corpora ſua, reſervato ſibi uſu copulæ.

Dico II. Quatuor ad conſenſum Matrimonialem neceſſario requiruntur conditiones.

*Probatur* enumeratione.

1. Requiritur verus conſenſus, nec ſufficit ut Sponſi exterius contrahant, ſi contrahere vere non intendant. Si tamen aliquis ſimulate contraxiſſet, ſub mortali teneretur ſimulationem deponere, & vere contrahere, tum ad reparandam gravem comparti ſuæ illatam injuriam, tum quia ſub ſimulationis obtentu Matrimonium non cenſetur diſſolutum coram Eccleſia, quæ ei fidem adhibere nec teneretur nec deberet, ne anſam ad plurima diſſolvenda Matrimonia occaſionem ſubminiſtraret.

Adde quod nulla ſit fides adhibenda ei, qui i diſſolvendo Matrimonio mentiri poteſt, ſicut & i ipſo celebrando mentitus eſt. Quod ſi quis, pol Matrimonium ficte celebratum, aliud, adhibit legitimo conſenſu, celebraſſet; tunc ex definitio ne Innoc. III. Cap. *Inquit de ſententia excom* teneretur potius excummunicationem ſuſtinere quam ad primam Uxorem accedere.

2. Requiritur quod conſenſus ſit ſigno extern expreſſus, prout exigit tum natura contractus, qu utrique parti debet innoteſcere, ut ab utraque part acceptetur; tum natura Matrimonii, quod cun ſit Sacramentum, ſigno ſenſibili conſtare debet.

3. Requiritur ut conſenſus ſit de præſenti, no de futuro; per quod Sponſalia differunt a Matri monio, quod cum verum ſit Sacramentum, ver tunc efficit quod tunc ſignificat, nempe actualen in mutua corpora poteſtatem.

4. Requiritur ut a metu gravi, a cauſa liber injuſte ad hoc incuſſo, omnino ſit immunis. Dix *ex metu gravi* in virum conſtantem cadente, at tentis circumſtantiis conditionis, ſexus, qualitati &c. Perſonæ contrahentis: circa quod plura vider da ſunt apud Canoniſtas. Dixi *a cauſa libera* quia ſi a cauſa neceſſaria oriretur, a tempeſtat v. g. ægritudine, bello, inferno, &c. Matrimo nium minime irritaret. Dixi *injuſte*; nam ſi juſt incuſſus eſſet, Matrimonium non irritaret. Si quandoque Judex Eccleſiaſticus aut civilis Virgini ſtupratores ſub pœna aut mortis aut excommunica tionis cogit ut ſtupratam ducant Matrimonio quod, non obſtante hoc metu juſte incuſſo, vali dum reſtat; quia tunc cenſetur potius a propri ſuo delicto cogi, quam ab alio. Dixi, *ad hoc in cuſſo*; validum ſiquidem eſſet Matrimonium, ſi a alium finem incuteretur; ideo qui a latrone depre henſus, ipſi offerret filiam ſuam ducere, ne in terficeretur, valeret Matrimonium. Ubi obiter

Ob-

Obſervandum eſt, Matrimonium ſupradicto metu initum fore invalidum, etiamſi juramento fuiſſet firmatum, & ſubſequenti copula affectu maritali conceſſa fuiſſet conſummatum; tum quia juramentum naturam contractus, cui conjungitur, ſequitur; tum quia ſubſequens copula validare non poteſt quod numquam fuit, defectu conditionis eſſentialiter ab Eccleſia requiſitæ.

Quær. 1. Quid ſit dicendum de Matrimonio ſub conditione inito?

℟. Hic eſſe recolenda, quæ ſuperius de Sponſalibus conditionatis diximus. Excipe tamen; quod Matrimonium ſub conditione impoſſibili initum, ab Eccleſia cenſeatur omnino invalidum; quia ſicuti ſupponitur, promiſſionem ſub conditione impoſſibili factam, non ſerio factam fuiſſe; ita ſupponitur, conditionem impoſſibilem Matrimonio adjunctam, ipſi non ſerio adjunctam fuiſſe. Non enim veriſimile videtur, hominem rationis compotem contractui de præſenti inito ſtultam conditionem addidiſſe, & Sacramento illudere voluiſſe. Adde quod Matrimonio ex natura ſua indiſſolubili potius favendum ſit, quam Sponſalibus, quæ eamnem firmitatem non habent.

Quoad Matrimonium initum ſub conditione honeſta de præſenti, vel præterito ſubſiſtente, vergrat. *Duço te in uxorem, ſi nobilis es aut virgo*; validum quidem eſt, ſed Conjuges eo uti non poſſunt, niſi prius probe ſciant purificatam eſſe conditionem. Sed cum hi ſimileſque caſus ſpeculativi potius ſint quam practici; his brevitatis gratia ſuperdeſcemus.

Quær. 2. An Parentum conſenſus ad Matrimonium ſit neceſſarius?

℟. 1. Ad valorem Matrimonii abſolute non eſt neceſſarius Parentum conſenſus. Id tamquam de fide a Tridentina videtur definitum ſeſſ. 24. c. 1. *Jure damnandi ſunt illi, ut eos Sancta Synodus*

*Anathemate damnat, qui falso affirmant Matrimonia a Filiis familiar sine consensu Parentum contracta, irrita esse.* Ratio est, quia omnis homo sufficienti ratione, ac legitima præditus, plenum atque integrum habet dominium in corpus suum, independenter a Parentibus. Plurima id confirmant Sanctorum exempla in Scriptura relata, Tobiæ junioris, Jacobi, Davidis &c. qui absque ullo Parentum suorum consensu, ipsisque insciis, valide Matrimonium inierunt. Huic veritati non obstant antiquæ Leges Romanæ consensum Parentum ad valorem Matrimonii requirentes, quia jure Canonico fuerunt emendatæ, ut patet Cap. *Sufficiat* 27. qu. 2. & Cap. *Cum virum de Regularibus* & Cap. *Cum apud, de Sponsal.* Nec obstant nonnulla Summorum Pontificum effata, vocantium Matrimonia absque Parentum consensu celebrata, Adulteria, Stupra, Fornicationes; quia sic dicuntur, non propter eorum invaliditatem, sed propter illicitatem. Nec obstant jura hujusce Regni ( *Galliæ* ) ubi hujusmodi Matrimonia declarantur irrita; quia in foro tantum civili irritantur, non in foro conscientiæ; id est quoad civiles effectus, non autem quoad Sacramentales, in quo jus non habent.

R. 2. Regulariter loquendo, Filii familias absque Parentum, aut Tutorum suorum consensu nubentes, mortaliter peccant. *Sancta* siquidem *Dei Ecclesia*, inquit Trident. cit. *ex justissimis causis illa semper* Matrimonia *detestata est, atque prohibuit*. Ecclesia autem, nonnisi grave peccatum detestatur; cujus peccati gravitas in eo sita est, quod in re gravi maximique momenti, Filii familias honorem atque reverentiam Parentibus debitam, injuste subtrahant, dum citra eorum consilium ac beneplacitum Matrimonium inire præsumunt.

Dixi *Regulariter loquendo*: nam si urgeat Matrimonii maxime convenientis occasio, præsumatur-

que

que Parentum conſenſus, Filii familias abſque eorum poſitivo conſenſu licite nubere poſſunt. Immo etiam ipſiſmet contradicunt. Poteſtas ſiquidem Parentum in Filios nulla eſt contra Dei ordinationem, & rectæ rationis dictamen. Ideo Filius a Parentibus cogi non poteſt ut talem Perſonam aliunde honeſtam, & ſibi convenientem, in uxorem ducat, dum erga ipſam omnino averſa eſt ejus inclinatio. Quapropter Synodus Tridentin. ſeſſ. 24. cap. 9. *Præcipit omnibus ſub Anathematis pœna, quum ipſa facto incurrant, ne quovis modo, directe vel indirecte ſubditos ſuos, vel quoſcumque alios cogant, quominus Matrimonia libere contrahant.* Quod decretum de injuſta coactione venit intelligendum: Magiſtratus enim, ut alibi dictum eſt, ſtupratorem virginis ad eam ducendam legitime cogere poteſt.

*Obſerva in fine Tomi hujus N. VI.*

## CAPUT III.

### *De Matrimonii proprietatibus, aut effectibus.*

TRes rencenſeri poſſunt proprietates aut effectus Matrimonii. 1. Unitas, ſecundum quam vir plures uxores, & uxor plures viros habere non poſſunt. 2. Indiſſolubilitas, qua Conjux ab altero Conjuge vivente ſeparari nequit. 3. Caſtitas, qua uſus Matrimonii ſanctificatur. De quibus quæſtionibus eſt agendum.

## QUÆSTIO I.

### *Quid ſit unitas Matrimonii.*

*Not.* 1. LAtum eſſe inter Poligamiam, & Bigamiam diſcrimen. Si quidem Poligamia eſt Connubium unius viri cum pluribus ſimul

mul uxoribus, aut unius uxoris cum plurimis simul viris. Bigamia vero est ulterius Connubium, secundum scilicet, tertium, aut quartum, aut quintum &c. viri vel feminæ cum altera femina vel viro, post compartis mortem.

*Not.* 2. De Fide certum est contra Montanistas & Novatianos, secundas & sæpius repetitas post mortem comvartis nuptias non esse illicitas, juxta illud Apostoli Rom. 7. *Si mortuus fuerit vir ejus, liberata est a lege viri, ut non sit adultera, si fuerit cum alio viro.* Unde D. Hieronym. ait in Apol. ad Pam. *Non damno Bigamos, immo nec Trigamos, & si dici potest, Octogamos.* Quod si nonnulli ex SS. Patribus secundas nuptias dixerint non bonas, & olim Ecclesia in ipsas nonnullas statuerit pœnas; ratio est, quia secundæ nuptiæ carent illo honore significationis, qui est in primis nuptiis, nempe ut sit una unius, sicut est in Christo & Ecclesia; vel quia sæpius ad secundas nuptias transitus non fit, nisi inhonestæ libidinis explendæ gratia.

*Not.* 3. Item omnino certum est Poligamiam respectu mulierum, seu Biviratum, ipso jure naturæ esse illicitum, utpote fini primario Matrimonii, Prolis scilicet generationi & educationi oppositum. Generationi, inquam, quia varium semen masvulinum est infœcundum: educationi vero quia Patre incerto, proles ab utroque coeunte negligetur.

*Not.* 4. Item certem est apud omnes Catholicos, Poligamiam respectu virorum, id ex uxorum pluralitatem simultaneam, jure divino esse prohibitam, non solum Christianis, ut expresse definivit Trident sess. 24. can. 2. sed & omnibus hominibus, etiam Infidelibus; quibus post conversionem permittit Ecclesia manere cum sola prima uxorum suarum, si plures habuerint: ceteris facultate concessa nubendi quibuslibet. Id expresse docet

Chri-

Chriſtus Dominus Matth. 19. ubi Matrimonium reducens ad eum ſtatum, in quo erat ab initio, cum Deus dixit Genes. 2. *Relinquet homo Patrem ſuum & Matrem, & adhærebit Uxori ſuæ, & erunt duo in carne una*, declarat mæchari eum, qui dimiſſa priore uxore alteram duxit. Ergo multo gravius mæchatur, qui priore retenta alteram adjungit. Sola igitur quæſtio eſſe poteſt, utrum ſcilicet Poligamia ſeu ſimultanea uxorum pluralitas, non ſolum jure divino, ſed & naturali ſit prohibita: ad quam ſolvendam

Dico: Ipſomet jure naturæ prohibita eſt ſimultanea uxorum pluralitas.

*Prob.* Ex D. Hieron. in Matth. cap. 19. *Chriſtus Dominus*, inquit, *adducit in teſtimonium ſacram Scripturam, & Naturalem legem, ut unitatem uxoris ſtatuat*: & Div. Thom. p. 3. q. 65. art. 1. ait: *Lex autem de unitate uxoris non humanitus, ſed divinitus inſtituta; nec unquam verbis aut litteris tradita, ſed cordi impreſſa, ſicut & alia, quæ ad Legem naturæ qualitercumque pertinent.*

*Confir.* Ratione, quia naturalis æquitas exigit, ut in omni contractu ſervetur æqualitas: ſed ſi mulier totum corpus ſuum uni viro tradat, & vir non ſuum totum tradat uni mulieri, non ſervatur æqualitas; ergo &c. Deinde licet uxorum pluralitas fini primario Matrimonii, Filiorum ſcilicet procreationi, contraria non ſit; adverſatur tamen fini ſecundario, mutuo nimirum Conjugum obſequio, ſtrictæque eorum amicitiæ. Ex unitate Matrimonii.

*Reſolv.* 1. Mulier, quæ bona fide putans virum ſuum eſſe mortuum, ad ſecundas nuptias tranſvolavit, ſi poſthac reſciverit ipſum adhuc vivere, ad ipſummet tenetur reverti, nec poteſt poſteriori viro debitum deinceps aut petere aut redde-

re; quia prius Matrimonium subsistens secund invalidat.

*Resol.* 2. Quod si mulieri, quæ ad secund transvolavit nuptias, dubium supervenerit de mo te aut vita prioris Mariti; stante dubio, debitu quidem petere non poterit, sed poterit redder si vir in bona fide sit, nec expediat ipsi d bium aperire.

## QUÆSTIO II.

*Quid de Matrimonii indissolubilitate sit dicendu*

*Not.* TRipliciter dissolvi posse Matrimoniu 1. Quoad vinculum, ita ut Conjug priori suæ libertati restituantur, possintque ali: inire nuptias. 2. Quoad thorum, ita ut immun fiant a reddendo debito. 3. Quoad habitationem ita ut in eodem loco simul habitare non teneat tur. De prima dissolutione, quæ proprie dicitur sermo est, dum quæritur, utrum dissolubile s Matrimonium: ceteræ vero dissolutiones, impro prie dictæ, vocantur *divortium* a verbo *divertendo*, eo quod unus Conjugum ab altero divertat Circa quæ plurima sunt scienda, quæ brevitat gratia singulis expendemus quæstiunculis.

Quær. 1. An & quo jure indissolubile sit M trimonium?

*R.* 1. Quodlibet Matrimonium, sive ratum, siv consummatum, jure divino est indissolubile. I fides docet contra varios Hæreticos docentes ipsum pro contrahentium libitu dissolvi posse *Matrimonii*, inquit Trident. sess. 24. *nexum pe petuum indissolubilemque, primus humani gener Parens, Divini Spiritus instinctu pronuntiavit.* I hanc Christus Dominus indissolubilitatem, confi mans Matth. 19. ait: *Quod Deus conjunxit, hon*

*non*

*non ſeparet*; & Apoſt. 1. Cor. 7. *Iis, qui Matrimonio juncti ſunt, præcipio, non ego, ſed Dominus, Uxorem a Viro non diſcedere; quod ſi diſceſſerit, manere innuptam, aut Viro ſuo reconciliari.* Et ne quis exiſtimet hos textus eſſe intelligendos de Matrimonio ſolummodo conſummato, dicit Chriſtus Dominus Luc. 16. *Qui dimittit Uxorem ſuam, & alteram ducit, mœchatur.* Vera autem eſt Uxor, etiam Matrimonio nondum conſummato, verum Matrimonium, veraque a Deo ipſomet facta conjunctio, quam proinde nullus hominum ſolvere poteſt.

R. 2. Matrimonium conſummatum, non ſolum jure divino, ſed & naturali eſt indiſſolubile. Ita D. Thom. & D. Bonav. quorum ratio eſt, quia Matrimonium conſummatum de ſe & ex natura ſua ad Prolis generationem & educationem ordinatur; *Unde cum Proles commune ſit Viri ſimulque Uxoris bonum, oportet eorum ſocietatem perpetuo indiviſam remanere.* Nec obſtat quod Judæis libellus repudii fuerit permiſſus: vel enim iſta permiſſio fuit mera tolerantia ad duritiam cordis, ut ipſemet teſtatur Chriſtus Dominus, ad graviora mala vitanda; quæ tolerantia, inquit D. Bonavent. & ceteri Doctores, a pœna quidem legali liberabat, non a culpa; vel vera fuit permiſſio liberans a culpa ex diſpenſatione nimirum Dei, qui tamquam Supremus Dominus jus Conjugum in ſe ipſos mutuum diſſolverat. Nec obſtat idem quod Chriſtus ſupra citato loco videatur permittere ut Uxor dimittatur, ſi fornicata fuerit: *Quicumque*, inquit Matth. 19. *dimiſerit Uxorem ſuam, niſi ob fornicationem, & aliam duxerit, mœchatur.* Verba ſiquidem, *niſi ob fornicationem*, non referuntur ad omnem uxoris dimiſſionem, tam quoad vinculum, quam quoad thorum: ſed tantummodo quoad thorum. Unde ſenſus eſt: *Quicumque dimiſerit Uxorem ſuam*, quoad thorum, *niſi ob fornicationem, & aliam duxerit*, quamcumque ob cauſam, *mœ-*

*chatur*. Quem ſenſum aperte innuunt ceteri Evangeliſtæ, dicentes abſolute : *Qui dimittit Uxorem ſuam, & alteram ducit, mœchatur, & qui dimiſſam a viro ducit, mœchatur.*

R. 3. Matrimonium, ratum licet, nondum conſummatum, jure naturæ non eſt indiſſolubile. Ratio eſt, quia omnes contractus, quantumvis rati, jure naturæ ex utriuſque conſenſu ſunt diſſolubiles; modo nullum inde contra naturam ſequatur inconveniens. Atqui ex diſſolutione Matrimonii rati nullum contra naturam ſequitur inconveniens; neque ex parte prolis educandæ. Ergo.

Quær. 2. An, & ob quam cauſam diſſolvi poſſit Matrimonium?

R. 1. Diſſolvitur Matrimonium ratum, non vero conſummatum, per Profeſſionem ſolemnem in Religione a Sancta Sede approbata. Id expreſſe definierunt plurimi ſummi Pontifices, Alexand. II. Inn. III. & Joan. XXII. & Concilium Tridentinum ſeſſ. 24. can. 6. Anathema dicit in eos, qui ſecus docuerint : cujus nulla a priori ratio aſſignari poteſt, quam ipſa Chriſti Domini voluntas, nobis ex Traditione perpetua revelata. Nec enim, inquit Scotus cum ceteris Theologis, Eccleſia umquam attentaſſet unum contrahentium licentiare ad Religionem, altero manente in ſæculo, niſi Chriſtus Dominus id inſtituiſſet. Hæc tamen ratio convenientiæ adduci poteſt; nempe, quia Profeſſio religioſa ſit mors civilis, quæ civilem contractum nata eſt diſſolvere.

Dixi 1. *Matrimonium ratum, non vero conſummatum*; quia cum hoc matrimonium contractus ſit civilis ſimul & carnalis, & ipſo jure naturæ indiſſolubilis, diſſolvi non poteſt niſi per mortem civilem ſimul & carnalem, ut conſtat ex VI. Synod. & ex Cap. *Si quis conjug.* 27. q. 2. Ideo ſi quis abſque conſenſu compartis Religionem profiteretur, ad ejuſdem inſtantiam e Religione teneretur exire &

cum

cum ipſa cohabitare. Quod ſi compars conſenſiſſet, exire quidem non teneretur; ſed compars quæ conſenſit, alteri nubere non poſſet, niſi poſt mortem illius, qui Religionem profeſſus eſt. Immo etiamſi conjux uterque Religionem profeſſus eſſet, Matrimonium perſeverare; ita ut ſi Conjuges ſimul coirent, Sacrilegium quidem ratione voti perpetrarent, non vero fornicationem.

Dixi 2. *Per Profeſſionem*, nec ſufficit Religionis ingreſſus. Ideo conjux remanens in ſæculo, tempore ſuæ compartis Novitiatus alteri nubere non poteſt.

Dixi 3. *Profeſſionem ſolemnem*; quia nec vota ſimplicia, etiam in Societate Jeſu poſt biennium emiſſa, nec vota Coadjutorum, Oblatorum aliorum Ordinum, Matrimonium diſſolvere poſſunt; cum ex Jure a Tridentino ſolemnis requiratur profeſſio.

Dixi 4. *In Religione*; non enim Matrimonium diſſolvit ſuſceptio, quantumvis ſolemnis Ordinis Sacri, immo & Ordinis Epiſcopalis. Ideo Conjux ordinatus ad ſuam abſque fornicatione accedere poſſet; & ſi ad aliam accederet, adulterii reus eſſet.

Dixi 5. *a S. Sede approbata*. Nulla ſiquidem vera & proprie dicta Religio in Eccleſia cenſetur citra hanc approbationem, cujus ſolius auctoritate homo ſolemnem emittit profeſſionem Religioſam.

§. 2. Nullum Matrimonium, licet non conſummatum, a Summo Pontifice diſſolvi poteſt. Ratio eſt, quia inferior in Lege Superioris minime diſpenſare poteſt. Sed Matrimonium ratum, licet non conſummatum, Lege divina indiſſolubile eſſe ſuperius diximus. Ergo Pontifex ipſum diſſolvere non poteſt. Ita cenſuerunt Innocent. VIII. Adrian. VI. & Pius V. Quod ſi legatur nonnullos Pontifices in Matrimonio rato diſpenſaſſe; dicendum eſt, hos Pontifices ſententiam, quam fide

credebant probabiliorem, ſecutos fuiſſe, ad gr: via mala vitanda. Item ſi dicatur, Summum Pontificem non minorem in diſſolvendo Matrimonio rato poteſtatem habere, quam in votis diſſolvendis, cum par ſit utrobique ratio, dicendum eſt Traditionem perpetuam atque indubitatam d prima poteſtate nos certificare, non autem d ſecunda.

R. 3. Infidelium non Baptizatorum Matrimonium, etiam conſummatum, diſſolvi poteſt ex diſpenſatione ipſiuſmet Chriſti Domini in favorem fidei conceſſa, ut habetur 1. Cor. 7. *Si infideli diſcedit, diſcedat: non enim ſervitutis ſubjectum eſt Frater vel Soror in hujuſmodi*. Quod tamen niſi in tribus contingit caſibus.

1. Si Conjux in infidelitate perſeverans nolit amplius cum converſo habitare, præciſe propter odium Fidei. Si enim id faceret propter aliam cauſam, v. gr. adulterium, non diſſolveretur Matrimonii vinculum. 2. Si infidelis velit quidem cum parte converſa cohabitare, ſed non niſi cum injuria Creatoris, aut Fidei, nam ſi pacifice habitare voluerit, ſemper ſtabit Matrimonium. 3. Si pars Infidelis, licet quoad Fidem præciſe habitare velit pacifice, compartem tamen ſuam converſam ad grave peccatum protrahere tentet. Ubi

*Obſerv.* 1. Matrimonium non diſſolvi per id quod Infidelis ad alias tranſeat nuptias; ſed ſolum per alias nuptias compartis fidelis: ideo abſque novo Matrimonio pars fidelis, quæ innupta remanſit cum parte infideli, quæ ſecundo nupſit, poſſet cohabitare, quia hæc diſpenſatio in favorem ſolius Fidelis a Chriſto Domino fuit conceſſa. 2. Obſervandum eſt, partem infidelem poſt partis fidelis ſecundas nuptias, non poſſe quidem licite, cum ſit in culpa, ſed valide tunc poſſe novum Matrimonium contrahere, quia per nuptias ſecundas partis fidelis vere ſolutum eſt vinculum, ita

ut

ut ſi pars infidelis converteretur, velletque poſt mortem utriuſque novi Conjugis cum priori cohabitare, novas nuptias cum ipſo celebrare teneretur.

Quer. 3. Utrum Infideles converſi, qui in gradu prohibito Matrimonium inierunt, ſint ſeparandi?

℟. Si matrimonium inierunt in gradu jure naturæ prohibito, ut Pater cum filia, Filius cum matre, Frater cum ſorore, ſunt ſeparandi; quia, inquit Ambroſ. in Epiſt. 1. ad Cor. 7. quod extra Dei decretum factum eſt, non eſt putandum Matrimonium. Quod ſi vero initum fuerit Matrimonium in gradu tantum ab Eccleſia prohibito, non diſſolvitur, quia Eccleſiæ conſtitutio infideles non Baptizatos, ei non ſubjectos, arctare non poteſt, ut definivit Innoc. III.

Quær. 4. An & quando licitum ſit divortium, tum quoad thorum, tum quoad habitationem; perſeverante ſemper Matrimonii vinculo.

℟. Legitima auctoritate licitum eſt divortium ob ſequentes cauſas.

1. Ob moraliter certum unius Conjugum culpabile adulterium, ut patet ex ſupracitato Matth. capite; *Quicumque dimiſerit uxorem ſuam, niſi ob fornicationem*. Et licet ibi Dominus de viro tantum loquatur, eamdem libertatem mulieri non denegat; quia cum par utriuſque ſit obligatio, par debet eſſe & conditio. Dico 1. *Moraliter certum*, non enim ſola ſufficit ſuſpicio. Dico 2. *Culpabile*; nam vir ſeparari non poſſet ab uxore ſua, quæ violenter fuiſſet oppreſſa, nec uxor a viro qui ignoranter cum aliena concubuiſſet. Item divortii locus non eſſet, ſi compars ad adulterium conſenſiſſet, vel ſi offenſam jam remiſiſſet; vel si etiam ex parte ſua adulteraſſet. Dico 3. *Adulterium*, quo nomine intelligitur quælibet completa carnis diviſio cum alia, ſive Perſona cujuslibet

ſexus, ſive beſtia; nec ſufficiunt tactus inhoneſti, vel pollutio alieni aut proprii corporis.

2. Licitum eſt divortium ob ſpirituale adulterium, hæreſim ſcilicet & apoſtaſiam, in quam alter Conjugum incidit: dum nempe periculum eſt, ne compartem ſuam & prolem verbo aut exemplo ad eam pertrahat.

3. Licitum eſt etiam ob grave compartis ſcandalum: v. g. ſi unus Conjugum alterum ad congreſſum ſodomiticum, pollutionem, uſuras, fraudes, &c. cogeret.

4. Licitum eſt ob grave mortis periculum, ex copula aut cohabitatione ortum; ut ſi alter Conjugum morbo laboraret contagioſo, aut in amentiam vel furorem converſus eſſet.

5. Licitum eſt ob notabilem compartis crudelitatem, ſævitiam, aſperitatem, odium implacabile, ex quibus grave damnum timetur.

6. Licitum eſt ex mutuo Conjugum conſenſu, modo nullum adſit incontinentiæ aut alicujus gravis incommodi periculum.

Dixi in reſponſione, *Legitima auctoritate*. Nam licet Conjux a comparte ſua v. gr. adultera, aut hæretica, ſcandaloſa, nociva, &c. poſſit auctoritate propria quoad thorum ſeparari, denegando ei debitum; non poteſt tamen, regulariter loquendo, ab ea ſeparari quoad habitationem, niſi accedente Judicis Eccleſiaſtici ſententia; tum quia nullus in propria cauſa poteſt eſſe ſimul Pars, Judex, & Executor; tum quia hæc ſeparatio ſæpius foret ſcandaloſa, atque temeraria. Dico, *regulariter loquendo*. Nam ſi periculum ſit in mora, graviſſimumque immineat malum, nec ullus ſibi ad Judicem detur acceſſus, pars innocens aſſurgere poterit, non expectata Judicis ſententia.

Circa quæ nonnulla hic breviter ſunt obſervanda. 1. Poſt latam divortii perpetui ſententiam, quæ non fertur niſi propter aut carnale aut ſpiritua-

rituale adulterium, pars innocens ſacros Ordines ſuſcipere & Religionem ingredi poteſt; non autem pars nocens, niſi forte poſt biennium pars innocens nocentem emendatam ſuſcipere noluerit. 2. Utraque parte, poteſt ſolemne divortium, etiam libera remanente, pars innocens nocentem pœnitentem & emendatam recipere non tenetur, niſi forte ex charitate; dum ſcilicet pars nocens in gravi incontinentiæ verſatur periculo; præcipue ſi ſemel & occulte tantum adulteravit. 3. Poſt latam temporalis divortii ſententiam neutet Conjugum ſtatum cum Matrimonio incompoſſibilem aſſumere poteſt; quia partem nocentem ſufficienter emendatam pars innocens tenetur ſuſcipere.

Quær. 5. Utrum quandoque Conjuges ad divortium teneantur?

℟. Teneſi 1. Dum alter Conjugum compartem ſuam ita ad gravia ſcelera protrahit, ut ipſi reſiſtere moraliter ſit impoſſibile, juxta illud Evangelii: *Si oculus tuus ſcandalizat te, erue eum, & projice abs te.* 2. Dum id neceſſarium eſt ad compartis peccatricis emendationem. 3. Dum Conjux pacifice cohabitans cum Conjuge adultera, rationabilem ſuſpicionem ingereret impudicitiis ejus ſe conſentire, aut favere: excipe tamen, niſi graviora incommoda, ut plerumque accidit, ex divortio timeantur.

Quær. 6. Quænam ſit inter Conjuges habitationis obligatio?

℟. Tenentur Conjuges, regulariter loquendo, ſaltem altero exigente, idque ſub gravi peccato, in eadem domo manere, in eadem menſa comedere, & in eodem lecto concumbere. Siquidem Divinum præceptum eſt, ut homo uxori ſuæ adhæreat; uxor viro ſuo. Deinde id neceſſario exigit tum natura contractus Matrimonialis, qui individuam vitæ ſocietatem importat; tum debitum conjugale, alias ab utroque non facile reddendum;

tum

tum denique prolis educatio, ad quam Conj uterque concurrere tenetur.

Dixi 2. *Saltem altero exigente*: quia si conj uterque omnino libere ad separationem aut m fæ, aut thori consentiat, nec ullum aliunde pr pediat inconveniens, licita erit hæc separatio.

Dixi 2. *Regulariter loquendo*; quia ad bre tempus juxta viri prudentis judicium, vir ab u re etiam invita separari potest, recreationis, gotii, &c. gratia; modo nullum adsit incontin tiæ periculum. Immo ex gravi justaque ca pet longum tempus recedere potest, tum prop notabile familiæ emolumentum, tum prop bonum publicum ex mandato Principis, legat nis aut militiæ causa. Quo casu mulier vir sequi non tenetur, nisi ipsemet velit; quia ip est habitationem eligere. Inde tamen non seq tur uxorem teneri virum semper vagantem co tari cum suo gravi incommodo; nisi forte a Matrimonium, vagum futurum præsciverit, aliter conventum fuerit. Quod si vir in exili pulsus fuerit, censent communiter Doctores, u rem ad viri sequelam teneri, quia licet de quentis pœnam subire non teneatur, tenetur men jure maritali viri sui infortunio particip Idem dic de viro erga uxorem, si contingat ip ad domicilii mutationem compelli.

QUA

## QUÆSTIO III.

*Quænam in uſu Matrimonii caſtitas ſervanda.*

*Not.* 1. SEquentia a junioribus Studioſis, circa neceſſitatem & abſque cautela, non eſſe legenda; ne forte ſub ſcientiæ comparandæ prætextu in animum incautum libidinoſa latenter ſubrepat complacentia, quæ ex genere ſuo, ut alibi dictum, peccatum veniale non admittit. Huic igitur lectioni, dum neceſſaria eſt, brevis oratio præmittatur, juxta illud Evangelii: *Vigilate, & orate ne intretis in tentationem.*

*Not.* 2. Circa uſum Matrimonii quatuor hic nobis breviter ſunt exponenda. 1. Quænam ſit tum petendi, tum reddendi conjugale debitum obligatio. 2. Quid ab eo petendo aut reddendo impediat. 3. Quo fine, & 4. Quomodo ſit exercendum, ut Conjuges ab omni culpa ſint immunes. Igitur

Quær. 1. Quandonam Conjuges Conjugale debitum petere, vel reddere teneantur?

R. 1. Ex ſe nulla eſt obligatio debitum conjugale petendi, quia nullus jure ſuo uti tenetur, dum nullum alteri ex non uſu evenit incommodum. Adeſſe tamen poteſt per accidens obligatio ſequentibus caſibus. 1. Dum quis videt aut ſuſpicatur compartem ſuam ad actum conjugalem eſſe inclinatam, & ex verecundia illud exigere non audere; quia tunc adeſt tacita debiti petitio. 2. Dum unus Conjugum advertit in altero incontinentiæ periculum; charitas ſiquidem exigit ut malum ſpirituale proximi avertamus, ſi id ſine gravi noſtro incommodo præſtare poſſimus. 3. Dum prolis generatio valde neceſſaria eſt, vel bono publico, vel paci familiæ.

R. 2. Sub gravi injuſtitiæ peccato tenentur Conjuges ſibi mutuo debitum reddere, dum vel ex-

preſ-

preſſe, vel racite exigitur, niſi aliqua rationabilis cauſa ab eo reddendo excuſet, juxta illud Apoſt. 1. Cor. 7. *Uxori vir debitum reddat, ſimiliter autem & uxor viro.* Idque dictat juſtitia; cum juxta eumdem Apoſtolum *Mulier ſui corporis poteſtatem non habeat, ſed vir; ſimiliter autem & vir &c.* & cum gravis ſit materia, hujus denegatio grave cenſetur peccatum.

Dixi: *Niſi aliqua rationabilis cauſa ab eo reddendo excuſet.* Siquidem Conjux a reddendo debito excuſatur 1. Dum adeo frigide ac remiſſe exigitur, ut exigens facile deneganti acquieſcat, nec ægre denegationem ferat. 2. Dum tempore importuno, nec ſalva debita honeſtate exigitur. 3. Dum in amentia aut ebrietate petitur, nec humano modo exerceri poteſt; niſi forte gravius malum, blaſphemia, notabilis iracundia, aut incontinentia conjugis timeatur. 4. Dum ex redditione debiti proximum ſubeſt vitæ aut graviſſimi morbi periculum. Dico, *proximum*: nam propter remotum, ut ſi mulier ordinarie in partu periclitaretur, ob id a redditione debiti non excuſaretur. 5. Dum nimis frequenter exigitur, ita ut alter Conjux illud reddere ſit impar. Attamen ſi Conjux immoderatis vigiliis, & abſtinentiis ad debitum conjugale impotentem ſe redderet, venialiter ſaltem peccaret. Qui autem vel pollutionibus, vel adulteriis, vel ebrietatibus ad reddendum debitum impotens fieret, præter mollitiei, adulterii, & ebrietatis peccatum, aliud grave injuſtitiæ perpetraret, in Confeſſione aperiendum. 6. Dum Conjugum facultates ad multos alendos filios non ſuppetunt, nec ullum eſt in utroque Conjuge incontinentiæ periculum; modo tamen utriuſque Conjugis accedat conſenſus, alias non.

Quær. 2. Quibus in caſibus conjuges a petitione, vel redditione debiti impediantur?

R. 1. Moraliter certus de nullitate Matrimonii

nii a ſe iniți, debitum conjugale nec petere, nec reddere poteſt. Debetque potius, prout c. *Inquiſ. de ſent. excom.* definitum eſt, mortem & excommunicationis ſententiam ſubire; quia talis copula eſſet fornicaria, proindeque intrinſece mala.

2. Qui Matrimonium inivit, dubitans de Sacramenti validitate, perſeverante dubio, debitum exigere non poteſt; ſed comparti in bona fide exiſtenti reddere tenetur. Quod ſi conjux uterque in dubio nupſerit, neuter debitum exigere aut reddere poteſt; cum tunc utique adeſſet peccandi periculum. Idem dicendum eſt, ſi contractui jam celebrato dubium ſupervenerit, nec poſt adhibitam moralem diligentiam pro veritate indaganda, tolli potuerit; quia, ut alibi dictum eſt, in dubio tutior pars eſt eligenda.

3. Qui poſt initum Matrimonium, uxoris ſuæ in primo, vel in ſecundo gradu conſanguineam cognoſcit, a petitione debiti impeditur, non vero a redditione; quia pars altera ſuo jure abſque ſua culpa privari non poteſt, inquit cap. *Diſcretionem*: niſi forte & ipſa ad hanc inceſtuoſam copulam conſenſerit, quia tunc uterque Conjux eſt in culpa.

4. Qui, extra caſum neceſſitatis, prolem ex propria uxore ſuſceptam baptizat, vel in Baptiſmo aut Confirmatione ſcienter ſuſcipit, ob contractam cognationem ſpiritualem a petitione debiti impeditur, non a redditione ejuſdem; quia peccatum ſuum alteri non debet imputari.

5. Conjux voto caſtitatis obſtrictus, a petitione debiti impeditur; quia promiſſum Deo factum, prout poteſt, ſervare tenetur: poteſt tamen reddere petenti.

6. Conjux ſciens compartem ſuam debitum illicite petere, propter emiſſum caſtitatis votum, aut affinitatem contractam, illud ipſi abſque peccato reddere non poteſt, quia peccato ejus cooperare-

raretur. Aliud est, si malo fine compars debi
peteret; tunc enim absque culpa illud eidem
dere posset. Ratio disparitatis est, quia in pr
casu compars actum conjugalem hic & nunc
te exercere non potest; in secundo vero debite e
cere posset, si vellet. Ideo in hoc casu pari
do ratiocinandum est ac de mutuo postulato
usurario, qui posset, si vellet, modo debito
tuum dare petenti.

7. Conjux sciens compartem suam voto c
tatis aut affinitate ligatam esse, nihilominus
test debitum exigere, tum quia utitur jure s
tum quia nihil petit, quod compars absque
cato ei præstare non possit; cum sic ligatus
bitum exigenti licite reddere possit, ut supe
dictum est.

Quær. 3. Quo fine Matrimonium sit ine
dum, & actus conjugalis sit exercendus, ut C
juges ab omni culpa sint immunes? Hæ duæ q
stiones uniuntur, cum inter se, ut patet, es
tialem connexionem habent. Unde

R. Cum Catechismo Rom. Conc. Trid. par
de Matrim. n. 15. explicante, *Quibus de c
vir & mulier conjungi debeant.*

*Prima est*, inquit, *hæc ipsa diversi sexus n
ræ instinctu expetita societas, mutui auxilii
conciliat . . . Altera est procreationis appetitus:
tam quidem ob eam rem, ut bonorum, & divitia
hæredes relinquantur, quam ut veræ fidei, &
ligionis cultores educentur . . . Tertia est, quæ
primi Parentis lapsum ad alias causas accedit.
Ut scilicet, qui sibi imbecillitatis suæ cons
est, nec carnis pugnam vult ferre, Matrimonii
medio ad vitanda libidinis peccata utatur: de
ista Apostolus scribit*: Propter fornicationem u
quisque suam Uxorem habeat, & unaquæque s
virum: *Ad paulo post, cum docuisset interdum
tionis causa a Matrimonii debito abstinendum
sub*

*ſubjecit*: Et iterum revertimini in idipſum, ne tentet vos Satanas, &c.

*Hæ, igitur ſunt cauſæ, quarum aliquam ſibi proponere quiſque debet, qui pie & religioſe, ut Sanctorum filios decet, nuptias velit contrahere.*

*Quod ſi ad eas cauſas aliæ etiam accedant, quibus homines inducti Matrimonium ineant, atque in habendo Uxoris delectu, hanc illi præponant, ut hæredis relinquendi deſiderium, divitiæ, forma, generis ſplendor, morum ſimilitudo; hujuſmodi ſane rationes damnandæ non ſunt, cum Matrimonii ſanctitati non repugnent: neque enim in Sacris Litteris Jacob Patriarcha reprehenditur, quod Rachaelem, ejus pulchritudine illectus, Liæ prætulerit.*

Ex quibus patet, quantum Doctrina Catechiſmi, quæ dici poteſt Eccleſiæ Doctrina, diſtet a Doctrina Rigoriſtarum, qui nullum finem tum nubendi, tum copulam exercendi legitimum & non peccaminoſum agnoſcunt, quam filiorum procreationem, aut obligationem debitum reddendi comparti illud exigenti, aut ſaltem ad ejuſdem compartis incontinentiam præcavendam. Hinc.

*Reſolv.* Conjuges abſque omni culpa copulari poſſe, non ſolum prolis procreandæ, & incontinentiæ propriæ vitandæ cauſa, ſed & ex affectu, quo vir erga uxorem, & uxor erga virum naturaliter afficitur; modo tamen omnem libidinis deordinationem, & exceſſum excludant. 1. Quia id Catechiſmus ſupracitatus inſinuare videtur, dum primam nubendi cauſam licitam aſſignat *ipſam diverſi ſexus naturæ inſtinctu expetitam ſocietatem*. 2. Quia effectus iſte ex Divo Auguſtino aliiſque Patribus alibi citatis honeſtus eſt ac legitimus, proindeque actus conjugalis ex eo exercitus. 3. Quia, uti etiam inſinuat ſupradictus Catechiſmus, Patriarchæ in Sacris Litteris non reprehenduntur, quo eo maritali ac honeſto affectu

uxo-

uxores cognoverint. 4. Quia hæc amicabilis mixtio nec rationi repugnat, nec ſanctitati ni Matrimonii; quod eſſentialiter amoroſa m & feminæ individua conjunctio eſt ac ſocie Sed de his ſatis ſuperque.

Quær. 4. Quandonam Conjuges peccent in conjugalis exercitio?

R. Multipliciter peccare poſſe, & quidem taliter.

1. Ratione affectus inordinati, ſi nempe jux ita eſſet affectus, ut tunc cum quavis muliere, etiam non ſua, coire vellet, ſi c reret: aut ſic cum ſua cojens, ad aliam, carnaliter amat, affectum ſuum dirigeret. dic de muliere.

2. Ratione loci, ubi copula exercetur: ſi pe in loco ſacro exerceretur, vel coram a qui propter id ad laſciviam graviter accen tur. Idem dicendum eſt de tactibus, bl tiis, ac familiaritatibus laſcivis inter Cor habitis.

3. Ratione modi. 1. Si Conjuges coeant vas naturale, ſive complete in ipſo ſemina ſive incomplete ipſum tantum penetrando, pudendis partibus illud perfricando. 2. Si q modo ſemen humanum extra vas naturale e dant. 3. Si aſpectibus aut tactibus ad coitu diſponendo, pollutionis periculo ſe committ 4. Si quovis modo generationem impediant, poſt copulam defraudare tentaverint. Hæc c graviſſima ſunt contra naturam peccata. 5. coitu mulier ſit incuba, & vir ſuccubus, ſi tere, ſi ſtando, vel modo præpoſtero, licet in vaſe ſtercorio, Conjuges ſe cognoſcant: cenſentur tantum venialia, immo nulla pecc dum ſic agendi adeſt neceſſitas, & nullum ſe extra vas effundendi imminet periculum. I

extra hoc periculum, nullius peccati arguendæ ſunt mulieres, quæ ad vitandas rixas & diſſenſiones, imprecationes, hæc & ſimilia a viris ſuis patiuntur. 6. Tactus, aſpectus, oſcula impudica, ad copulam tunc conſummandam ordinata, citra pollutionis periculum non cenſentur peccaminoſa; quod ſi ad hanc minime ordinentur, aut nullatenus ad ipſam ſpectare cenſeantur, ſalvem venialia ſunt.

4. Ratione damni ex copula orituri, tum ipſis Conjugibus, qui ob ægritudinem ac temperamenti imbecillitatem impotentes ſunt; ut tam crebro petant reddantve debitum; tum prolis conceptæ aut procreandæ, dum ſcilicet copula exercetur cum uxore imprægnata aut menſtruata, ita ut morale adſit periculum abortus aut prolis infirmæ generandæ; quibus in caſibus tunc coeuntes mortaliter peccarent. Sed cum experientia conſtet in utroque caſu nullum, ut plurimum, adeſſe tale periculum, copula cum imprægnata aut menſtruata non cenſetur niſi ad ſummum venialis; immo & ab omni culpa immunis, dum inſtat coeundi rationabilis neceſſitas.

Ubi obiter obſervandum eſt, Pœnitentes, maxime mulieres, his de rebus, citra neceſſitatem, & niſi cum magna cautela eſſe interrogandos; ne vituperetur miniſterium noſtrum, & imbecilles ſcandalum patiantur. Huc accedit, quod curioſæ atque inutiles circa hæc interrogationes a culpa ſæpius graviſſima non ſint immunes, ob libidinoſam, quæ in eis ſubrepit, complacentiam.

Quær. tandem, quænam ſint Matrimonii bona? Concilium Florent. in Decreto unionis, triplex aſſignat bonum Matrimonii. Primum eſt, inquit, Proles ſuſcipienda & educanda ad Cultum Dei: ſecundum eſt Fides, quam unus Conjugum alteri ſervare debet: tertium Indiviſibilitas Matrimo-

monii, propter hoc quod significat indivisibi conjunctionem Christi, & Ecclesiæ. Triplex tem istud bonum triplicem compensat jactura quam vir & mulier in conjunctione patiunt Rationis scilicet minutionem ex vehementi c ctatione ortam, carnis tribulationem, rerum t poralium sollicitudinem. Bonum prolis compe jacturam rationis, bonum fidei compensat ter ralium sollicitudinem, & bonum Sacramenti bulationem carnis.

Porro bonum Sacramenti in tribus consis 1. In Charitate & indissolubilitate Matrimo qua conjunctio Christi cum Ecclesia, & ec mutua charitas repræsentatur. 2. In augm sanctificantis gratiæ. 3. In gratia Sacrament seu in specialibus auxiliis, ad onera Matr nii levius ferenda, eoque debite utendum n sariis.

## CAPUT IV.

### *De Impedimentis Matrimonii.*

*Not.* NOmine impedimenti Matrimonii i ligitur quidquid obstat, ne Matr nium rite celebretur. Dupliciter autem Matr nium non rite celebratur. 1. Dum ejus cele tio iniqua est & peccaminosa. 2. Dum inv est atque irrita. In primo casu impedimen dicitur tantum prohibens aut impediens: ir cundo dicitur dirimens, & irritans.

Ecclesia autem potestate pollere utriusque cii impedimenta statuendi, de fide certum tum ex antiquissima ipsiusmet Ecclesiæ praxi, pro diversis temporibus diversa induxit imp menta, impedientia, & dirimentia, ut vi est apud Controversistas, contra modernos hæ

co

cos; tum ex Trident. Conc. sess. 24. can. 4. anathematizante eum, qui dixerit Ecclesiam hanc potestatem non habere. Nec propterea Ecclesia Sacramenti mutat substantiam, cum hujus Sacramenti materia non sit quilibet viri ac feminæ contractus in ordine ad prolem generandam; sed solus contractus legitimus, id est secundum Ecclesiæ constitutiones initus.

Principes vero sæculares per se loquendo potestatem quidem habent impedimenta Matrimonium dirimentia statuendi, respectu suorum subditorum, ut docent communiter Doctores cum D. Thom. 4. dist. 34. q. unic. art. 2. quatenus scilicet quemlibet contractum civilem legibus suis validare aut invalidare possunt: sed cum ab ævo Ecclesia hanc potestatem sibi reservaverit, statuta ab ipsis impedimenta in foro conscientiæ robur & firmitatem non habent, nisi ab Ecclesiæ usu & auctoritate fuere firmata. Ideo Trid. citat. Can. 12. & cap. 1. anathematizat qui dixerit causas Matrimoniales ad Judices Ecclesiasticos non pertinere.

Hic nobis sigillatim sunt exponenda Matrimonii impedimenta, tum impedientia, tum dirimentia; & investigandum quis ab eis dispensare possit; & quomodo Matrimonium invalidum sit revalidandum. Igitur

Quær. 1. Quot & quænam sint impedimenta Matrimonii impedientia?

℟. Quinque recensentur, hoc versiculo comprehensa.

*Tempora, Mandatum, Votum, Sponsalia, Crimen.*

*Tempora.*

Licitum utique non est quovis tempore nuptias celebrare, a prima scilicet die Adventus usque

ad Epiphaniam, & a Feria quarta Cinerum que ad Octavam Paschæ inclusive. Censent n nulli his temporibus prohibitas tantum esse soli nes nuptias, factas nimirum cum Sacerdotali benedictione & celebri convivio; sed id absque f damento dicitur, cum omnium Ecclesiarum p xis sit contraria.

*Mandatum.*

Dum nempe Ecclesia propter aliquas cat prohibet quasdam, ne ineant Matrimoniun quæ prohibitio semper spectat excommunicatc qui a Sacramentorum usu excluduntur. Temp tamen interdicti non vetitum est Matrimoniun modo absque benedictione & solemnitate ce bretur.

*Votum.*

Id est votum simplex, vel Castitatis servar in sæculo, vel Religionem ingrediendi, vel sac Ordines suscipiendi; vel numquam nubendi. C ca quod notandum est 1. Qui castitatem vovit, postea contrahat Matrimonium, licet teneatur e pso bimestri debitum reddere, numquam tan citra legitimam dispensationem illud exigere p set; quia tenetur, in quantum potest, votum se emissum servare. Quoad cetera vota, Relig nem scilicet ingrediendi, vel sacros Ordines scipiendi, vel numquam nubendi, licet qui emisit, Matrimonium contrahendo mortaliter p cet; debitum tamen & petere & reddere in sterum poterit; quia hæc vota tantum se ext dunt ad abstinendum a contractu Matrimonial & ad servandam castitatem in statu Clericali Religionis. 2. Qui vovit Religionis ingressum, Matrimonium ineat, quandiu illud non consu mavit, manet obligatus, donec consummaveri

qui:

quia adhuc liber eſt ad votum implendum. Secus dicendum eſt de eo, qui vovit Sacros Ordines ſuſcipere: iſte ſiquidem debitum ſtatim petere poteſt ac reddere tenetur, cum per Matrimonium contractum Ordinum ſuſceptio ipſi evaſerit impoſſibilis. 3. Qui hæc vota emiſit, his ſemper ligatus manet, & poſthac caſtitatem ſervare tenebitur, ſi moriatur Conjux, vel adulteretur, vel in Religionis ingreſſum conſentiat; quia tunc in poteſtate ejus eſt, ut votum obſervet.

*Sponſalia.*

Valide contracta, niſi prius legitime fuerint diſſoluta; ut in primo hujus Diſſertationis capite jam expoſuimus.

*Crimen.*

Inceſtus videlicet cum Uxoris conſanguinea, raptus alienæ Sponſæ, Uxoris propriæ interfectio, Sacerdotis occiſio, &c. crimina, quæ olim jure antiquo Matrimonium impediebant; ſed hæc ex conſuetudine contraria, ſcientibus, atque tacite approbantibus Prælatis, fuerunt abrogata.

Quær. 2. Quot & quænam ſint impedimenta Matrimonium dirimentia?

R. Quatuordecim numerantur, his verbis contenta:

*Error, Conditio, Votum, Cognatio, Crimen,*
*Cultus diſparitas, Vis, Ordo, Ligamen,*
*Honeſtas,*
*Affinis, Raptor, ſi Clandeſtinus, & Impos.*

*Error.*

Qui vel circa ſubſtantiam perſonæ, vel circa qualitatem hujus verſatur. Si primum, v. gr. ſi quis ducat Mariam putans eſſe Magdalenam, irritum eſt Matrimonium, qualiſcumque ſit error antecede-

tecedens, vel concomitans, vincibilis aut invincibilis; quia in Matrimonio valide celebrando neceſſario requiritur explicitus formaliſque conſenſus, qui cum errore ſubſiſtere nequit. Si ſecundum, v. g. ſi quis ducat Mariam pauperem, ignobilem, & corruptam, quam exiſtimabat divitem, nobilem & virginem, validum eſt Matrimonium, etiamſi talis error cauſa fuiſſet Matrimonii; quia licet propter hunc errorem involuntarium ſit quoad accidentalia, voluntarium tamen eſt quoad ſubſtantiam.

Ubi tamen obſervandum eſt, quod ſi error qualitatis redundet in ſubſtantiam perſonæ, ut ſi detur ſecundo genita, promiſſa primo-genita, in quam contrahens directe intendat conſentire, invalidum eſt Matrimonium.

*Conditio.*

Servitutis, ſeu ſtatus ſervilis, quo perſona ita alterius dominio ſubjacet, ut ſit illius mancipium. Hæc conditio, dum ab altero contrahentium ignoratur, Matrimonium ex Eccleſiæ ordinatione dirimit: Cap. *Ad Noſtram, de conjugio ſervorum*: & ratio eſt, quia pars libera, quæ jus plenarium ad uſum ſui corporis parti ſervæ tradidit, reciprocum atque perfectum ab ea non recipit; quo fit, ut conſenſus deeſſe cenſeatur. Dixi, *dum ab altero contrahentium ignoratur*: dum enim ſcienter & voluntarie cum mancipio contrahitur, validum eſt Matrimonium; quia volenti ac ſcienti nulla fit injuria. Adde quod, licet tale Matrimonium juri naturæ ſecundum quid ſit contrarium, quatenus mancipium non poteſt facile ac libere ſui corporis poteſtatem tradere; poteſt ramen abſolute, dum ſcilicet non prohibetur a Domino ſuo.

*Votum.*

Solemne, ſeu Profeſſio in Religione approbata Matrimonium dirimit contrahendum, immo & contra-

tractum, modo non conſummatum, ut ſtatutum eſt Cap. unic. *De voto in 6.* Ex quo patet diſcrimen eſſe inter votum ſimplex caſtitatis, & ſolemne, quod iſtud Matrimonium ſequens, non ſolum prohibeat, ſed & invalidet: illud autem prohibeat quidem faciendum, ſed non irritet factum. Excepto tamen, ex novo jure Greg. XIII. Bulla *Aſcendente Domino*, voto ſimplici in Societate Jeſu emiſſo, quod eumdem obtinet effectum, quoad Matrimonium contrahendum, ac votum ſolemne, quamdiu ſaltem profeſſi in Societate manent. Utrum autem impedimentum iſtud juris ſit naturæ, vel Eccleſiaſtici, ſatis perſpicuum eſt juris eſſe Eccleſiaſtici, cum ad hoc ſolo jure votorum ſolemnitas ſit inſtituta.

*Cognatio.*

Quæ triplex dicitur, carnalis ſeu conſanguinitatis; & ſpiritualis, & legalis.

*Cognatio carnalis*, ſeu conſanguinitatis, eſt *vinculum Perſonarum ab eodem propinquo ſtipite carnali propagatione deſcendentium; id eſt, quarum una deſcendit ab altera.* Dicitur *vinculum*, id eſt ſanguinis unitas ſeu conjunctio. Dicitur *Perſonarum*, non Belluarum, inter quas nulla proprie eſt cognatio. Dicitur *ab eodem propinquo*, quia deſcendentes a remoto ſtipite non ſunt conſanguinei. Dicitur *ſtipite*, qui eſt ea Perſona, a qua ceteræ, quæ dicuntur conſanguineæ, originem trahunt, ſive Pater ſit, ſive Mater; cum ambo ad generationem, proindeque ad conſanguitatem concurrant. Dicitur *carnali propagatione*, quæ ad conſanguitatem omnino neceſſaria eſt: ideo Adamus & Eva non erant conſanguinei, quia iſta ab illo per generationem non prodiit. Dicitur *deſcendentium*; quia genitores & geniti, Patres, & Filii vere ſunt conſanguinei, cum unus ab altero deſcendat.

In conſanguitate duæ recenſentur lineæ, ſeu or-

dinatæ perſonarum inter ſe conſanguinearum collectiones. 1. Dicitur *recta*, quam conſtituunt eæ Perſonæ, quarum una ab altera procedit, ſive deſcendendo, dum a genitoribus ad genitos procedituri; ſive aſcendendo, dum a genitis ad genitores fit progreſſus: 2. Dicitur *obliqua*, ſeu tranſverſa aut collateralis, ſecundum quam duo aut plures ab eadem perſona prodeunt, abſque eo quod una procedat ab altera, ut duo fratres, frater & ſoror, conſobrini, &c. In his lineis, quæ per modum ſcalæ concipiuntur, gradus ſunt diverſi. Nomine autem gradu intelligitur diſtantia unius perſonæ ab alia in eadem conſanguinitatis ſcala, ad quos gradus numerandos tres a jure traduntur regulæ.

1. Regula eſt, quod in linea recta tot ſunt gradus quot ſunt Perſonæ, una dempta, nempe ſtipite, a quo dicitur computationis initium. Sic Pater & Filius ſunt in primo gradu, Avus & Nepos in ſecundo, Proavus & Pronepos in tertio, Abavus & Abnepos in quarto. Stipes namque gradum non facit, cum gradus ſit diſtantia unius ab altera; unus autem a ſe ipſo non diſtat.

2. Regula eſt, quod in linea obliqua æquali, quot gradibus Perſonæ diſtant a communi ſtipite, totidem diſtant inter ſe. Sic Fratres & Sorores, cum uno tantum gradu diſtent a Patre ſuo, vel a Matre, uno etiam gradu diſtant inter ſe. Item Patrueles, id eſt Filii duorum Fratrum, & Conſobrini, Filii duarum Sororum, qui a communi ſtipite Avo vel Avia duobus gradibus diſtant, ſunt inter ſe ſecundo gradu, & ſic de ceteris.

3. Regula eſt, quod in linea obliqua ſeu tranſverſali inæquali, quot gradibus Perſona, quæ a ſtipite remotior eſt, ab ipſo diſtat, totidem gradibus ipſæ perſonæ diſtant inter ſe; quia cum Perſonæ propinquitatem inter ſe non habeant niſi ratione

Sti-

Stipitis, non puſſunt inter ſe propius conjungi, quam remotior Perſona ſtipiti conjugatur. Sic in Scriptura ſacra Jacob & Iſmael erant in ſecundo gradu; & Ruben & idem Iſmael in tertio gradu; Jacob a communi ſtipite, ſcilicet Abrahamo Patres Iſmaelis, duobus gradibus diſtabat, & Ruben tribus. Ideo mulier, quæ a communi ſtipite diſtat quinto gradu, & vir qui ab eo diſtat quarto, licite, & abſque diſpenſatione nubere poſſunt; quia nulla eſt inter eos Matrimonium dirimens conſanguinitis.

Conſanguinitas enim Matrimonium non dirimit, niſi ad quartum gradum, & non ultra. Ubi obſervandum eſt, primum gradum cujuslibet lineæ, tum rectæ, tum collateralis, non tantum jure Eccleſiaſtico, ſed & naturali, Matrimonium dirimere: Ipſi namque Gentiles, quorum cor penitus non erat obcœcatum, a Matrimoniis inter Patrem & Filiam, & Fratrem & Sororem ſemper abhorruerunt. Ceteri vero gradus jure tantum Eccleſiaſtico dirimunt Matrimonium, ſaltem in linea collaterali; Dixi *ſaltem*; nam probabilius communiuſque cenſent lineæ rectæ Matrimonium dirimere; ita ut ſi Adam adhuc viveret, nubere minime poſſet, utpote qui Pater ſit omnium mulierum. Ratio eſt, quia nullibi legitur quamcumque ob cauſam Eccleſiam in hoc gradu diſpenſaſſe; horrendum ſiquidem naturæ rationali videtur, quod Avus cum nepte ſua ineat Matrimonium.

*Cognatio legalis*; quæ eſt propinquitas Perſonarum ex adoptione proveniens, Matrimonium dirimit inter adoptantem & adoptatum, legitimos adoptati deſcendentes, uſque ad ſecundum gradum. Adoptio autem eſt Perſonæ extraneæ in Filium vel Filiam, nepotem vel neptem aſſumptio, legitima auctoritate facta. Sed cum hæc nunc temporis apud nos vix umquam locum ha-

non eſt quod in ea exponenda diutius immoremur.

*Cognatio Spiritualis* eſt propinquitas quarumdam Perſonarum ex adminiſtratione vel ſuſceptione Baptismi, aut Confirmationis exſurgens, quæ ex jure Eccleſiaſtico Matrimonium dirimit. Hæc autem propinquitas contrahitur 1. Intra Miniſtrum & Perſonam cui collatum eſt Sacramentum, & illius Patrem & Matrem. 2. Inter Suſceptorem & eum qui ſuſcipitur, necnon illius Patrem & Matrem, non vero inter ipſoſmet Patrinos. Ubi obſervandum eſt 1. Munus Patrini exercens dum Baptiſmi ceremoniæ ſupplentur, hanc cognationem non contrahit, cum tunc Sacramentum non conferatur. 2. Puerum ſuſcipiens in Baptiſmo, abſque ſolemnitate collato, eam cognationem contrahit, ſi vere intendat Patrini munus exercere, & ad hoc ſit deſtinatus, cum tunc vere Sacramentum conferatur, nec ipſam poſtea contrahat dum ſupplentur cæremoniæ ſolemnes. 3. Procurator Patrini hanc cognationem non contrahit, ſed ſolus mundans, quia Procurator ipſius mandantis nomine agit, Perſonamque ejus repræſentat. 4. Secus dicendum eſt de baptizante ex commiſſione, qui non agit vice committentis, ſed vice Chriſti.

Porro ex aliorum Sacramentorum collatione nulla eſt cognatio, quæ matrimonium impediat atque diſſolvat, inquit Bonifac. VIII. Cap. *Quamvis*. Ideo licet omnes, quos in Pœnitentia ſuſcipimus, dicantur Fili noſtri ſpirituales, per Sacramentum Pœnitentiæ, inquit D. Th. Sup. q. 36. ar. 2. ad 8. non contrahitur proprie loquendo ſpiritualis cognatio, quia, inquit S. Doct. gratia non confertur per modum generationis, ſed per modum ſanationis. Per Pœnitentiam tamen contrahitur quoddam fœdus inter mulierem confitentem & Sacerdotem, ac ſi eſſet ſua ſpiritualis Filia;

Filia; unde ſi hæc circumſtantia ſpeciem non mutat, notabiliter ſaltem peccatum aggravat, & in Confeſſione eſt aperienda.

*Crimen.*

Triplex jure Eccleſiaſtico Matrimonium dirimit.

1. Homicidium ſolum, dum nempe ex duorum conſpiratione alterius Conjux occiditur, ut poſtmodum inter eos Matrimonium ineatur: Dixi, *ex duorum conſpiratione*: nec enim ſufficit ut homicidium jam factum approbetur; ſed neceſſario requiritur, ut compars ſuperſtes huic quodammodo vel phyſice, vel moraliter, mandato ſcilicet, vel conſilio cooperetur, data fide poſthac ſimul contrahendi.

2. Adulterium & Homicidium ſimul; quando ſcilicet Adulter, aut Adultera occidit propriam vel Complicis compartem, ex intentione ad Matrimonium cum Adultera aut Adultero perveniendi etiam ſine conſpiratione mutua: modo tamen occiſio ab uno tantum procurata, alteri nota ſit.

3. Adulterium ſolum, dum Adulter & Adultera, vivente alterius Conjuge, fidem ſibi præſtant de Matrimonio poſt Conjugis mortem ineundo: ſive hæc promiſſio Adulterium præcedat, ſive ſubſequatur, ſive hæc promiſſio reciproca fuerit, ſive non, modo a promiſſario ſit acceptata.

*Cultus diſparitas.*

Jure Eccleſiaſtico Matrimonium inter Baptizatum & non Baptizatam, & vice verſa, dirimit. Inter Catholicum autem, & Hæreticam, ordinarie reddit tantummodo Matrimonium illicitum: quia tunc proprie & ſtricte non eſt Cultus diſparitas, cum uterque contrahens per Baptiſmum ad Cultum veri Dei pervenerint. Dixi 1. *Jure Eccle-*

leſtiaſtico: legimus enim in Scriptura nonnullos Patriarchas Uxores duxiſſe Infideles: ideo communiter docetur ſummum Pontificem ab hoc poſſe diſpenſare, ſicut & de facto aliquando diſpenſavit, ut videre eſt apud Auctores. Dixi 2° *Ordinarie*: quia in locis ubi Hæretici paciſice permixti vivunt cum Catholicis, ex diſpenſatione tacita, vel uſu contrario legem abrogante, licitum eſt Matrimonium cum hæretica aut hæretico, modo tamen nullum timeatur ſcandalum, nullumque ſit perverſionis periculum, quod raro abeſſe probat experientia.

*Vis.*

Seu metus gravis injuſte incuſſus ad extorquendum Matrimonium, ut ſuperius explicatum.

*Ordo.*

Non quilibet, ſed tantum Sacer, Matrimonium dirimit, propter votum Caſtitatis annexum, & ex conſtitutione Eccleſiæ, quæ ad Matrimonium contrahendum Clericos ſacro Ordine initiatos inhabiles reddit; adeo ut ſi quis Ordinem ſacrum ſuſcipiens, ignoraret votum caſtitatis ei annexum eſſe, & non intenderet ſe caſtitati obſtringere, eam adhuc ſervare teneretur, nec valide contrahere poſſet. Ratio eſt, quia qui vult ſtatum, cenſetur etiam ea velle, quæ huic ſtatui ſunt annexa. Diſcrimen autem, quod inter majores Ordines intercedit, & Profeſſionem ſolemnem, in eo ſitum eſt, quando Profeſſio ſolemnis diſſolvat Matrimonium, non tantum ſequens, ſed etiam antecedens, modo non ſit conſummatum: Ordines vero majores diſſolvant tantummodo ſequens.

*Ligamen.*

Prioris Conjugii rati, etiam non conſummati, jure non ſolum Eccleſiaſtico, ſed & Divino dirimit

rimit Matrimonium, ut ſupra diximus, dum de Polygamia egimus. Ideo Parochis non licet mulierem cum alio viro conjugere, niſi teſtibus omni exceptione majoribus conſtet de prioris mariti obitu, quantocumque annorum numero hic maritus abſens fuerit, ut ſtatuit Eccleſia Cap. *In præſentia.*

*Honeſtas.*

Publica, quæ eſt propinquitas proveniens ex Sponſalibus validis, & Matrimonio rato, ſive valido, ſive invalido, modo non ſit invalidum reſpectu conſenſus, dirimit Matrimonium ſubſequens uſque ad primum gradum, ſi hæc honeſtas ex Sponſalibus oriatur; & ad quartum incluſive, ſi ex Matrimonio rato. Unde poſt valida Sponſalia nullum eſt Matrimonium cum Patre & Matre, Fratribus aut Sororibus, Filiis aut Filiabus compartis, ſive illegitimi ſint, ſive legitimi. Item poſt Matrimonium contractum clandeſtine aut cum Monacho, aut cum conſanguineo; nullum eſt unquam Matrimonium cum conſanguineis compartis uſque ad quartum gradum. Dixi *unquam*; quia ſemper durat hoc impedimentum, etiam poſt mortem Sponſi aut Sponſæ; idem dic de Sponſalibus validis, licet juſta cauſa fuiſſent diſſoluta.

*Affinitas.*

Sic dicta, quaſi Finium vicinitas, ſeu Sanguinum confinitas, quæ eſt Perſonarum propinquitas orta ex carnali copula inter cognoſcentem, & conſanguineos Perſonæ carnaliter cognitæ, vel e contra; Matrimonium dirimit, ex copula licita ſeu matrimoniali intra quartum gradum, & ex illicita ſeu fornicaria, dumtaxat intra ſecundum, circa quod obſervandum eſt.

1. Stipes in affinitate eſt duplex illa perſona,

### *Raptus.*

Seu *violenta feminæ renitentis de loco in locum abductio*, ex Tridentino Matrimonium dirimit inter Raptorem & Raptam, licet hæc poſt raptum in ipſum Matrimonium conſenſerit; quandiu ipſamet Rapta in poteſtate Raptoris manſerit: nam ſi in loco reddita tuto Raptorem in virum habere conſenſerit, validum erit Matrimonium. Raptor tamen ejuſque complices excommunicationem non reſervatam incurrerunt. Porro ad hoc impedimentum incurrendum non refert, quod raptus factus ſit cauſa libidinis explendæ, vel Matrimonii incundi: quia modo facta fuerit violentia phyſica vel moralis, hic raptus ex Tridentino Matrimonium dirimet. Dixi *violentia moralis*: minis ſcilicet, metu, dolove, non autem precibus importunis tantum, quia tunc mulier ſeducta, non rapta cenſetur.

Utrum autem Raptus, qui ſit conſentiente puella, ſed diſſentientibus Parentibus, verum ſit Raptus Matrimonium dirimens, controvertitur inter Theologos. Probabilius videtur hunc etiam Raptum Matrimonium dirimere: tum quia is veram Raptus rationem habet: tum quia Trident. ſtatuit ſimpliciter, & abſque limitatione Raptum dirimere Matrimonium, quandiu Puella ſub Raptoris poteſtate manet.

Quod ſi autem quis ex mandato alterius mulierem pro eo rapiat, a ſolo mandante, non a mandatario hoc impedimentum contrahitur.

### *Clandeſtinitas.*

Ex novo Tridentini jure Matrimonium dirimit, dum nempe contrahitur ſine aſſiſtentia proprii Sacerdotis, & duorum vel trium teſtium.

Dixi

Dixi *ex novo Tridentini jure*: nam in locis ubi Tridentinum numquam fuit receptum, absque hac solemnitate valide contrahitur Matrimonium; etiam ab eis, qui domicilium habent in loco, ubi receptum est: modo tamen expresse, & in fraudem eo fine ad hunc locum non se contulerint. Qui autem domicilium habentes in loco ubi Tridentinum numquam fuit receptum, ad locum ubi receptum fuit, veniunt; ibi absque hac solemnitate valide Matrimonium contrahere non possunt, quia itinerantes Legibus locorum, ubi versantur, adstricti sunt. Dixi, *ubi Tridentinum numquam fuit receptum*, ut in Anglia; nam si aliquando receptum fuit, ut in Hollandia, &c. Matrimonia inter Catholicos clandestine inita sunt invalida, si absque gravi periculo haberi possit Parochus. Quod si non possit haberi, tunc ex dispensatione Ecclesiæ valida erunt Matrimonia, adhibitis duobus vel tribus testibus. Quoad Hæreticorum Matrimonia, ex tacita Ecclesiæ dispensatione valida sunt coram Ministro hæretico, vel solis testibus celebrata.

Dixi, *Assistentia*; quo nomine intelligitur humana & moralis præsentia, qua Parochus non tantum velut Bestia corpore assistat, sed qua sciat & advertat quid agatur, sive sponte ad assistentiam consenserit, sive adsit invitus, quia sola assistentia ex Concilio requiritur.

Dixi *Proprii Sacerdotis*, id est omnis veri Ordinarii, aut Sacerdotis ab eodem delegati. Qui Ordinarius debet esse habitationis alterutrius contrahentium, nec ad valorem Matrimonii absolute necesse est ut Ordinarius in propria sua Parochia Matrimonio assistat; quia hæc assistentia non est actus Jurisdictionis, saltem contentiosæ, sed voluntariæ; & qui duo habent domicilia, alterutrum Parochum eligere possunt. Vagi vero contrahere debent in loco, ubi versantur. Demum

mum quilibet Ordinarius, etiam ſuſpenſus, & excommunicatus non toleratus, etſi non licite, valide tamen Matrimonio aſſiſtere poteſt; quia hæc aſſiſtentia non eſt actus Juriſdictionis ſtricte, ſed improprie ſumptæ; nec aliud ad validitatem Matrimonii Concilium exigit. Ideo ſi Parochus contra inhibitionem Epiſcopi Matrimonio aſſiſteret, illicitum quidem, ſed validum eſſet.

*Impotentia.*

Quæ eſt *Incapacitas copulam completam & conſummatam exercendi*, multipliciter dividitur. Alia eſt ab intrinſeco, quæ nempe provenit ex nimia ætate, frigiditate, debilitate, aut deficientia neceſſariorum ad copulam: alia ab extrinſeco, quæ provenit ex maleficio, aut hominum malitia & injuria. Item alia eſt perpetua, quæ nonniſi abſque miraculo, vel peccato, vel vitæ periculo eſt vincibilis: alia temporalis, quæ arte medica aut poteſtate Eccleſiæ ſuperari poteſt. Item alia eſt abſoluta, quæ eſt viri inhabilitas ad omnes mulieres, & mulieris ad omnes viros: alia reſpectiva, quæ eſt inhabilitas reſpectu quarumdam tantummodo perſonarum. His poſitis.

Dicendum 1. Impotentiam prævium & perpetuam, ſive alteri Conjugum nota ſit, ſive non, jure non ſolum Eccleſiaſtico, ſed & naturali Matrimonium dirimit, ut expreſſe docet Sixtus V. Bulla *Cum frequenter*, data anno 1587. quia tunc nulla eſt contractus Matrimonialis materia, corpus ſcilicet, non qualecumque, ſed corpus ad congreſſum maritalem aptum. Dixi *prævium*; nam ſi Matrimonio jam contracto adveniat, illud non dirimit; cum debita materia fuerit tradita, verumque proinde fuerit Matrimonium eſſentialiter indiſſolubile.

2. Impotentia temporalis tantum Matrimonium

non

non dirimit; quia tunc corpus ſimpliciter eſt potens ad reddendum debitum; nec ab eo reddendo, niſi ſecundum quid, eſt impeditum; ideoque materia contractus ſimpliciter ſubſiſtit. Quamobrem ſi poſt triennii experimentum, Matrimonium ob impotentiam fuiſſet diſſolutum, ſi deinde appareret ipſam non fuiſſe perpetuam, Conjuges reſtaurari tenerentur, juxta cap. *Accepiſti*, & cap. *Fraternitatis*.

4. Impotentia reſpectiva Matrimonium dirimit, reſpectu quorum illa exiſtit; cum enim Matrimonium ſit contractus inter perſonas determinatas, non dependet a potentia in genere coeundi, ſed a potentia coeundi cum tali perſona.

Circa impotentiam hic caſus plurimos congerunt Caſuiſtæ; ſed cum rariſſime occurrant, minuſque in praxi ſint utiles, brevitatis non ſecus ac modeſtiæ gratia, his ſuperſedere duximus.

Quær. 3. Quis in Matrimonii impedimentis diſpenſare poſſit?

Re. 1. In impedimentis ſolummodo impedientibus, cum ſuis ſubditis diſpenſare poteſt quilibet Epiſcopus. 1. In tempore Feriarum & interdicti ab ipſomet vel ejus inferiore emanati. 2. In mandato a ſeipſo lato. 3. In Sponſalibus, non quidem per ſe poteſt diſpenſare, ſicut nec Papa cum in alterius præjudicium vergeret; ſed per accidens declarando, ut Judex, irrita eſſe, vel diſſolvenda Sponſalia. 4. In voto caſtitatis & Religionis, ſi vovens Matrimonium inivit. Immo cenſent communiter Doctores, omnes Epiſcopos diſpenſare poſſe cum his, qui poſt initum Matrimonium cum Conjuge, affinitatem aut etiam cognationem ſpiritualem contraxerunt, in ordine ad petendum debitum; ſive recurſus ad Summum Pontificem, ſive non, haberi poſſit.

Re. 2. Quoad impedimenta dirimentia: ſi jure naturali & divino Matrimonium dirimant, certum

tum eſt apud omnes, Summum Pontificem in his diſpenſare minime poſſe; cum nullus inferior in lege Superioris diſpenſare valeat, niſi id ſibi fuerit conceſſum. Atqui nullibi legitur, hanc poteſtatem Summo Pontifici fuiſſe conceſſam. Ergo.

In impedimentis autem ſolo jure Eccleſiaſtico Matrimonium dirimentibus, contendunt Doctores ultramontani ſolum Papam diſpenſare poſſe. Sed apud nos communiter docetur, nonnullos Archiepiſcopos, majorumque Sedum Epiſcopos, etiam ex Sum. Pontificum tacito conſenſu, jus, olim omnibus Prælatis commune, ſibi conſervaſſe, a plurimis impedimentis jure Eccleſiaſtico Matrimonium dirimentibus diſpenſandi.

Ceteri autem Epiſcopi, erga quos jus commune præſcriptum eſt, poſſunt tamen in urgente gravique neceſſitate, dum acceſſus ad Summum Pontificem eſt impoſſibilis, id facere quidquid ipſe faceret Summus Pontifex, quia non eſt credibile, ipſum velle ſibi diſpenſationem reſervare cum urgentiſſimo animarum & graviſſimorum inconvenientium periculo: concurrentibus ſequentibus circumſtantiis. 1. Dum Matrimonium jam eſt contractum. 2. Dum bona fides adfuit, & impedimenti ignorantia, ſaltem ex parte unius contrahentium. 3. Dum impedimentum eſt occultum. 4. Dum ſeparatio ſcandaloſa foret. 5. Dum propter paupertatem & locorum diſtantiam, aliudve impedimentum, facilis ad Pontificem non eſt acceſſus. 6. Dum etiam erga divites, inſtat periculum moram non permittens, aut incontinentiæ, aut graviſſimæ infamiæ, aut alterius gravis mali.

Utrum autem Epiſcopi in Matrimonio contrahendo diſpenſare valeant, diſputant Canoniſtæ. Videtur probabilius ob ſupradictam rationem, rarius quidem, ſed ob graviſſimam & inevitabilem neceſſitatem id poſſe; ſi nempe honeſtæ mulieris fa-

fama, prolis legitimatio, graviſſimi ſcandali ac damni evitatio exigat, ut quantocius celebretur Matrimonium cum moribundo, vel cum alio, jam invitatis amicis, paratoque convivio, &c.

Quær. 4. Quomodo Matrimonium invalidum validari debeat?

R. 1. Dum Matrimonium nullum fuit defectu Parochi aut teſtium, neceſſario debet coram ipſis renovari, quia hæc conditio ſemper eſt ad validitatem Matrimonii omnino neceſſaria.

2. Dum Matrimonium fuit nullum defectu utriuſque conſenſus, uterque conſenſum elicere debet, & ipſum ſigno externo manifeſtare, ob ſupradictam rationem.

3. Si nullum fuerit defectu concurſus unius tantum partis, docent communiter Doctores cum D. Thom. & D. Bonav. ſufficere, ut qui non conſenſit, poſtea vere conſentiat, modo alter conſenſum ſuum ſolemniter præſtitum non retractaverit. Probatur hæc reſolutio ex Clement. III. cap. *Ad id, de Sponſal. & Matrim.* definiente, Matrimonium mulieris cum quodam viro contractum, convaluiſſe ſubſequenti cohabitatione ſpontanea per annum habita; & Alexand. III. cap. *Significaſti, de eo qui duxit*: declarante hominem, qui poſt primum Matrimonium, metu gravi initum, ſecundum libere inivit, teneri ad priorem Uxorem reverti, ſi eam carnaliter cognovit; quia hæc copula libere habita, libero conſenſui ſigno exteriori expreſſo æquivalet. Excipe tamen, ſi copulam exercens putaſſet conſenſum, vi extortum, fuiſſe validum; tunc enim per eam Matrimonium non fuiſſet validatum, quia nullus cenſeri poteſt validare velle, quod neſcit invalidum.

4. Quod ſi Matrimonium fuerit nullum propter aliquod dirimens impedimentum, minime ſufficit quod Conjux impedimenti conſcius, poſt obtentam diſpenſationem, ſolus conſenſum renovet; ſed ne-

necessario requiritur utriusque consensus, signo externo expressus, cum primus utriusque fuerit nullus, propter utriusque ad contrahendum inhabilitatem. Hinc

Concluditur, Conjugem impedimenti conscium alterum Conjugem de dirimente impedimento monere teneri, ut simul novum præstent consensum. Ratio est, quia cum propter contrahentium inhabilitatem nullus utriusque fuerit consensus, uterque scire debet quid agat, ut novum consensum vere ac libere præstare censeatur. Nullus siquidem, ut mox dictum est, invalidat quod nescit invalidum, aut ratificare potest quod numquam fuit.

Quod si tamen metus sit vehemens, ne ex detecto impedimento grave oriatur scandalum & incommodum, bonum est consilium, ut Conjux impedimenti conscius, inter conjugales amoris blanditias Conjugem insciam protrahat ad novum de præsenti consensum præstandum, dicens: *ita me felicem habeo, te in conjugem habere, ut te in Virum, vel Uxorem iterum acciperem, si id jam non esset factum; & nunc, quantum ad me spectat, te accipio. Numquid & tu similiter idem facere præsto es? Ineamus igitur & hunc Matrimonium, ut inter nos nova dulcioraque sit omnia, &c.* Sed cavendum est, ut positiva & de præsenti voluntas exprimatur, non simplex velleitas; quia hæc non consensum de novo præstitum exprimeret, sed simplicem approbationem, quæ nulla foret, cum nullus fuerit consensus.

Sed gravior hic urget difficultas: Utrum scilicet opus sit, ut Matrimonii ex impedimento dirimente nullius, instauratio fieri debeat coram Parocho, & testibus. Censent communiter Doctores, id necessario requiri, dum impedimentum est publicum, & plures eum noverunt, vel dum ad forum contentiosum fuit deductum, vel dum

a duo-

a duobus ſufficientibus teſtibus probari poteſt. Sola quæſtio eſt de impedimento occulto; ut ſi quis ante Matrimonium copulam habuiſſet cum jam defuncta ſorore Uxoris ſuæ. Pro ſententia affirmativa, nempe quod iterum requiratur Parochi & teſtium aſſiſtentia, citatur Clemens VIII. Et pro negativa Pius V. Patet ex dictis, Confeſſarium ſecunda, id eſt Pii V. uti poſſe dum vehemens urget metus, ne ex nova adhibita cæremonia grave ſcandalum, & incommodum ſuboriatur; & prima uti debere, dum nullum, aut leve tantum eſt hujuſmodi periculum.

CON-

# BENEDICTI XIV.

## Moralibus Tomi hujus materiis respondentes.

*Quarum nonnullæ integræ relatæ sunt; ex aliquibus vero quæ definita, sive explicata fuere, per summa capita distincte sunt indicata; ac plura ex ejusdem Synodo Diœcesana selecta.*

(N. I. pag. 244.)

CIrca controversiam de Attritione, vel Contritione confessioni præmittenda lege cap. 13. libri VII. laudati operis de Synodo Diœcesana, ubi hujusce quæstionis historia luculenter describitur, eaque præmissa, concluditur.

Cum itaque versemur in quæstione, ab Ecclesia hactenus non definita, jure ac merito Alexander VII. die 5. Maji 1667. sub pœna excommunicationis latæ sententiæ, Sedi Apostolicæ reservatæ, præcepit: *Cum his, & singulis Fidelibus... ut si deinceps de materia Attritionis scribent, vel libros, aut scripturas edent, vel docebunt, vel prædicabunt, vel alio quovis modo pœnitentes, aut scholares, ceteroſque erudient, aut audeant alicujus Theologicæ censuræ, alteriusve infamiæ, aut contumeliæ nota, taxare alterutram sententiam, sive negantem necessitatem aliqualis dilectionis Dei, in præfata Attritione, ex metu gehennæ concepta, quæ hodie inter Scholasticos communior videtur, sive asserentem dictæ dilectionis necessitatem; donec a S. Sede fuerit aliquid hac in re definitum.* Caveant proinde Episcopi, ne in suis Synodis, aut instructione Sacerdotum, quam Synodis quandoque attexunt, aliquid decernant, aut de Attritionis mere servilis ad Sa-

men-

cramentum Pœnitentiæ ſufficientiam, aut de amoris ſaltem initialis neceſſitate. Adhuc quippe ſub Judice lis eſt: adhuc impune pro una, & altera ſententia dimicatur. Paucis ante annis Cardinalis Gottus *Theol. t. 3. in 3. part. D. Th. q. 4. de Contritione, dub. 4. §. 1.* ſententiam propugnavit non requirentem in Pœnitente amorem Dei, ne initialem quidem, ad juſtificationis gratiam in Sacramento Pœnitentiæ aſſequendam. Hac ipſa in Urbe, opera, & cura P. Caroli Jacopi Romilli, Ord. Min. Conventi Generalis Magiſtri, typis recurſum eſt opus Claudii Fraſſen inſcriptum: *Scotus Academicus*; cujus Auctor *tom. 10. pag. 563.* ſtrenue defendit Attritionem ex ſolo meru pœnarum, & gehennæ, atque ex amore concupiſcentiæ, ſeu affectu ſpei, conceptam, modo ſupernaturalis ſit, omnemque excludat voluntatem peccandi, eſſe ſufficientem diſpoſitionem, ad Sacramenti Pœnitentiæ fructum in ſe derivandum. Contra vero Cardinalis Denhoff. Epiſcopus Ceſenatenſis *in ſua inſtructione Paſtorali, de Pœnit. Sacram. p. 33.* aliqualem amorem in Attritione inquirit, ut ſit ſufficiens Sacramenti Pœnitentiæ materia: Franciſcus Maria Campion anno 1698. doctam elucubravit diſſertationem Theologico-Scholaſticam, in qua totis viribus conatus eſt demonſtrare neceſſitatem aliqualis amoris Dei, ſaltem imperfecti, & initialis, ad impetrandam gratiam in Sacramentis, quæ dicuntur *Mortuorum*: & laudatus Petrus Lambertus le Dron, Epiſcopus Porphyrienſis, Apoſtolici Sacrarii Præfectus, cum per Urbem evulgatam vidiſſet diſſertationem, a Bartholomæo Rivio, ejuſdem ſui Auguſtiniani Inſtituti Theologo, exaratam, in qua Auctor decertat pro ſufficientia Attritionis. omnis charitatis expertis, ad valide & cum fructu recipiendum Sacramenta Baptiſmi, & Pœnitentiæ, eidem ſtatim contradictorem ſe præbuit, aliiſque editis diſſertatio-

tionibus, ſan. mem. Clementis XI. nuncupatis, nullum non adhibuit argumentum, quod aptum putaverit ad prædictam opinionem refellendam, contendentes, Attritionem mere ſervilem, ne a Sacramento quidem vires ſortiri, quibus valeat hominem proxime diſponere ad Dei gratiam, vel primo obtinendam, vel amiſſam recuperandam. Hinc recte intulit Berti *Theolog. tom. 7. lib. 34. cap. 5.* nihil hactenus a Sede Apoſtolica de hac quæſtione deciſum, ſed libertatem cuique datam, ex præfatis opinionibus eam eligendi, & docendi, quam maluerit.

Sed non ideo prohibentur Epiſcopi Confeſſarios monere, ut Pœnitentes ad veram & perfectam Contritionem hortentur & excitent: id ſiquidem faciendum ſuadent, etiam præcipui Auctores, qui pro ſufficientia doloris, ex ſolo metu gehennæ, ſteterunt, uti Suarez, Gamachæus, Comitolus, quorum teſtimonia ſupra retulimus. Et quod magis eſt, ita fieri præcipit Rituale Romanum, juſſu Pauli V. editum, Confeſſario injungens, ut audita Pœnitentis Sacramentali Confeſſione, ejuſque peccatis diligenter expenſis, *opportunas correptiones, ac monitiones, prout opus eſſe viderit, paterna charitate adhibeat, & ad dolorem, & Contritionem efficacibus verbis adducere conetur*, cui conſonat Rituale Argentinenſe, editum a Cardinalis de Rhoan *tit. de Pœnit.* §. 1. ubi hæc habentur: *Ceterum Pœnitentes ſuos admonere non ceſſent Confeſſarii, ne ſe putent ſecuros in Sacramenti Pœnitentiæ perceptione, ſi præter Fidei, & Spei actus, non incipiant diligere Deum, tamquam omnis juſtitiæ fontem, ut loquitur ſacroſancta Tridentina Synodus.*

(N. II. pag. 269.)

De Sacramento Pœnitentiæ, quod eſt ad Complices in peccatis, duæ occurrunt SS. D. N.

BE-

BENEDICITI XIV. conſtitutiones. Prior qu
cipit *Supra omnium Eccleſiarum*, extat in Ve
Bullarii pag. 535. Altera cujus initium eſt,
*primum*, habetur Vol. 2. pag. 54. utramqu
poſuit & comentariis illuſtravit V. C. Ludo
Antonius Muratori. Ex quo & regulas Con
riis præſcriptas, & nonnulla, quæ clare Pe
cias Conſtitutiones declarant, excerpſimus,
Authori, qui hac in re ob nimiam brevitate
obſcurus, addidimus.

I. Inquirere nomen Pœnitentis non licet;
que ejus habitationem, aliaſve ejus qualitate
circumſtantias, quæ perſonatum illius dete
ſine ulla rationabili cauſa. Recte reſpondit
dam mulier de ſuo nomine interrogata: N
meum peccatum non eſt. Ob hujuſmodi e
tatem procul dubio peccaret Sacerdos.

II. Non licet Pœnitentibus nomen Con
revelare: ejus enim eſt peccata ſua; non a
accuſare. Peccato non caret, eoque interdum
vi, qui famæ Proximi ſine ulla neceſſitate
hit. Num tu æquo animo ferres, ſi quis infa
tuam alteri proderet? Tu ergo præſta erga ali
quod ab aliis erga te præſtitum cupis.

III. Si quis ſponte, ex ſimplicitate tam
ignorantia, Complicis nomen in Confeſſion
tegit, ut rudibus è vulgo hominibus int
evenit, non peccat. Monendus tamen eſt,
poſterum abſtineat.

IV. Quicumque juſto aliquo titulo ſponte
plicem in Confeſſione revelat, nullum in
peccatum. Juſtus exempli cauſa titulus e
petatur conſilium ad diſrumpendam pravam al
conſuetudinem, ad conſulendum famæ pr
cui minatur inſultum Complex, ſi a pe
deſiſtatur, atquæ aliæ hujuſmodi cauſæ.
eſt enim tutela conſcientiæ, & famæ n
quam alterius.

VI. Nomen Complicis ſibi ſive per ignorantiam, ſive juſto titulo revelatum, ſub ſigillo confeſſionis Sacerdos retinere debet.

VI. Inter Theologos anceps diſputatio eſt, an oblata ſponte a Pœnitente licentia revelandi Complicis, ea uti Confeſſarius poſſit ad correctionem ejuſdem Complicis, atque ad alia officia in utilitatem illius, aut Pœnitentis derivanda. Et quidem tot heic diverſi caſus occurrere poſſunt, in quibus tam prudenter quam imprudenter ejuſmodi licentia uti Confeſſarius poteſt, ut certa ſtatui heic regula nequeat. Sed infra hac de re ſermo recurret.

VII. Ad integritatem confeſſionis licite poteſt, ac debet Sacerdos pœnitentem interrogare de Complice, quum videlicet occurrere poſſit circumſtantia aggravans, & ſpeciem peccati mutans. Neque enim exempli cauſa ſufficit confiteri commiſſum carnale peccatum, ſed ſimul aperiendum eſt, an adulterium, aut ſacrilegium, aut inceſtus interceſſerit.

VIII. Confeſſarius in hoc caſu interrogans, ſi nomen quoque, aut domum, aut alia ſigna exquiret a pœnitente, per quæ ſibi perſona Complicis revelaretur, graviter peccaret. Suo enim debito ſatis pœnitens fecit aperiendo circumſtantiam peccati, & dum cetera rite concurrant, abſolvendus eſt. Ulterior Confeſſarii interrogatio ad peccaminoſam curioſitatem eſt referenda, neque ad eam reſpondere pœnitens tenetur, immo ex complurium Theologorum ſententia peccaret, ſi revelaret, ob præceptum non infamandi proximum.

IX. Ubi ex neceſſitate integritatis confeſſionis pœnitens animadvertit, fieri non poſſe, quin Confeſſarius Complicem cogniturus ſit; puta ſi res fuit cum ſorore, aut uxore fratris: tunc ex ſententia quorumdam gravium Theologorum obligatur ad quærendum, & adeundum alium Confeſſa-

rium, cui ignotus ſit Complex. Verum graves alii Theologi ſentiunt, conſilium hoc eſſe, non vero præceptum.

X. Accidere interdum poteſt, ut adigendus ſit pœnitens ad revelandum Complicem, quum nempe agitur de gravibus malis vitandis, quæ in perniciem Reipublicæ vergere poſſunt: ſicuti accideret, ſi Principis vita periclitaretur, ſi aqua mortifera Populo propinaretur, aut ex farina, cui gypſum mixtum foret, panis publicus conficeretur. Ut impediatur, ſi fieri poteſt, hoc malum, obligatur pœnitens ad exquirendum conſilium Confeſſarii, qui pro ſua prudentia aut per ſe, aut per ipſum pœnitentem remedia conquirat. Niſi revelare velit pœnitens, minime eſt abſolvendus; nam ex lege non minus juſtitiæ, quam charitatis, tenetur ille pro virili curare, ut in tuto ſit publica ſalus. De damno vitando, quod privatæ alicui perſonæ imminere poteſt, non loquor; nam fere ſemper ſuppreſſis Complicum nominibus, conſilium præbere poteſt Sacerdos.

XI. Graviter peccat Confeſſarius, qui aut blandis artibus, aut minis haurire, aut extorquere a pœnitentibus nomina Complicum abſque juſta neceſſitate velit. Gravius etiam delinquit, ſi ob negatam revelationem abſolvere pœnitentem recuſet. Non enim licet infamiam proximi ex legibus Detractionis inveſtigare; neque ad eam prodendam obligatione ulla conſtringitur pœnitens, immo, ſi præciſa neceſſitate revelaret, ex multorum ſententia reum ſe peccati faceret.

XII. Neque gravis peccati reatum effugeret Sacerdos, ſi revelationem Complicis exigeret, ut per operam ſuam correptio, & correctio illius præſtaretur. Nam Confeſſarii munus tantummodo eſt curare vulnera Pœnitentis, non vero aliena; exquirere peccata pœnitentis, non aliena. Neque is tenetur ad eos corripiendos, qui crimina

ſua

ſua ſibi revelare nolunt; immo cavere debet a corripiendo ob ſcandala, quæ inde facile conſequerentur.

Quod attinet ad primam Conſtitutionem: In primis, *inquit*, animadvertendum eſt quod hieic damnatur omnis Confeſſariorum curioſitas, quæ neceſſaria, aut utilis non ſit pœnitentibus: Hoc eſt, eis interdicitur quacumque arte exquirere nomen & habitationem Complicis, & præcipue puniendus dicitur, qui minis, & negata abſolutione notitiam hanc exculpere conetur. Itaque perverſa, & penicioſa decernitur Confeſſariorum illorum praxis, *qui a Pœnitentibus, ſocii hujuſmodi, ſeu Complicis nomen exquirunt; atque ad illud ſibi revelandum non inducere modo ſuadendo conantur, ſed, quod deteſtabilius eſt, denuntiata quoque, niſi revelent, abſolutionis Sacramentalis negatione, prorſus adigunt, atque compellunt; immo etiam Complicis ejuſdem neduni nomen, ſed habitationis inſuper locum ſibi exigunt deſignari.* Quibus verbis praxis eorum proſcribitur, qui nullum juſtum titulum habentes Complicum nomina ſcrutantur, & indebitæ curioſitatis reos ſe ſtatuunt. Neque enim Sapientiſſimus Pontifex damnationem ad eos caſus extendit, in quibus aut integritas confeſſionis, aut publica neceſſitas, aut pœnitentis ipſius conſcientia exigit, ut pœnitens Complicem revelet. Quod quum accidit, ipſum pœnitentem hortari, interdum etiam adigere poteſt ad revelandum, omiſſo tamen nomine, & loco habitationis, ſi fieri poteſt. At quandoquidem nonnulli cauſam hanc interrogandi de Complice præfetebant; videlicet ut ipſum poſtea corriperent, atque in ejus utilitatem hujuſmodi revelatione uterentur: caſum hunc præcipue diſertis verbis ſe damnare Pontifex profitetur, ita ut in poſterum, quamvis etiam non palliata, ſed in bonum finem excogitata ex cauſa adhiberetur, nulli

Confeſſario liceat inquirere nomina Complicum Sunt verba Decreti : *Quam illi quidem intolera dam imprudentiam, tum procurandæ Complicis co rectionis, aliorumque bonorum colligendorum ſpecio prætextu colorare : tum emendicatis quibuſdam D ctorum opinionibus defendere non dubitant .* Quc ſane decretum, quam juſtum ſit, & Diſciplir Eccleſiaſticæ conforme, nemo non intelligit. E quando enim ſine neceſſitate infamiam alteri occultam prodere fas eſt ? Immo aut incaute aut malitioſe detectam reſarcire, ſi per nos cor mode licet, jubemur. Deinde quum Sacerdot teneantur monere pœnitentes, ut ſua quidem non vero aliena crimina confiteantur : quid quod ipſi poſtea ſibi poteſtatem uſurpent extorque di a pœnitentibus aliorum peccata ? At hoc, i quiunt, recta intentione exquirimus, atque Complicem quoque ad meliorem frugem deduc mus. Sed nulla tibi eſt obligatio corripiendi, n quos confeſſio reos in ſacro Tribunali ſtatuit. Co tra tibi obligatio eſt ſervandi ſub ſigillo, quæ bi in confeſſione revelantur, ſive pœnitentis ſin ſive aliorum. Præterea indebitis hiſce interrog tionibus pœnitentes a Sacramento deterres, du eos prodere cogis id, quod ipſi a detegendo a horrent, neque ulla obligatione detegendi tene tur. Gravioris etiam peccati reum te facis; qu tieſcumque ob negatam Complicis revelatione pœnitenti abſolutionem negas. Dum ſuo mune functus fuerit pœnitens, & peccata ſua deteſtatu eadem plene fuerit confeſſus cum propoſito n peccandi, neque agitur de recidivis, de occaſi ne proxima, aut de pœnientibus diu in cæ gravium peccatorum volutatis; id juris ad abſ lutionem pœnitens acquiſivit, ut ſine gravi inj ria, & contemptu, atque abuſu Sacramenti Co feſſarius denegare eamdem non poſſit. Ad ha quiſquis ex notitia Complicis in confeſſione hab

ta,

ta, quamquam licentia pœnitentis confisus, Complicem corrigendum suscipit, scandalis non paucis obnoxius est; indignatur enim quicumque secreta sua crimina detecta videt, suæque famæ vulnus inustum apud Confessarium. In querelas igitur is facile erumpat, & sigillum Sacramentale fractum suspicetur, & Sacerdotem veluti proditorem tanti Sacramenti exclamet: quæ certe in perniciem Religionis vergere possunt. At quanto graviores tragœdias excitabit Complex, ubi resciverit, non sponte factam, sed extortam fuisse in confessione revelationem sui nominis, atque licentiam revelatione illa utendi? Nam sine hac licentia fracti sigilli reus foret Sacerdos. Igitur intolerandæ imprudentiæ, & zeli sine scientia facinus heic habes. Denique tametsi sine dolo malo, & in bonum tantummodo finem Complicis nomen Confessarius detegendum curaret, fieri non posset, quin hominum malitia id tentatum arbitraretur in pravum aliquem finem: ex quo non levis invidia, atque odium adversus ipsum Sacramentum conciperetur. Et sane quum inter tot probos Ecclesiæ Ministros vix fieri possit, quin aliquis interdum a concupiscentia in transversum agatur, & in venenum convertere possit, quæ Christus Dominus in medicinam nostram instituit; satis ejusmodi periculum foret, ut omnino præcluderetur in posterum aditus ejusmodi interrogationibus, minime ad Sacramentum necessariis, & tam facile scandala, & perniciem animarum parituris. Propterea sapientissime Summus Pontifex in Decretali addidit: *Nec fieri potuit, quin ea de causa & oblocutiones, & scandala, & non Ministerium tantum, sed sacri etiam ipsius ministerii odium, & animorum ingens perturbatio in populo fideli exorta sint.*

In alterius vero Const. comment. iterum, *ait*,

configitur quæcumque perversa Confessariorum curiositas, ac præcipue negantium absolutionem renuentibus revelare Complicem; eosque a Sacra Inquisitione puniendos S. Sedes decernit: *Dummodo tamen hujusmodi interrogandi, ac denegandi actus talibus circumstantiis conjunctus sit ac convestitus, qua sic agentem Confessarium de adhæsione ad prædictam reprobatam praxim, tamquam ad licitam, vel alio quovis modo de prava credulitate suspectum reddant.* Si ejusmodi circumstantiæ desint, deferendus non erit ille ad Inquisitionis Tribunal. Non desunt sane Confessarii simplicitate laborantes, qui melius conscientiæ pœnitentis se prospicere posse aliquando putent, si nomen Complicis audiant. Fieri potest, ut nulla malitiæ suspicio in ipsos cadat; quod non difficile prospici potest. Quum exempli causa de furtis, de fraudibus, de periclitante alicujus honore agitur: tunc bonus Confessarius (imprudenter fortasse) exquirat Complicis nomen, consilium, ut sibi videtur, opportunum daturus. Hic tamen illius error ad cognitionem inquisitorum non pertinet. Idem infra aliis diversis verbis inculcat Pontifex inquiens: *Quod si Confessarii de Complicis nomine perperam interrogantis, absolutionemque, ni sibi detegatur, denegantis actum contingat ejusmodi esse, ut quamvis imprudens, & malus, simplex tamen quidam, & nudus actus fuerit, ideat iis circumstantiis destitutus, quæ de prava credulitate, vel de mala adhæsione ad praxim in sæpe dicto nostro Brevi reprobatam, tamquam ad licitam, eumdem Confessarium suspectum reddant: tunc istiusmodi delictum, neque denuntiationis oneri, neque Sancti Officii prædicti cognitioni subjectum erit: sed de illo cognoscere, atque in delinquentem Confessarium per suspensionem ab audiendis confessionibus, vel alias canonicas, & legitimas pœnas pro delicti modo*

ani-

*animadvertere ad locorum ordinarios in ſua cujuſcumque diœceſi omnino ſpectabit.* Rectiſſime hæc: nam ea, quæ errorem, aut ſuſpicionem erroris contra Dogmata Fidei, aut opiniones ſcandaloſas, & pernicioſas a Sede Apoſtolica damnatas, minime continent, ab Inquiſitionis juriſdictione ſemota ſunt. Æquiſſimus vero Pontifex nihil voluit imminutum de ordinaria juriſdictione Epiſcoporum, quam tamen læſam ab Inquiſitore Generali iidem, ut ſupra vidimus, expoſtulabant.

Itaque ſi quis cognoverit, quemquam e Confeſſariis deliquiſſe modis in Pontificio Brevi expreſſis, obligatur ad illum denuntiandum Sancto Officio intra terminum triginta dierum, tunc ſolum quum circumſtantiæ occurrunt, quæ indicent, aut juſtæ ſuſpicioni locum præbeant, Confeſſarium credere licitam hujuſmodi interrogationem, quæ intrinſece illicita ſit, niſi ſorte legitima aliqua cauſa interrogandi, de qua ſupra egimus, intercedat. Ad hoc etiam, ut denuntiatio facienda ſit Sancto Officio, exigit Pontifex ut Confeſſarius Sacramentalem abſolutionem pœnitenti denegarit. Exceptionem alteram nunc accipe, *Verumtamen*, ſubdit Pontifex, *ab hujuſmodi onere juſtis de cauſis eximi volumus, & eximimus perſonam ipſam Pœnitentem dumtaxat in cauſa propria, ideſt in caſu, quo ſuum peccatum confitens, a Confeſſario adigatur ad ſibi manifeſtandum nomen Complicis in eodem peccato: tunc enim pœnitentem hujuſmodi ab obligatione eumdem Confeſſarium denuntiandi liberamus. Sed quando aliunde, quam ex propria, ut dictum eſt, confeſſione, noverit, Confeſſarium aliquo ex ſuperius enumeratis, & Sancto Officio denuntiandis modis deliquiſſe; tunc eum & ipſe denuntiare ex iſta aliunde habita notitia tenetur.*

(N. III. pag. 276.)

Sacramentum Pœnitentiæ, quam ſecundam poſt naufragium deperditæ gratiæ tabulam Sancti Patres apte nuncuparunt. Nos licet immerentes ad univerſi Dominici Gregis curam ſuperna diſpoſitione vocati omne ſtudium, & Paſtoralem ſollicitudinem adhibere tenemur, ne quod poſt amiſſam Baptiſmi innocentiam datum eſt Divina benignitate perfugium, per Dæmonum fraudem, & hominum Dei beneficiis perverſe utentium malitiam naufragis, ac miſeris peccatoribus luctuoſum evadat exitium, & quod in ſalutem, & curationem Animarum a Deo, qui dives eſt in miſericordia, inſtitutum eſt, execrabili ſceleſtorum quorumdam Sacerdotum improbitate in earum perniciem, atque interitum vertatur.

Dudum quidem a fel. rec. Gregor. Papa XV. Prædeceſſore Noſtro per ſuas litteras in forma Brevium ſub datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem die xxx. Auguſti MDCXXII. Pontificatus ſui anno ſecundo, ſapienter proviſum fuit contra quoſcumque Sacerdotes audiendis Confeſſionibus deputatos, ad turpia & inhoneſta ſollicitantes. Et deinceps ſucceſſivis temporibus ad earum literarum interpretationem, ac declarationem plura ſubinde a Congregatione Vener. Fratrum Noſtrorum S. R. E. Cardinalium Inquiſitorum ſub die xi. menſis Februarii anno Domini MDCLXI. prodierunt decreta, & a rec. mem. Alexandro PP. VII. pariter Prædeceſſore Noſtro in Congregatione Generali Sanctæ Romanæ Univerſalis Inquiſitionis die xxiv. Septembr. MDCLXV. coram eo habita, inter alias ab Evangelica veritate, & Sanctorum Patrum doctrina alienas, & diſſonas propoſitiones, ſexta videlicet & ſeptima, huc revocandæ, damnatæ, & prohibitæ fuerunt; Nos itaque mature per-

perpendentes quanti momenti ſit ad æternam animarum ſalùtem ea ubique exacte obſervari, & quanti ad infirmas Oves curandas, & decoreu S. Eccleſiæ Dei retinendum interſit, ne aliqui Sacerdotes Pœnitentiæ Sacramento nefarie abutentes Pœnitentibus pro curatione vulnus, pro pane lapidem, pro piſce ſerpentem, pro medicina venenum porrigant, ſed animo ſecum recolentes, ſe a Chriſto Domino Præſides, & Judices animarum conſtitutos, ea ſanctitate, quæ ſublimitati ac dignitati muneris convenit, tam venerandum Sacramentum adminiſtrent. Motu proprio, & ex certa ſcientia, ac matura deliberatione Noſtras præfatas literas hujuſmodi, ac omnia, & ſingula decreta prædicta ad illarum interpretationem, & declarationem emanata Apoſtolica auctoritate tenore præſentium approbamus, & confirmamus, illiſque omnibus, & ſingulis inviolabilis Apoſtolicæ firmitatis robur adjicimus: Atque etiam, quatenus opus ſit, denuo committimus, & mandamus omnibus hæreticæ pravitatis Inquiſitoribus, & Locorum Ordinariis omnium Regnorum, Provinciarum, Civitatum, Dominiorum, & Locorum univerſi Orbis Chriſtiani in ſuis reſpective Diœceſibus, ut diligenter omnique humano reſpectu poſtpoſito inquirant, & procedant contra omnes, & ſingulos Sacerdotes tam Sæculares, quam Regulares quomodolibet exemptos, ac Sedi Apoſtolicæ immediate ſubjectos quorumcumque Ordinum, Inſtitutorum, Societatum, & Congregationum, & cujuſcumque Dignitatis, & Præeminentiæ, aut quovis Privilegio, & indulto munitos, qui aliquem Pœnitentem, quæcumque perſona illa ſit vel in actu Sacramentalis Confeſſionis, vel ante, vel immediate poſt Confeſſionem, vel occaſione, aut prætextu Confeſſionis, vel etiam extra occaſionem Confeſſionis in Confeſſionali, ſive in alio loco ad Con-

ſeſſiones audiendas deſtinato, aut electo cum ſimulatione audiendi ibidem Confeſſionem ad inhoneſta, & turpia ſollicitare, vel provocare, ſive verbis, ſive ſignis, ſive nutibus, ſive tactu, ſive per ſcripturam, aut tunc, aut poſt legendam tentaverint, aut cum eis illicitos, & inhoneſtos ſermones, vel tractatus temerario auſu habuerint; Et quos in aliquo ex hujuſmodi nefariis exceſſibus culpabiles repererint, in eos pro criminum qualitate, & circumſtantiis ſevere animadvertant per condignas pœnas juxta memoratam Gregorii Prædeceſſoris Noſtri Conſtitutionem, quam hic de verbo ad verbum pro inſerta haberi volumus; Dantes etiam, ſi opus ſit, & rurſus concedentes, facultatem, ne delictum tam enorme, & Eccleſiæ Dei injurioſum remaneat ob probationum defectum impunitum, jam alias in præfata Conſtitutione tributam procedendi cum Teſtibus etiam ſingularibus, dummodo præſumptiones, indicia, & alia adminicula concurrant.

Meminerint præterea omnes, & ſinguli Sacerdotes ad Confeſſiones audiendas conſtituti teneri ſe, ac obligari ſuos Pœnitentes, quos noverint fuiſſe ab aliis, ut ſupra, ſollicitatos, ſedulo monere juxta occurrentium caſuum circumſtantia de obligatione denunciandi Inquiſitoribus, ſive Locorum Ordinariis prædictis perſonam, quæ ſollicitationem commiſerit, etiamſi Sacerdos ſit, qui juriſdictione ad abſolutionem valide impertiendam careat, aut ſollicitatio inter Confeſſarium, & Pœnitentem mutua fuerit, ſive ſollicitationi Pœnitens conſenſerit, ſive conſenſum minime præſtiterit, vel longum tempus poſt ipſam ſollicitationem jam effluxerit, aut ſollicitatio a Confeſſario, non pro ſe ipſo, ſed pro alia perſona peracta fuerit. Caveant inſuper diligenter Confeſſarii, ne Pœnitentibus, quos noverint jam ab alio ſollici-

licitatos, ſacramentalem abſolutionem impertiant, niſi prius denuntiationem prædictam ad effectum perducentes delinquentem indicaverint competenti Judici, vel ſaltem ſe, cum primum poterunt, delaturos ſpondeant, ac promittant.

Et quoniam improbi quidam homines reperiuntur, qui vel odio, vel ira, vel alia indigna cauſa commoti, vel aliorum impiis ſuaſionibus, aut promiſſis, aut blanditiis, aut minis, aut alio quovis modo incitati, tremendo Dei judicio poſthabito, & Eccleſiæ auctoritate contempta, innoxios Sacerdotes apud Eccleſiaſticos judices falſo ſollicitationis inſimulant: Ut igitur tam nefaria audacia, & tam deteſtabile facinus metu magnitudinis pœnæ coerceatur, quæcumque perſona, quæ execrabili hujuſmodi flagitio ſe inquinaverit, vel per ſeipſum innocentes Confeſſarios impie calumniando, vel ſceleſte procurando ut id ab aliis fiat, a quocumque Sacerdote quovis privilegio, auctoritate, & dignitate munito, præterquam a Nobis, Noſtriſque Succeſſoribus, niſi in fine vitæ, & excepto mortis articulo, ſpe abſolutionis obtinendæ, quam Nobis, & Succeſſoribus prædictis reſervamus, perpetuo careat.

Demum magnopere cupientes a Sacerdotalis Judicii & Sacri Tribunalis ſanctitate omnem turpitudinis occaſionem, & Sacramentorum contemptum, & Eccleſiæ injuriam longe ſummovere, & tam exitioſa hujuſmodi mala prorſus eliminare, & quantum in Domino poſſumus, animarum periculis occurrere, quas ſacrilegi quidam Dæmonis potius, quam Dei Miniſtri, loco eas per Sacramentum Creatori ſuo, ac Noſtro reconciliandi, majori peccatorum mole onerantes in profundum iniquitatis barathrum nefarie ſubmergunt; nonnullorum Venerabilium Fratrum Noſtrorum S. R. E.

Cardinalium, & aliquorum in Theologia Magistrorum consilio desuper adhibito, accedentibus quoque iteratis plurium Episcoporum supplicationibus, hac nostra in perpetuum valitura sanctione, quemadmodum a pluribus Episcopis per Synodales suas Constitutiones jam factum esse novimus, omnibus & singulis Sacerdotibus, tam Sæcularibus quam Regularibus cujuscumque Ordinis, ac Dignitatis, etsi alioquin ad Confessiones excipiendas approbatis, & quovis Privilegio, & Indulto, etiam speciali expressione, & specialissima nota, & mentione digno suffultis, Auctoritate Apostolica, & Nostræ Potestatis plenitudine interdicimus, & prohibemus, ne aliquis eorum extra casum extremæ necessitatis, nimirum in ipsius mortis articulo, & deficiente tunc quocumque alio Sacerdote, qui Confessarii munus obire possit, Confessionem Sacramentalem personæ complicis in peccato turpi, atque inhonesto contra sextum Decalogi Præceptum commisso excipere audeat, sublata propterea illi ipso jure quacumque auctoritate, & jurisdictione ad qualemcumque personam ab hujusmodi culpa absolvendam, adeo quidem, ut absolutio, si quam impertierit, nulla, atque irrita omnino sit, tamquam impertita a Sacerdote, qui jurisdictione, ac facultate ad valide absolvendum necessarie privatus existit, quam ei per præsentes has nostras adimere intendimus. Et nihilominus si quis Confessarius secus facere ausus fuerit, majoris quoque excommunicationis pœnam, a qua absolvendi potestatem Nobis solis, Nostrisque Successoribus dumtaxat reservamus, ipso facto incurrat: Declarantes etiam, & decernentes, quod nec etiam in vim cujuscumque Jubilæi, aut etiam Bullæ, quæ appellatur Cruciatæ Sanctæ, aut alterius

cu-

cujuslibet Indulti Confessionem dicti complicis hujusmodi quisquam valeat excipere, eique sacramentalem absolutionem elargiri; cum ad hunc effectum, & in hoc casu nullus Confessarius, utpote qui in hujusmodi peccati, & Pœnitentis genere jurisdictione, ut præfertur, careat, & absolvendi facultate a Nobis privatus existat, habendus sit pro Confessario legitimo, & approbato. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, præsertim quæ nuncupantur Cruciatæ Sanctæ, vel Jubilæi Universalis, & plenarii, necnon quibusvis Ecclesiarum, & Monasteriorum, & Ordinum quorumlibet, quorum, ipsi Sacerdotes fuerint, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, Statutis, & Consuetudinibus, Privilegiis quoque, indultis, & Literis Apostolicis sub quibuscumque tenoribus, & formis, ac cum quibusvis clausulis, & decretis, etiam motu proprio, aut alias quomodolibet concessis, etiam iteratis vicibus approbatis, & innovatis. Quibus omnibus eorum tenores præsentibus pro expressis habentes hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, ceterisque contrariis quibusqumque.

Volumus demum, ac præcipimus, ut omnes Locorum Ordinarii, tam præsentes, quam futuri pro tempore existentes in approbatione Confessariorum tam prædictam Constitutionem Greg. Prædecessoris, quam præsentem hanc Nostram ab omnibus Sacerdotibus approbandis attente legi, & accurate observari curent, moneantque eos in Domino, atque hortentur, ut Sacrum Ministerium ipsorum fidei commissum summa animi innocentia, morum puritate, judicii integritate peragant, exhibeantque semetipsos ut Ministros Christi, & Dispensatores Mysteriorum Dei. Memores præterea sint, se locum tenere, ac vices obire Summi atque æterni Sacerdotis, qui Sanctus, inno-

cens,

gens, impollutus, per Spiritum Sanctum semetipsum obtulit immaculatum Deo, ut emundaret conscientiam nostram ab operibus mortuis ad serviendum Deo viventi. Sedulo igitur studeant, diligenterque caveant, ne quærentibus & pulsantibus eorum culpa Cœlum claudatur, ne deperditæ Oves ad Ovile Dominicum redire properantes, eorum manibus ferarum dentibus dilaniandæ tradantur, ne Prodigi Filii, egentes, & saucii, ad cœlestem Patrem revertentes nefaria eorum improbitate gravioribus peccatorum vulneribus, dum adhuc in via sunt, confodiantur.

Ut autem præsentes Literæ ad omnium notitiam facilius deveniant, & nemo illarum ignorantiam allegare valeat, volumus illas, seu earum exempla ad valvas Ecclesiæ Lateranensis, & Basilicæ Principis Apostolorum, nec non Cancellatiæ Apostolicæ Curiæque Generalis in Monte Citatorio, ac in Acie Campi Floræ de Urbe, ut moris est, affigi, & publicari, sicque publicatas, & affixas omnes, & singulos, quos illæ concernunt, perinde arctare, & afficere, ac si unicuique eorum nominatim & personaliter intimatæ fuissent, utque ipsarum præsentium Literarum transumptis, seu exemplis etiam impressis manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo alicujus Personæ in Ecclesiastica Dignitate constitutæ munitis eadem prorsus fides tam in judicio, quam extra illud ubique adhibeatur, quæ ipsis præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Nulli ergo omnino hominum liceat paginam hanc Nostræ voluntatis, sanctionis, præcepti, mandati, & derogationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Romæ apud Sanctam

Ma-

Mariam Majorem Anno Incarnationis Dominicæ milleſimo ſeptingenteſimo quadrageſimo primo Kal. Junii Pontificatus Noſtri Anno primo.

VISA DE CURIA.

X. Sub Datarius.

N. Antonellus.

Pro D. Card. Paſſioneo.

Cajetanus Amatus.

J. B. Eugenius.

Loco ✠ Plumbi.

*Regiſtrata in Secretaria Brevium.*

*Anno a Nativitate Domini Noſtri Jeſu Chriſti, milleſimo ſeptingenteſimo quadrageſimo primo, Indictione quartâ, die vero decimaſexta Junii. Pontificatus Sanctiſſimi in Chriſto Patris, & Domini Noſtri Domini* BENEDICTI *Divina Providentia Papæ XIV. Anno Primo, ſupradicta Conſtitutio affixa, & publicata fuit ad valvas Baſilicæ Lateranenſis, & Principis Apoſtolorum, Cancellariæ Apoſtolicæ, Curiæ generalis in Monte Citatorio, in Acie Campi Floræ, ac in aliis Locis ſolitis, & conſuetis Urbis per me Petrum Riglum Apoſt. Curs.*

Sebaſtianus Amadori Magn. Curs.

APoſtolici muneris partes in procuranda præcipue rerum ſacrarum pura illibataque penitus adminiſtratione verſari debere probe intelligentes,

tes, non modo & aſſiduis hortationibus, & juſta, ubi res poſtulat, legum ſeveritate, ut ab Eccleſiaſticis quibuſque Miniſtris ſancta ſancte tractentur, quantum cum Domino poſſumus, providere ſtudemus; verum etiam leges ipſas, ne forte ſiniſtris interpretationibus in alterutram extremam partem, aut immoderati rigoris, aut deteſtabilis laxitatis perperam detorqueantur, opportune communire ac roborare, pro earumdem tuendo vigore, cum occaſio popoſcerit, non prætermittimus. Sane cum Nos alias per quamdam noſtram Conſtitutionem, cujus initium eſt: *Sacramentum Pœnitentiæ*: Anno Incarnationis Dominicæ milleſimo ſeptingenteſimo quadrageſimo primo Kalendis Junii Pontificatus Noſtri Anno primo edidimus omnibus & ſingulis Sacerdotibus tam ſæcularibus, quam regularibus interdiximus, & prohibuimus, ne aliquibus eorum, extra caſum extremæ neceſſitatis, nimirum in ipſius mortis articulo, & deficiente tunc quocumque alio Sacerdote, qui Confeſſarii munus obire poſſit, Confeſſionem Sacramentalem perſonæ complicis in peccato turpi atque inhoneſto, contra ſextum Decalogi præceptum commiſſo excipere auderet; Ita ut abſolutio, ſi quam impertiviſſet, nulla atque irrita omnino eſſet, tamquam impertita a Sacerdote, qui juriſdictione, & facultate ad valide abſolvendum neceſſaria ipſi per Nos vigore ejuſdem conſtitutionis adempta privatus exiſteret, & alias prout in memorata Conſtitutione, cujus tenorem præſentibus pro plene & ſufficienter expreſſo & inſerto haberi volumus, uberius dicitur contineri. Cum Nos ſubinde ſuper ea dictæ Conſtitutionis parte, quæ mortis articulum reſpicit, dubitationes quasdam exortas fuiſſe accepimus, quarum reſolutionem privato cujusque judicio relinquendam minime exiſtimamus, ne Lex incertis conjecturis & opinionibus

bus jactata in ſenſus a mente Noſtra alienos forſitan diſtrahatur, ejuſque vigor paulatim langueat, atque enervetur. Hinc eſt, quod Nos omnem dubitandi rationem, quantum cum Domino poſſumus, de medio auferre cupientes, motu proprio, ac ex certa ſcientia, & matura delibrratione noſtris, deque apoſtolicæ poteſtatis plenitudine memoratam Conſtitutionem noſtram cum omnibus, & ſingulis in ea contentis tenore præſentium, quatenus opus ſit, confirmamus, illamque integre, penitus, & omnino, atque ab illis, ad quos ſpectat, & pro tempore quandocumque ſpectabit, inviolabiliter, & inconcuſſe obſervari præcipimus, & mandamus. Præterea habita ſuper his cum Venerabili Fratre Noſtro Vincentio Epiſcopo Prænestino Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinali Petra nuncupato Pœnitentiario Noſtro Majori, ac dilectis Filiis Officii Pœnitentiariæ Apoſtolicæ Miniſtris, qui rem juſſu Noſtro mature perpenderunt, deliberatione, motu, ſcientia, & poteſtatis plenitudine paribus edicimus, ac declaramus, eadem Conſtitutione ſingulis, ut ſupra, Sacerdotibus, quemadmodum interdictum non eſt in mortis articulo perſonam in prædicto turpi peccato complicem confitentem audire, atque ab hujuſmodi quoque culpa rite contritam abſolvere, deficiente tunc quocumque alio Sacerdote, qui Confeſſarii munus obire poſſit, ita interdici reipſa & prohiberi prædicto modo tunc audire & abſolvere, ut ſi alius aliquis Sacerdos non defuerit, etiamſi forte alius ſimplex tantummodo Sacerdos fuerit, ſive alias ad confeſſiones audiendas non approbatus, poſſit nihilominus ipſe Sacerdos ſimplex confeſſionem excipere ac abſolutionem impertiri. Porro, ſi caſus urgentis qualitas, & concurrentes circumſtantiæ, quæ vitari non poſſint, ejuſmodi fuerint, ut alius Sacerdos ad audiendam conſtitutæ in dicto articulo perſonæ confeſſionem vocari, aut accedere ſine

gravi aliqua exoritura infamia, vel ſcandalo nequeat, tunc alium Sacerdotem perinde haberi, cenſerique poſſe, ac ſi revera abeſſet, atque deficeret; ac proinde in eo rerum ſtatu non prohiberi ſocio criminis Sacerdoti abſolutionem pœnitenti ab eo quoque crimine impertiri. Sciat autem complex ejuſmodi Sacerdos, & ſerio animadvertat, fore ſe re ipſa coram Deo, qui irrideri non poteſt, reum gravis adverſus prædictam noſtram Conſtitutionem inobedientiæ, latiſque in ea pœnis obnoxium, ſi prædictæ infamiæ aut ſcandali pericula ſibi ultro ipſe confingat, ubi non ſunt: immo intelligat teneri ſe graviter hujuſmodi pericula quantum in ſe erit, antevertere, vel removere opportunis adhibitis mediis, unde fiat, ut alteri cuivis Sacerdoti locus pateat illius confeſſionis abſque illius infamia, vel ſcandalo audiendæ. Ita enim ipſum teneri vigore memoratæ noſtræ Conſtitutionis declaramus; & nunc quoque ita ipſi faciendum eſſe diſtricte mandamus, & præcipimus. Quod ſi idem Sacerdos aut quovis modo ſeſe nulla gravi neceſſitate compulſus ingeſſerit; aut ubi infamiæ, vel ſcandali periculum timetur, ſi alterius Sacerdotis opera requirenda ſit, ipſe ad id periculum avertendum congrua media adhibere de induſtria neglexerit, atque ita perſonæ in dicto crimine complicis, eoque in articulo, ut præfertur, conſtitutæ ſacramentalem confeſſionem excipere, ab eoque crimine abſolutionem largiri nulla, ſicut præmittitur, neceſſaria cauſa cogente præſumſerit, quamvis hujuſmodi abſolutio valida futura ſit, dummodo ex parte pœnitentis diſpoſitiones a Chriſto Domino ad Sacramenti Pœnitentiæ valorem requiſitæ non defuerint. Non intendimus autem pro formidando mortis articulo eidem Sacerdoti quantumvis indigno neceſſariam juriſdictionem auferre, ne hac ipſa occaſione aliquis pereat; nihilominus Sacerdos ipſe violatæ auſu

ejuſ-

ejuſmodi temerario Legis pœnas nequaquam effugiet, ac propterea latam in dicta Conſtitutione majorem excommunicationem, eodemque plane modo, quo ibidem decernitur, Nobis, & huic Sanctæ Sedi reſervatam incurrat, prout illum eo ipſo incurrere declaramus, volumus, atque ſtatuimus. Non obſtantibus omnibus, & ſingulis illis, quæ in præfata noſtra Conſtitutione voluimus non obſtare, ceteriſque contrariis quibuſcumque. Volumus autem, ut earumdem præſentium Literarum tranſumptis ſeu exemplis etiam impreſſis manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo perſonæ in Eccleſiaſtica dignitate conſtitutæ munitis, eadem prorſus fides in judicio & extra illud ubique locorum habeatur, quæ haberetur ipſis præſentibus ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die octava Februarii milleſimo ſeptingenteſimo quadrageſimo quinto, Pontificatus Noſtri anno V.

*D. Cardinalis Paſſionei.*

(N. IV. 448.)

Recenſentur caſus Romano Pontifici reſervati; quorum index in Auctore deſideratur.

*Caſus 20. Reſervati in Bulla Cœnæ Domini.*

1. Hæretici cujuſcumque ſectæ, eorumdem receptatores, fautores, defenſores, eorumdem libros hæreſim continentes, vel de Religione tractantes ſcienter legentes, retinentes, imprimentes, defendentes: & ſchiſmatici.

2. Appellantes ab ordinationibus, ſeu mandatis Romani Pontificis, ad futurum Concilium, eorumque fautores.

3. Piratæ, curſarii, ac latrunculi maritimi diſcur-

diſcurrentes mare Romani Pontificis, præcipue a Monte Argentario uſque ad Terracinam, ac eorum fautores, receptatores, & defenſores.

4. Naufragorum Chriſtianorum cujuſcumque generis bona, etiam in littoribus inventa ſurripientes.

5. Imponentes nova pedagia, & gabellas, vel eas augentes, præterquam in caſibus a jure ſeu ex ſpeciali Sedis Apoſtolicæ licentia permiſſis.

6. Falſificantes litteras Apoſtolicas, aut falſo fabricantes.

7. Deferentes arma, aut alia uſui bellico idonea ad Turcas, & alios Chriſtiani nominis inimicos, vel hæreticos, per ſanctæ Sedis ſententiam expreſſe, & nominatim declaratos. Vel ad Chriſtianæ Reipub. aut Catholicæ Religionis ſtatum pertinentia, in ejuſdem damnum illis annunciantes.

8. Impedientes eos, qui victualia, & alia neceſſaria Roman convehunt.

9. Ad Sedem Apoſtolicam venientes, vel ab ea recedentes, ſua, vel aliorum opera lædentes, vel ſine juriſdictione vexantes in Curia Romana commorantes.

10. Romipetas, & peregrinos, etiam in Urbe moratores, vel recedentes, lædentes, & in his dantes auxilium, conſilium, vel favorem.

11. Interficientes, mutilantes, vulnerantes, percupientes, capientes, carcerantes, detinentes, vel hoſtiliter inſequentes S. R. E. Cardinales, Patriarchas, Archiepiſcopos, Epiſcopos, Sediſque Apoſtolicæ Legatos, vel Nuncios, aut eos a ſuis Diœceſibus, Territoriis, Terris, ſeu Dominiis ejicientes, nec non ea mandantes, vel rata habentes, ſeu præſtantes in eis auxilium, conſilium, vel favorem.

12. Occidentes, quovis modo percutientes, aut bonis ſpoliantes, per ſe, vel per alios, eos qui pro negotiis ſuis ad Romam Curiam recurrunt,

aut

aut eorumdem Advocatos, Procutatores, Agentes, Auditores, vel Judices ſuper dictis cauſis deputatos.

13. Appellantes a gravamine, vel futura executione litterarum Apoſtolicarum, ad laicam poteſtatem.

14. Executionem litterarum Apoſtolicarum, aut aliarum expeditionum, impedientes, & prohibentes ad gratias impetrandas accedentes.

15. Judices ſæculares, qui Eccleſiaſticas perſonas trahunt ad ſua tribunalia, quique Eccleſiaſticam libertatem tollunt, aut in aliquo perturbant.

16. Impedientes Prælatos, ne ſua juriſdictione utantur, quique illorum, & Delegatorum judicia eludentes, ad Curiam ſæcularem recurrunt, aut contra illos decernunt, atque in his præſtantes auxilium.

17. Uſurpantes juriſdictiones, fructus, redditus, & proventus ad Sedem Apoſtolicam, & quaſcumque Eccleſiaſticas perſonas ratione Eccleſiarum, Monaſteriorum, & aliorum beneficiorum Eccleſiaſticorum pertinentes, vel ea ſequeſtrantes.

18. Imponentes decimas, & alia onera perſonis Eccteſiaſticis, Eccleſiis, Monaſteriis, aut eorum fructibus.

19. Judices, & quilibet miniſtri, aut executores ſæculares, quomodolibet ſe interponentes in cauſis capitalibus, ſeu criminalibus, contra perſonas Eccleſiaſticas.

20. Occupantes, invadentes, aut detinentes bona, aut terras Eccleſiæ Romanæ immediate, vel mediate ſubjecta, & illius juriſdictionen uſurpantes.

Hi caſus ſunt deſumpti ex ipſa Bulla Cœnæ ut *in Bullario tom. 4. & 6.*

*Alii*

*Alii ſex caſus extra Urbem, & intra Italiam Summo Pontifici reſervati.*

1. Violatio Immunitatis Eccleſiaſticæ circa confugientes ad Eccleſias.
2. Violatio clauſuræ Monialium ad malum finem.
3. Injectio manus violentæ in Clericum.
4. Provocatio, & pugna in duello.
5. Simonia realis ſcientes contracta.
6. Confidentia beneficialis.

( N. V. pag. 372. )

Huic loco addendam cenſuimus neceſſariam doctrinam, quæ in lib. VII. cap. 29. citat. tract. de Synodo explicatur, qua ratione ſe gerere debeant Parochi cum iis, qui doctrinam Chriſtianam ignorant, & Matrimonium contrahere contendunt.

In Synodo Bononienſi, habita anno 1534. dicitur, non poſſe viros, & feminas a Matrimoniis contrahendis, hoc nomine prohiberi, quod doctrinam Chriſtianam ignorent, quamvis deceat, ut Parochus ejuſmodi prohibitionem illis comminetur, quo facilius eoſdem inducat ad Fidei rudimenta addiſcenda. Idem ſentit Romaguera, in notis ad Conſtitutiones Synodales Gerundenſes l. 4. *tit.* 1. *c.* 1. ubi cum in hanc offenderit Synodalem ſanctionem: *Renovantes Conſtitutionem, in ultima Synodo editam, circa doctrinam Chriſtianam, ſtatuimus & ordinamus quod de cetero ad ſponſalia, per verba de præſenti, non admittantur, qui doctrinam Chriſtianam neſcierint, & confirmati non fuerint*, loco enim illuſtrandi, uti alias ſolet, tacite impugnat, docens, fas non eſſe Epiſcopo, quemquam a Matrimonio arcere, hanc

hanc ſolam ob cauſam, quod doctrinam Chriſtianam ignoret; ſed dumtaxat poſſe blandis verbis, atque adhortationibus eum inducere ad Matrimonium differendum, donec Chriſtianis imbuatur inſtitutis, nec diſſimilia ſunt, quæ in hanc rem adduxit Marcellus Severoli *in ſuo voto, impreſſo part.* 14. *Rec. deciſ.* 535. *n.* 51. *&* 53.

2° Fulcitur hæc opinio quorumdam Theologorum auctoritate, qui cum ignorantiam doctrinæ Chriſtianæ non invenerint in vulgatis verſiculis, in quibus enumerantur impedimenta, Matrimonium impedientia, aſſerere proinde non dubitarunt, neminem poſſe, ob illam ſolam, a Matrimonio celebrando cohiberi; ita docuit Thomas Sanchez *lib.* 3. *de Matrim. diſp.* 15. *n.* 9. inquiens: *Neſcio tamen, qua ratione poſſit* (Epiſcopus) *ob hanc ignorantiam arcere aliquos a Matrimonio contrahendo, cum ipſius non ſit impedimenta Matrimonii ſtatuere, nec hoc impedimentum ab Eccleſia ſtatutum ſit,* & ſequitur Diana *in edit. coord. tract.* 6. *tom.* 2. *reſol* 95.

3. Verum huic doctrinæ, & Rituale Romanum, & S. Carolus Borromæus, & quam plurimæ Epiſcopales Synodi, ac Summorum Pontificum edicta adverſantur: etenim Rituale Romanum *tit. de Matrim.* de iis loquens, qui matrimonio ſunt jungendi, ait: *Uterque ſciat rudimenta Fidei, cum ea deinde filios ſuos docere debeant.* S. Carolus *in Concilio Provinciali Mediolanenſi V. part.* 5. (*Act. Eccl. Mediol. part.* 1. *pag.* 286.) hæc ſtatuit: *Parochus quos Sponſos experiundo viderit doctrine Chriſtianæ rudimenta plane ignorare, ne Matrimonio illos ante jungat, quam ea item ratione cognovit didiciſſe, quæ eo de genere illos plane ſcire oportet.* Quæ verba advertens Franciſcus Amatus Pouget *inſtit. Catholic. t.* 2. (*part.* 3. *ſect.* 1. *c.* 8. §. 2. *num.* 6.) inquit: *Non accedendum prius ad connubii legem, quam teneantur præcipua religionis my-*

*myſteria, Chriſtianæque vitæ ratio, & conjugatorum officia probe noſcantur.* In Archiepiſcopali Bononienſi Cardinalis Gabrielis Palæoti *part. 3. pag. 157.* cavetur, ne Parochus ad tertiam deveniat Matrimonii denunciationem, niſi certo noverit, Sponſos principalia Fidei noſtræ myſteria didiciſſe, & ſaltem *Orationem Dominicam, Salutationem Angelicam, Symb. Apoſt. & Precepta Decalogi memoriæ mandaſſe.* Idem edixere innumeræ Synodi, collectæ a Genetto *Theolog. moral. tom. 5. tract. 9. cap. 2. qu. 17.* quibus addimus Synodum Farſenſem, habitam anno 1635. a Cardinali Barberino: Ceſenatenſem, habitam anno 1693. a Cardinali Denoff: Neapolitanam, habitam anno 1694. a Cardinali Cantelmo: Ariminenſem, habitam anno 1724. a Cardinali de Via: Neapolitanam, habitam anno 1726. a Cardinali Pignatello: Sabinenſem habitam anno 1736. a Cardinali Albano, omnes ad *titulum de Matrimonio*: ac demum in Congregatione, habita coram ſan. memor. Innocent. XII. anno 1697. decretum eſt, non eſſe a Parochis Matrimonium in Eccleſia proclamandum, niſi antea Sponſos repererint in Chriſtianæ religionis rudimentis ſufficienter inſtructos; quod quidem decretum confirmatum fuit a fel. rec. Clemente XI. *in ſuo Bullario pag. 326.* Idem edixit Cardinalis de Rohan *in ſuo Rituali Argentinenſi, ad tit. de Matrimonio pag. 254.* ubi Parochos diligenter inveſtigare juſſit, *An Matrimonio jungendi teneant rudimenta Fidei.* Ac denique Nos ipſi in noſtra encyclica epiſtola ad univerſos Epiſcopos (quæ eſt 42. *in noſtro Bullario* §. 11.) hæc ſcripſimus: *Verum, cum Matrimonio jungendi non ſint, ſi Parochus, ut debet, prius interrogando, deprehenderit, marem, ſeu feminam, quæ ad ſalutem neceſſaria ſunt, ignorare; vix tantæ, ac tam luctuoſæ ignorantiæ locum relinquet Epiſcopus, qui Paſtoret*

*ani-*

*animarum admoneat officii ſui, & huic ſi deſint, negligentiæ repetant pœnas.*

4. Quamobrem cum doctrina tradita in citata Synodo Bononienſi anni 1634. a communi Eccleſiæ ſenſu, & praxi diſcordet, eſt omnino reformanda & corrigenda, ſicuti reapſe correcta fuit in alia Synodo Diœceſana Bononienſi, celebrata a Cardinali Boncompagno anno 1609. *lib. 2. cap. 9.* atque iterum a Nobis *Notific. 9. & Notific. 46.* ubi ad Matrimonium contrahendum neminem admitti præcepimus, Chriſtianis inſtitutis nondum ſatis edoctum.

5. Neque in contrarium facit, quod aſebat Sanchez, nimirum non poſſe Epiſcopum, novâ impedimenta, Matrimonium impedientia ſtatuere: huic enim difficultati in primis reponimus; ab Epiſcopo, repellente a Matrimonio contrahendo ignorantes Chriſtianæ religionis neceſſaria rudimenta, nullum de novo poni impedimentum, ſed illud explicari, & inculcari, quo iidem jam detinentur: Enim vero cum Matrimonium inter Fideles unum ſit ex ſeptem novæ Legis Sacramentis, a Chriſto Domino inſtitutis, atque e numero eorum, quæ dicuntur *vivorum*, nemo, ſine gravi ſacrilegio, illud celebrare poteſt, in ſtatu peccati mortalis, quod optime perpendit Didacus Covarruvias *ſuper 4. Decret. part. 2. de Matrim. cap. 6. in princ.* inquiens: *Exiſtens in mortali crimine, non poteſt, abſque novo peccato, Matrimonium contrahere; tractat enim indecenter Sacramentum hoc maximum*: nec Parochus licite eidem Matrimonio aſſiſtit; quamvis enim juxta communiorem, magiſque receptam ſententiam non ſit Sacramenti Matrimonii Miniſter, ut *in præcedenti capite* diximus, nihilominus in multis comparatur Miniſtro, nec licite ſua præſentia, & authoritate firmare poteſt contractum, quem ſcit a contrahentibus ſacrilege iniri, quemadmodum pro-

ſequitur Cardinalis Lauræa *in 4. ſent. tom. 3. diſp. 22. art. 22. n. 549.* & pluribus Franciſcus Maria Muſcettola, Archiepiſcopus Roſſanenſis *in ſua diſſert. de Sponſalibus, & Matrimoniis*, quæ extat poſt ſecundam impreſſionem *obſervat. bon. memor. Zauli ad ſtatuta Faventina*, iterumque edita eſt Neapoli anno 1742. Qui autem Fidei rudimenta ignorat, quæ ex gravi præcepto ſcire tenetur, quamdiu illa non addiſcit, cum poteſt, verſatur in ſtatu peccati mortalis, ac propterea jure, ac merito a Matrimonio contrahendo arcetur. Deinde idem Sanchez *cit. diſp. 15. n. 3. & lib. 7. diſp. 6. nu. 6.* Baſilius Pontius *de Matr. l. b. 6. c. 7.* Gaſpar Hurtado *diſp. 25. difficul. 1. n. 1.* & Perez *de Matrim. diſp. 23. ſect. 1. n. 1.* non ſolum in Epiſcopo, ſed etiam in Parocho facultatem agnoſcunt, impediendi ad tempus Matrimonium, ex aliqua rationabili cauſa, puta ad ſedandum ſcandalum, vel ad detegendam alicujus objecti impedimenti veritatem, nec tamen inde confici autumant verum, & proprium impedimentum, eorum authoritate, Matrimonio apponi. Siquidem illam prohibitio temporaria eſt, atque, ablato ſcandalo, & detecta falſitate objecti obſtaculi, ſine ulla diſpenſatione, ceſſat, & extinguitur. Idem autem contingit in re noſtra: Epiſcopus enim ignorantibus Chriſtianæ religionis inſtituta, & præcepta, Matrimonium interdicit, ſolum ad tempus, donec ſcilicet illa addiſcant; quod ſi hæc prohibitio diuturna ſit, & perſeveret, id per accidens eſt, atque unice oritur ex culpa eorum, qui illis erudiri, aut recuſant, aut negligunt.

6. Unum tamen advertendum addimus, quod recte conſideravit Giribaldus *de Sacr. Matrimon. tract. 10. cap. 3. dub. 13. num. 111.* nimirum quandoque evenire, ut quis præcipua Fidei noſtræ myſteria, & ſciat, & credat, cetera pariter,

ter, quæ neceſſitate præcepti ſunt addiſcenda, aliquo ſaltem rudi modo, perceperit, ſed quia hebetis eſt ingenii, & exilis memoriæ, poſt omnem adhibitam diligentiam, illa memoria retinere, & recitare non valeat: in hoc autem rerum ſtatu, non debet perpetuo arceri a Matrimonio, quod eſt inſtitutum in officium naturæ, & propterea nemini, ſine propria culpa, eſt denegandum, ſed curabit Parochus, ut qui eo memoriæ defectu laborat, frequenter audiat, quæ ſemel craſſe didicit, ne ab ejus mente penitus elabantur. Inter celeberrimas Conſtitutiones Gibertinas, editas a Joanne Matthæo Giberto, Epiſcopo Veronenſi, quas alibi commendamus *tit. 6. c. 23.* legitur: *Cum autem quilibet Chriſtianus Orationem Dominicam, Symbolum Apoſtolorum & Præcepta Dei, atque Eccleſiæ ſcire debeat, retinendo ſaltem ſenſum, & Sacerdotibus, ac Prædicatoribus munere ſibi impoſito, prout tenentur, fungentibus, nullus ſe in veritate excuſare poterit, quod a quo neceſſaria ad ſalutem addiſcere poſſit, non habeat. Ideo præmiſſa neſcientes, ut magis confundantur &c. in faciem Eccleſiæ ad Matrimonium contrahendum non admittantur*, ubi Cardinalis Auguſtinus Valerius *in notis* ad rem ſubdit: *Adverte non eſſe accendos &c. qui ut neceſſaria ad ſalutem perdiſcant, faciunt quod in ſe eſt, ſicut qui ſcholas doctrinæ Chriſtianæ frequentant; quia non ob incuriam, aut negligentiam, ſed ob ingenii, memoriæve imbecillitatem ea non addiſcunt.*

(N. VI. pag. 457.)

De matrimoniis occultis vide Conſt. BENEDICTI XIV. incipien. *Satis vobis compertum*, vol. 1. Bullar. pag. 89. in qua quomodo ſint permittenda, & qua ratione celebranda præſcribitur: Atque *Primo*, Monentur Epiſcopi, *ne facile, & ſine legiti-*

*gitima, & urgente causa moveantur ad remittendum Publicationes, a quibus contracturi matrimonium sæpe per malitiosam suggestionem petunt dispensari.* 2. Hortatur & impense eosdem Episcopos admonet, ut diligenter inquirant, *num Personæ matrimonium secreto contrahere petentes, ejus qualitatis, gradus, & conditionis sint, quæ id probe exposcant, & ut curent, antequam contrahendi facultatem faciant, quod contrahentes clara, & indubia, & a quavis fraude immunia exhibeant documenta status liberi, ad avertendum ab iis, qui improbi sint ingenii, poligamiæ periculum.* 3. Statuitur, ut coram Parocho hæc matrimonia celebrentur alterius ex Contrahentibus; nec sine gravi compellente causa extraneus Sacerdos ad id muneris deputetur; ac præcipitur, ut a Parocho, vel Sacerdote contrahentes de proprio debito moneantur. 4. Matrimonii occulti documenta Episcopo exhiberi, in acta referri, & caute servari jubentur. 5. Præcipitur, proles ex eo suscepta tempestive in Ecclesia, in qua aliis infantibus hoc Sacramentum indistincte confertur, baptizari, ejusque nativitas Episcopo rite describi, *vel immediate per Parentes ipsos, vel per literas eorum charactere exaratas, vel per fide dignam Personam ab ipsis Parentibus designatam*, & demum in actis describi. 6. In contravenientium pœnam matrimonii divulgatio stabilitur; atque hæc nota fieri oportere jubetur hujusmodi matrimonia contrahere contendentibus.

*F I N I S.*

# INDEX

## TITULORUM OPERIS.

TRACT. V. *De Sacramentis.* Pag. 3
DISSERT. PROOEM. *De Sacramentis in genere.* ibid.
Cap. I. *De Sacramenti essentia.* ibid.
Quæst. I. *Quid vox Sacramenti significet?* 4
Quæst. II. *Quanam sit vera, ac germana Sacramenti definitio?* 5
Cap. II. *De Sacramentorum existentia.* 9
Quæst. I. *An fuerit, aut esse potuerit aliquod in statu innocentiæ Sacramentum?* ib.
Quæst. II. *An in statu Naturæ, & Legis, vera extiterint Sacramenta?* 10
Quæst. III. *Quænam, & quot sint Novæ Legis Sacramenta?* 16
Cap. III. *De materia, & forma Sacramentorum.* 19
Quæst. I. *Utrum quodlibet Sacramentum perficiatur materia, & forma, & quæ sint ipsius partes essentiales?* ibid.
Quæst. II. *An Christus Dominus materias, & formas Sacramentorum determinaverit?* 21
Quæst. III. *Quanam sit materiæ, & formæ mutatio, invalidam, aut illicitam efficiens Sacramentorum administrationem?* 24
Cap. IV. *De Sacramentorum Ministro.* 30
Quæst. I. *Quis sit legitimus Sacramentorum Minister?* 31

Quæſt. II. *Utrum fides, & probitas in Miniſtro requirantur?* 32
Quæſt. III. *Utrum & qualis in Sacramentorum Miniſtro requiratur intentio?* 38
Cap. V. *De Sacramentorum ſubjecto.* 47
Quæſt. I. *Quænam ſint diſpoſitiones ad validam Sacramentorum ſuſceptionem?* 48
Quæſt. II. *Quænam ſint diſpoſitiones ad licitam Sacramentorum ſuſceptionem?* 50
Art. I. *Utrum liceat a Miniſtro indiſpoſita Sacramenta petere, & ſuſcipere?* 51
Art. II. *Utrum indiſpoſitis, ac peccatoribus Sacramenta liceat miniſtrare?* 56
Cap. IV. *De Sacramentorum effectibus.* 59
Quæſt. I. *De primario Sacramentorum effectu.* ibid.
Art. I. *An Sacramenta gratiam conferant, & qualem?* ibid.
Art. II. *Quomodo Sacramenta Novæ Legis gratiam conferant?* 63
Art. III. *An Sacramenta ficte, ſeu cum obice ſuſcepta reviviſcant?* 68
Quæſt. II. *De ſecundario Sacramentorum effectu, ſcilicet charactere.* 70
Cap. VII. *De Sacramentorum Ceremoniis.* 74
Quæſt. I. *De Ritibus Sacramentalibus.* 75
Quæſt. II. *De Sacramentalibus.* 77
De Sacramentis in particularis. 79
DISSERT. I. *De Baptiſmi Sacramento.* ib.
Cap. I. *De Baptiſmi natura, aut eſſentia.* ibid.
Cap. II. *De materia, & forma Baptiſmi.* 83
Cap. III. *De Baptiſmi proprietatibus,* 88

Art.

Art. IV. *De Miniſtro Baptiſmi.* 91
Cap. V. *De Baptiſmi ſubjecto.* 95
Cap. VI. *De Baptiſmi effectibus.* 98
Cap. VII. *De Baptiſmi cæremoniis.* 102
DISSERT. II. *De Sacramento Confirmationis.* 106
Cap. I. *De natura, & eſſentia Confirmationis.* 107
Cap. II. *De materia, & forma Confirmationis.* 109
Cap. III. *De Miniſtro, & ſubjecto, effectibus, & cæremoniis Confirmationis.* 112
DISSERT. III. *De SS. Euchariſtiæ Sacramento, & Sacrificio.* 116
Cap. I. *De Euchariſtiæ Sacramento.* 117
Quæſt. I. *Quid ſit Euchariſtiæ Sacramentum?* ibid.
Quæſt. II. *Quænam ſit materia, ex qua fit Euchariſtia?* 120
Art. I. *De materia in Corpus Chriſti convertenda.* 121
Art. II. *De materia Calicis.* 124
Quæſt. III. *Quænam ſit Euchariſtiæ forma?* 129
Quæſt. IV. *Quid in Sacramento Euchariſtiæ contineatur?* 132
Art. I. *De corporali præſentia Chriſti in Euchariſtia.* ibid.
Art. II. *De tranſubſtantiatione.* 135
Art. III. *De modo quo Chriſtus eſt in Euchariſtia.* 138
Quæſt. V. *Quis ſit Miniſter Euchariſtiæ?* 142
Quæſt. VI. *Quodnam ſit ſubjectum capax Euchariſtiæ ſuſcipiendæ?* 147

416
Quæst. VII. *Quid de usu Eucharistiæ sit dicendum?* 157
Quæst. VIII. *Quinam sint Eucharistiæ effectus?* 166
Cap. II. *De Eucharistia prout Sacrificium.* 169
Quæst. I. *An & quid sit Missa Sacrificium?* ibid.
Quæst. II. *Quis fructus, & valor Sacrificii Missæ.* 175
Quæst. III. *A quibus, & pro quibus offerri debeat ac possit Missæ Sacrificium?* 178
Quæst. IV. *Quænam sint circumstantiæ ad celebrationem requisitæ?* 185
DISSERT. IV. *De Pœnitentia Sacramento.* 194
Cap. I. *De Pœnitentiæ existentia.* ibid.
Cap. II. *De essentia Sacramenti Pœnitentiæ.* 200
Quæst. I. *Quænam sit Sacramenti Pœnitentiæ materia?* ibid.
Quæst. II. *Quænam sit Pœnitentiæ forma?* 203
Cap. III. *De Contritione.* 205
Quæst. I. *Quid, & quotuplex sit Contritio?* 206
Quæst. II. *Quænam sint conditiones Contritionis, ut possit esse Sacramenti materia?* 209
Quæst. III. *An simplex Attritio, absque ullo amore Dei, ad justificationem cum Sacramento sufficiat?* 213
Quæst. IV. *Quænam sit Contritionis necessitas?* 229

Cap.

Cap. IV. *De Confessione.* 231
Quæst. I. *Quænam sit Confessionis obligatio?* 227
Quæst. II. *Quænam sint conditiones ad legitimam Confessionem requisitæ.* 229
Cap. V. *De Absolutionis Ministro.* 243
Quæst. I. *Quænam in Absolutionis Ministro requiratur potestas?* ibid.
Art. I. *De potestate Ordinis ad validam Absolutionem impendendam requisita.* ibid.
Art. II. *De potestate Jurisdictionis.* 244
§. 1. *De ipsa Jurisdictione.* ibid.
§. 2. *De Approbatione.* 249
Art. III. *De speciali erga peccata reservata potestate.* 252
Quæst. II. *Quænam in Ministro requiratur scientia, ut rite Absolutionis impendat beneficium?* 256
Quæst. III. *Quænam in Ministro Absolutionis requiratur prudentia, maxime ad sibi deposita reticenda?* 268
Cap. VI. *De satisfactione.* 280
Quæst. I. *De Sacramenti Pœnitentiæ effectibus.* 290
DISSERT. V. *De Extrema Unctione.* 292
Cap. I. *De essentia, & existentia Extremæ Unctionis.* 293
Cap. II. *De materia, & forma Extremæ Unctionis.* 295
Cap. III. *De Extremæ Unctionis Ministro, & subjecto.* 298
Cap. IV. *De effectibus, ac Ritibus Extremæ Unctionis.* 301
DISSERT. VI. *De Ordinis Sacramento.* 303

Cap.

418
Cap. I. *De Ordinis eſſentia, & exiſtentia*, 310
Cap. II. *De numero Ordinationum*. 306
Cap. III. *De materia, & forma ſingulorum Ordinum*. 309
Cap. IV. *De Ordinis Miniſtro*. 315
Cap. V. *De Ordinis ſubjecto, ejuſque effectibus*. 317
DISSERT. VII. *De Matrimonio*. 323
Cap. I. *De Sponſalibus*. ibid.
Cap. II. *De eſſentia, & exiſtentia Matrimonii*. 328
Quæſt. I. *Quid & quale ſit Matrimonium?* ibid.
Quæſt. II. *De materia, forma, & Miniſtro Matrimonii*. 333
Quæſt. III. *Qualis ad Matrimonium requiratur conſenſus?* 335
Cap. III. *De Matrimonii proprietatibus, aut effectibus*. 341
Quæſt. I. *Quid ſit unitas Matrimonii?* ib.
Quæſt. II. *Quid de Matrimonii indiſſolubilitate ſit dicendum?* 344
Quæſt. III. *Quænam in uſu Matrimonii cautelas ſervanda?* 355
Cap. IV. *De impedimentis Matrimonii*. 361
*Conſtitutiones aliquot Benedicti XIV. Moralibus Tomi hujus materiis reſpondentes*, 387

FINIS INDICIS.